ANTONII DE HAEN,

QUONDAM

S. C. R. APOSTOL. MAJESTATI A CONSILIIS ET ARCHIATRI, MEDICINÆ IN ALMA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORIS PRIMARII &C.

PRAELECTIONES

IN


HERMANNI BOERHAAVE

INSTITUTIONES PATHOLOGICAS.

COLLEGIT, RECENSUIT, ADDITAMENTIS AUXIT, EDIDIT

F. DE WASSERBERG.

TOMUS III.




VIENNÆ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER. 1780.

As *in Mathematiks, ſo in Natural Philoſophy (and art of Medicine) the inveſtigation of difficult things by the method of Analyſis, ought ever to precede the method of compoſition. This Analyſis conſiſts in making experiments, and in drawing general concluſions from them by induction.*

NEWTON.



PRÆMONENDA.



Jnl. HAENII diffuſum mage dicendi genus arctioribus nonnihil cancellis circumſcribendum in ſequentibus hinc inde duxi, ubi abs ullo inde in textum redundante damno fieri poterat.

Fidem quidem omnem antea jam, *Tom. II. p.* 351., interpoſui, nullam omnino, vel minime eſſentialem, rem me ullibi omiſſurum: id nunc repeto, atque confirmo.

Maximam partem *Haeniana verba* retinui; dum *verba* non adhibui, *Haenianum* retinui, ut hac phrasi utar, *spiritum:* hinc & peculiatûs, aut repetundarum, criminis litterarii minime reus, jam non opus est, ut ampliori sermone pro me dicam. —

Quodsi rei, quam perficiundam suscepi, ea foret indoles, ut pro lubitu diducere integrum foret pomœria, *Haenianis* frequentius interseruissem ex monumentis Patrum omnis ævi a divo usque Coo deprompta præcepta, inprimis vero æternitati sacra observata, candore solo sæculorum vicissitudines ferentia, theoria omni, labili toties ac lubrico innixa fundamento, longe sublimiora. Verumenimvero, adlatam prius ob causam, tentari hæc omnino non poterant; utut omnem, cui ex meliore luto finxit præcordia Titan, fateri debere crediderim, non levia tali ex opere tum medicæ doctrinæ, tum litterariæ, (quam multi, ceu superfluam, aut noxiam plane,

ne, adſpernantur, negligunt, horrent, anguſti ingenii homines,) redundatura fuiſſe commoda. Adtendant velim ad hæc Illi, qui mihi fors litem movere voluerint, cur hoc illudve majoris aut minoris molis non adduxerim opus, quum tamen ſit egregium; cur hanc illamve reticuerim obſervationem, medendi methodum, epicriſin, adtentione ſane digniſſimam; cur demum fecerim, aut non fecerim, quorum expoſui rationes: accedente ſimul Bibliopolæ gravi, dum de editione operis agitur, cujus Ipſe non mediocres periclitari ſumtus debet, ſententia. Qui vel oſcitanter artis noverit ambitum, morborum non phalangas ſed exercitus, in diagnoſi, prognoſi, therapeia difficultatem, Virorum Celeberrimorum obpoſita frequenter axiomata; qui eminus conſideraverit fidem vix non ſuperantem circa hæc editorum hactenus ſcriptorum copiam; qui vel uno oculo conſpexerit Inmortalis Halleri Bibliothecas, ut reliquas omnes taceam;



Ille fors judicare poterit, quid consilii capere integrum erat, rebus dicto in statu versantibus.

Ne vero omnia prorsum supprimerem additamenta, consuluerunt ac *voluerunt* Viri magni, quos veneror; quos tamen hic nominare non licuit. Rarius illa adjeci, minimeque diducta.

HAENIANA *additamenta* signis [ ] MEA ( ) continentur.

Ubi demum a *beati* AUCTORIS thesibus diversi quid tenui, nunquam non officia, quæ & *Celeberrimo per orbem Viro*, & *meo* olim *Præceptori*, deberi noveram, ceu normam mihi proposui.



SYM-



SYMPTOMATOLOGIA PATHOLOGIÆ.



§. 801.

Id præternaturale, quod ex morbo, ut causa, in corpore ægroto fit, ita ut distingui queat tamen ab ipso morbo & ab ejus causa proxima, vocatur Symptoma morbi.

Multi forsan putabunt, hoc operosum caput, cui exponendo nos nunc accingimus, merito omitti potuisse; quum centies audituri sint repetitionem eorum, quæ in *cap. præcedenti de* Causis Morbi dicta fuerunt: ast maxime hi falluntur; quum visuri sitis tantam sæpe in symptomatibus morborum a causis morborum differentiam, ut ipsa symptomata evadant morbi prin-

cipes: quum præterea in capite hoc de ſymptomatibus morborum Medici animus rite inſtruatur in cauſarum tum determinatione, tum adplicatione. Ergo videbitis ejus ſummam neceſſitatem.

Σύμπτωμα a συμπίπτω, *ſimul cado, una cado:* ergo ſymptoma coincidens, caſus accedens eſt, ita definitus a GALENO, quod morbum ſequatur, velut umbra corpus. Eſt id, quod ſimul cum morbo in corpus cadit. Vox hæc in Medicina adhibetur, ut ſignificet in morbo id, quod

1) diſtinctum ſit a morbo;
2) diſtinctum a morbi genere;
3) diſtinctum a morbi cauſa.

Rem exemplo explanabo. Homo hucusque ſaniſſimus, nunc caput percutitur. Quid fit ab illa percuſſione? Effunditur ſanguis ex arteriis intra cranium ſitis; effuſus cerebrum conprimit; conpreſſione illa turbatur cerebrum; homo cadit in terram apoplecticus. Homo ille jam vomit bilem, brevi redditam æruginoſam. Bilis æruginoſæ vomitus non eſt ipſe morbus, nam morbus eſt apoplexia: nec eſt morbi cauſa, nam cauſa eſt percuſſio cranii. Quid ergo eſt? Eſt diverſum quid & a cauſa morbi & a morbo; eſt aliquid natum, ſeu aliquis effectus percuſſi & preſſi cerebri.

Si autem ratione ex morbi cauſa fluit, dicitur CAUSÆ SYMPTOMA. Homo caput percutitur eique nervus in illa percuſſione ita læditur, ut ſit ſemivivus, ſemimortuus: quo fit, ut miræ convulſiones ac ſpaſmi oriantur. Jam illi ſpaſmi fiunt a læſo nervo & non a morbo, qui apoplexia eſt. Ergo eſt ſymptoma cauſæ morbi, non vero ſymptoma ipſius morbi; nam potuerat apoplexia eſſe, ſine hujus nervi ſpaſmo. — In alio caſu homo laborat febri ardente, & patitur ſputum ſanguinis ex pulmone. Hoc ſputum ſanguinis non eſt ipſe

ipſe morbus; nam morbus eſt febris ardens. Febris illa vero adeſſe poterat ſine ſputo ſanguinis. Sed neque etiam illud ſputum ſanguinis eſt cauſa morbi; nam febris ardens a longe aliis cauſis originem ducit, & aderat ante hæmoptoën: porro eſt ſymptoma illius cauſæ, quæ febrim ardentem effecerat; ſcilicet copioſioris & agitatioris ſanguinis, ita, ut tenella vaſa, ejus vim ſuſtinere non valentia, in pulmone diffringantur.

At vero, ubi ex alio priore ſymptomate, ut cauſa prodit, adpellatur σύμπτωμα συμπτώματος. Homo v. c. ille idem, qui febri ardente laborabat, conſiderabatur a nobis ſputum ſanguinis habere; quod ſputum ſanguinis febri ardente poterat abeſſe, adeſſe; nam ad naturam febris ardentis non pertinebat: erat ergo ſymptoma non ipſius morbi, ſed ſymptoma ejus ipſius cauſæ, quæ cauſa febrim ardentem produxerat; ſcilicet ſymptoma ſanguinis copioſi, denſi, moti. At vero ponite, hunc eumdem hominem, qui febri ardente laborat & ſputum ſanguinis patitur, jam copioſo effluente ſanguine cadere in animi deliquium. Profecto hoc ſymptoma animi deliquii non poteſt dici ſymptoma morbi; nam morbus ille non habet hoc ſemper adjunctum. Nec poteſt dici ſymptoma cauſæ morbi hoc animi deliquium; nam ſanguis copioſus, denſus, motus, non ſolet ob hanc cauſam facere animi deliquium. Quid ergo eſt? Animi deliquium eſt ſymptoma ſputi ſanguinei: ſputum autem ſanguineum erat ſymptoma, non morbi; nam febris ardens non habet pro conſueto ſymptomate ſputum ſanguinis; ſed erat ſymptoma cauſæ morbi, ſcilicet ſymptoma ſanguinis copioſi, denſi, moti. Animi ergo deliquium, in adlato caſu, eſt ſymptoma ſymptomatis.

Homo pleuriticus, ad intolerabilem lateris dolorem ſedandum retinet animam: ſed voluntaria hæc re-

tentio, arctans thoracem & pulmones, efficit, ut sanguis inflammatorie spissus per angustias pulmonales nequeat perprimi.

En igitur pleuritidi junctam peripneumoniam! sed peripneumonia hæc non est symptoma pleuritidis; quum hæc sine illa esse poterat. Immo, si exacte velimus loqui, non est proprie dictum symptoma causæ morbi; scilicet, non est directe, inmediate symptoma sanguinis inflammatorie spissi & vasa arcta obstruentis: nam si homo ille latera sua non conpressisset, peripneumonia nata forte non fuisset. Ergo peripneumonia illa est symptoma, non morbi, non causæ morbi, sed conpressionis thoracis.

Verum id ipsum, quod morbo superaccedit ex diversa a præcedentibus origine, potius dicetur ἐπιγένημα, ἐπιγενόμενον, συμβεβηκος: id est, simul cum morbo ambulans & morbo superaccedens. Homo febri ardente laborans, ab Idiota accipit theriacam, vel calidissima alia, ut sudet & materiem morbificam, ut ajunt, sudore expellat. Sed redditur morbus infinito pejor. Illud porro est revera ἐπιγενόμενον: nec, si morbus modo superetur, hoc manebit. Igitur, neque a morbo, nec ejus a causa, sed a longe diversa origine hoc natum symptoma.

Homo pleuriticus, morbum hunc a flatibus oriri credens, (quod damno suo nimio sæpe homines credunt), sumit v. c. spirit. vini destillatum cum aniso, carvo, lavandula &c.: ducitur inde miserrime ad mortis fere limina usque. Non est autem hoc a morbo, non a causa morbi, non a symptomate causæ, sed est ἐπιγενόμενον, superaccedens symptoma.

Puerpera habet deliquium a lochiis subpressis ob terrorem injectum; non ergo a puerperio, non a partu laborioso, non a vitio ullo solidi aut fluidi, hoc epigeno-

genomen oritur, ſed a terrore, qui nil commune habebat cum ſtatu puerperii.

Unde illa ἐπιγενόμενα probe cognoſcenda notandaque in morbis; quum ſæpe adeo morbi faciem mutent, ut plane alius a ſe ipſo videatur. —

Ἐπιγένημα interdum morbi ſymptoma ſignificat; ut lingua alba, ſaliva ſuperinducta, febris remiſſionem indicans, poſtquam antea lingua exuſta & arida fuerat: ita *Coac. N.* 230 apud Foes.

2) Vocarunt ſic ſymptomata, quæ ratione aucti morbi ſuccederent. Ita Galenus in *Aph.* 35—6. „ ſupervenire ἐπιγένεσθαι. *Supervenire* morbis alios morbos & ſymptomata, veteribus Medicis moris erat dicere, quæ ipſius morbi augeſcentis ratione accidere conſueverunt. Talis enim eſt Praxagoræ *liber de ſupervenientibus.* Eadem ratione Hippocrates *Aph. cit.* dixit: Hydropicis ſupervenientem tuſſim malam eſſe: quum enim in hydropicis adfectibus aquoſa humiditas tanta copia creverit, ut jam aſperas arterias occupet, deinde tuſſis ſuperveniat; tunc, ne haud ita multo poſt homo ſuffocetur, periculum inminet.“ Demum Hipp. *lib. de morbis p.* 522. diſerte ait: „ morbos ſupervenire morbis, malum eſſe; quod uno exhauſtus pene homo, alteri ferendo non ſit par.“

Medici ſenſu ultimo vocem hanc accipiunt hodie in ſcholis; ut ſcilicet deſignetur ea aliquid, quod ad morbum, de quo agitur, non pertineat. Præterea Boerhaavius §. 879 ait: „ Illa autem ſigna quæ docent mutationem, variataſque conditiones morbi, nomine dicuntur *epigenomena*, §. 880. quorum tanta eſt vis ad bene cognoſcendum & curandum, ut vix aliud ſit, quod plus emolumenti in praxi adferat: unde etiam ſumma nocumenta oriuntur, his neglectis.“

§. 802.

§. 802. *Unde efficitur, ipsa hæc symptomata &c.* Symptomata illa priora, scil. morbi & causæ morbi, pacantur, pacato morbo; cessant, eo cessante, adeoque curam peculiarem non postulant. Sæpe tamen contingit, ut illa symptomata fiant adeo fortia & vehementia, ut postulent curam peculiarem, ni velimus hominem, e morbo forte evasurum, violentia perire symptomatum. Dolor in pleuritide aliquando talis, ut mortalium nemo ferendo sit, ac ut citissima gangræna nascatur: conpescenda ergo, ne homo pereat.

Homo habet febrim continuam putridam, quæ videtur artis obaudire legibus, ut Medicus spem foveat felicis curationis. Verumtamen, uti optime dixerat HIPPOCR. *Aph.* 2—19. „ acutorum morborum non omnino tutas esse prædictiones; neque mortis, neque sanitatis," dum omnia videntur belle procedere, oritur quandoque subita phrenitis; non a materia mota morbosa, critica, sed a mota cruda; quæ phrenitis, si negligenda credatur, eo, quod morbus acutus sese bene habuerit, occidet hominem. Ergo est symptoma considerandum ut morbus ipse, curandumque ut tale.

Leve delirium non peculiarem sui curam poscit, crudo, aut cocto jam morbo; nam id sæpe transitorium: (*) at phrenitis docet novam præsentem inflammationem; adeoque sui curam poscit. Inter symptomata critica sæpe delirium est, nunquam phrenitis.

(*) Sed notandum simul, segnius ideo nequaquam spectandum esse tale delirium, levius licet sit; quum sæpenumero subito, & quin credidisses, quin gradus intermedios absolvisset, vertatur ad akmen; quod in læsionibus capitis a lapsu, vel contusione, haud infrequens, ut dum Medicus aut Chirurgus omnia jam in vado esse autumat, ac vix ulla jam

in-

intenſiora adſint ſymptomata, ſubitanea erumpant ferociſſima. Sic & a lapſu v. c. per ſcalas, dum Æger cum ſanitate ex integro jam in gratiam rediiſſe cenſetur, ſuccedit catalepſis, epilepſia, tetanus, &c. uti non una docuit obſervatio. Prævidere quidem futura omnia vix licet Mortali; aſt haud raro neglecta cernuntur a minus peritis aut adtentis, aut non acri ſat mentis acie inſtructis, quæ elata, ut ita dicam, voce, ſui præſentiam aut adventum, notum fecerant.)

Deinde, quod peculiariter, quæſo, adtendatis, ſymptomata illa non ſemper ſunt ſymptomata morbi, ut AUCTOR *Cl.* B. bene advertit; ſed ſunt ſæpe morbi ipſi per ſe. Centies enim & millies contingit, ut homines laborent vomitu, nauſea, adpetitu depravato, colica, diarrhæa, kephalalgia &c., citra morbum principalem, in quo hæc contingerent. Nam eo in caſu homo non habet febrim, non habet aliud malum, ſed tantum colicam, diarrhæam &c. Videtis ergo, quod ſymptoma vocamus morbi, vel cauſam morbi, vel etiam epigenomenon in morbo, idem nunc conſideramus non a morbo, non a cauſa morbi, non aliunde morbo ſuperaccedens, ſed per ſe ortum; adeoque ut ipſum integrum morbum.

Symptomatologia ergo cognitu eſt perquam neceſſaria, 1) quia in morbis ſymptomata ſunt ſibi linquenda vel non linquenda. Id porro, ut internoſcamus, oportet nos, præter cognitionem morbi ejusque cauſæ, habere exactam & adcuratam cognitionem ſymptomatum, ut diſtinguamus ea: quid nempe ſint? unde nata? quinam eorum effectus? Inde enim patet, ſintne ſibi linquenda aut ſopienda.

2) Cognitu neceſſaria Symptomatologia, quia ſymptomata naſcuntur citra ullum alium morbum, ut vomi-

vomitus, nimia alvus, inadpetentia &c.; ita, ut ablato hoc ſymptomate in homine illo, nil haberes, quod culpares. Igitur in illo homine hoc ſymptoma eſt ipſe, ipſeque ſolus morbus. Igitur hoc ſolum ſymptoma, ſive hic ſolus morbus, auferendum deſtruendumque eſt, Quis vero auferet, quis deſtruet, niſi, quid ſit, unde natum, quî auferatur, adprime noſcat?

Hanc igitur hinc habebitis utilitatem, ut noſcatis ſymptomata talia quadruplici modo: 1) quatenus *morbi* ſint *ipſi*, nullo modo ab aliis morbis dependentes; 2) quatenus *ſymptomata* ſint *aliorum morborum;* 3) quatenus in morbis ſint *propria* aut *aliena;* 4) quatenus *ſibi* ſint *dimittenda* aut auferenda.

Creſcet hujus Vobis doctrinæ utilitas, quia docebo ſimul curam ſymptomatis, ut morbi principalis; & ſymptomatis, ut ſymptomatis aliorum morborum.

Cura hæc in multis eadem erit, differens in aliis. Eadem, quoad lenimen & ablationem effectuum horum ſymptomatum; differens in eo, quod ſymptoma, ut morbus ipſe, Vobis ſit integre deſtruendus, ſine ulla hæſitatione; ſymptoma vero morbi ſemper a Vobis ſit poſtulaturum, ut ex natura morbi proprii noveritis, an ſit mitigandum, & quomodo? auferendum & quomodo? ſibi linquendum, & quam ob cauſam?

Clarioris doctrinæ gratia *Cel.* PRÆCEPTOR ad certas refert claſſes, ſecundum VETERUM, quos laudat, diviſionem.

VV. revocabant ea primo ad *actiones læſas;* ſcilicet ad actiones vitales, animales, naturales læſas: quas omnes recordamini me Vobis explicuiſſe *initio Pathologiæ:* 2) ad *retentorum & excretorum vitia;* quæ in recentiſſima adhuc memoria Vobis ſunt ex *Aetiologia:* 3) ad *qualitates corporis mutatas.* Qualitas corporis vocatur omnis conditio corporis humani, quæ ſenſi-

ſenſibus a Medico obſervari queat; tactu nempe, guſtu, olfactu, viſu, auditu. Qualitates illæ ſemper definitæ ſunt ac notæ: ubi ergo ſenſu quocumque corpus mutatum deprehendebant, eo vertebant examen. Sic tactu examinabant aſperitatem, ſiccitatem cutis non perſpirantis (inprimis autem pulſum arteriæ, tum & varia alia in corporis externa ſuperficie, vel & in interioribus præternaturalia; ſitum infantis magis minusve a legitimo recedentem, tumorum duritiem, mollitiem, fluctuationem; fiſtularum, ſinuum vulnerum ambages, &c.); olfactu, fœtorem ſudoris, excrementorum alvi ac urinæ; viſu, colorem oculorum, cutis (linguæ) flavum, pallidum, viridem, nigreſcentem; auditu (ac viſu ſimul) mentis alienationes, furores, deliria (oſſium fractorum ſtridorem.)

Videtis igitur totum obſervandi campum nobis pateſcere utiliſſimumque eſſe, ac univerſum corpus humanum cum tota ſua oeconomia Veſtro denuo examini ſubjici. Verum deeſt huic, quam adorimur, pertractationi primaria res, omiſſa Veteribus, a Fernelio aliisque confuſiſſime addita; nempe omnium enarrandorum morborum, ſive ſymptomatum cauſa: quam qui reliquis adjunxerit, ut fecit B. completam habebit ſymptomatum hiſtoriam.

Erit ergo caput hoc compendium Praxeos totius: nam morbus narrabitur, cauſa ejus explicabitur, curatio addetur, eumque in finem dictitabo aptas, ni fallor, formulas.

§. 803. *Prima igitur claſſis horum digeritur &c.* Animadvertitis, actiones corporis, quanquam fuſius, expoſitas, tamen ex mente *Cel.* Præceptoris denuo eſſe recenſendas. Refricabitur igitur memoria earum rerum ita, ut per omnem vitam oblivifci eas non poſſitis.

In

In quibus recenſendis ordo habendus idem prorſus, qui in AETIOLOGIA; a primæ digeſtionis officina oriundus, inprimisque adpetitus venit examinandus.

Adpetitus in cibos & potus. In utrumque enim feratur oportet; qui in alterutrum tantum, non bonus dicendus eſt: nam coqui v. c. qui a cibis abhorrent & adpetitu adſiduo in potus feruntur, licet ſani, ſeminia tamen morbi jam habent. Loquimur porro de homine nato, quod adpetitu feratur in hæc duo: nam poſſet aliquis dicere, fœtus maturus adpetitu creditur ferri in aërem, ſicque exſuſcitare futuri partus conatum.

Voce adpetitus intelligimus naturale illud deſiderium, quo quodvis animal nititur in ſui conſervationem, per ea, quæ novit, ſuas conlapſas reficere vires.

At vero vitiatur hæc facultas in homine multis modis: vel enim *inminuitur*, vel *aboletur*, vel *augetur*, vel *depravatur*.

Primus modus vocatur Δυσορεξία, a δυς *difficulter*, ὄρεξις *adpetitus*. *Adpetitus* ergo *difficilis*, ſive *imminutus* hinc ſignificatur. — Dyſorexia etiam vocatur, quia difficulter excitatur, & niſi aut ſtimulo, aut gratiſſimo olim cibo, cæterum ſit languens.

Alter modus eſt Ἀνορεξία *adpetitus deletus;* ad quem etiam pertinet ἀποσιτία, ſive abhorrens cibi faſtidium, ita, ut homo tunc vivat ſine nutrimento brevique concidat. Quod ciborum faſtidium in acutis, poſt HIPPOCR. ſemper ſuſpectum habemus.

Tertius modus eſt Βȣλιμος, *fames* dicta *bovina*, vel ὄρεξις κυνῶδες, *fames canina:* quibus vocibus VV. ſignificabant inmaniter auctum adpetitum.

Quar-

Quartus modus dicitur *κίσσα*, *μαλακία*, *pica;* quam exponunt esse *adpetitum vix superabilem*, vel *eorum, quae in nutrimentum conmutari queunt;* id est in cibos bonos, sed nimia aviditate & voracitate ingestos; vel *eorum, quae neutiquam apta huic operi*, quaeque *indigestibilia* vocant, ut in causis procatarcticis dictum. Alius enim hominum est ventriculus, alius animalium; immo alius ventriculus nationis, (cujus rei copiosae occurrent instantiae in opere, cujus primam partem mox praelo dare potero, syllogen observatorum rei medicae omnem ambitum inlustrantium, notatu dignissimorum, ex Cel. Itineratorum Relationibus & caris & amplis, hinc paucioribus Medicis innotescentibus, complectentem,) temperamenti, aetatis, hujus, quam illius. Unde intelligimus, pro hac tanta varietate etiam incredibiliter differre digestionis vim. Indigestibilia porro sumuntur hic vel relative, vel nullo plane modo ab aliquo homine digerenda. Indigestibile relative est v. c. caro suilla fumo & sale indurata, ab Aratore facile difflanda, a Puella nullo modo digerenda. Absolute indigestibile vocamus lapides, carbones, carnes crudas, (*) aliaque quae nullus digerere hominum ventriculus potest; Hottentotos in australi Africae parte, aliasque anthropophagas nationes si excipiatis; in quae tamen adpetitus puellarum infantumque acido laborantium inmaniter saepe fertur.

(*) (Cretam, ligulas, atramentum, pisces crudos, insecta varia &c. — Referenda huc etiam instantia Drusi, secundi filii Germanici, fame enecti, dum vitam per novem integros dies solo culcitrae tomento sustentasset, v. Tacit. *Annal. L. VI. cap.* 23., cui tomento etsi plerumque lana aut equorum setae adhibeantur, tamen & ex plantis fieri solebat, referente Plinio, *Hist.*

Nat. L. XXVII. c. 10. „Gnaphalion, alii chamezelon vocant; cujus foliis albis mollibusque pro tomento utuntur. „ Urgente annonæ defectu, ubi ne infantibus quidem propriis, ut vitam ſuam labaſcentem ſuſtentarent, pepercerunt matres, mira ſæpenumero rerum indigeſtibilium ingeſtarum adnotata occurrunt exempla.“)

Cauſæ horum ſymptomatum plerumque deprehenduntur pituita iners, viſcida, obruens. Cauſas hujus Vos docui & effectus §. 764., redibit ſermo inferius. Vidimus a cauſis variis pituitam natam obſidere ventriculum & inteſtina; ita, ut & motus periſtalticus eorumdem hinc inpediatur & membrana interna villoſa a rebus ſtimulantibus non adficiatur; maxime a blando illo ſtimulo liquoris gaſtrici & enterici.

Altera cauſa eſt *bilis abſentia.* Vidiſtis ad §. 773., bilis, ſano in homine, effectus eſſe, ut glutinoſa & tenacia dividat, ſolvat. Deficiente jam hoc menſtruo, (aut inerti nimium, effœto, vappido) neceſſe eſt, mucilaginoſa alimenta inmutata manere, & deficiente ſtimulo bilioſo, adcumulari.

Tertia cauſa *ſalini ſubpreſſio.* Mira expreſſio! humor gaſtricus habet lenem ſalſedinem, a ſale humorum noſtrorum nativo, qui ad ammoniacum quam proxime accedit. Augetur quidem illa ſalſedo in illis, qui multo ſale marino utuntur. Verum ſolet naturalis adeſſe ſalſedo etiam in illis, qui ſale non multo utuntur.

Ab illa leniſſima ſalſedine oritur in vacuo ventriculo ad nudos villos & nervos leniſſimus ſtimulus, qui adpetitum excitare videtur. Ubi vero homines humores adeo blandos habent, vel vappidos, ut ſalinum iſtud fere abſit; non adficiet grato ſuo ſtimulo nervos ventriculi, & languidus erit adpetitus.

Sola

Sola tamen ratio adpetitus in illo ſtimulo non quærenda: nam homo levi ſtimulo adſueſcit; ita, ut infans primo male habeat a vino, dein, factus adoleſcens, inde recreetur, ac ſi abutatur, vix inde ultra adficiatur. Homines primo bene adpetentes amant ſenſim plus ſalſa & aromatica: hinc demum ſine illis vix poſſunt comedere; non adficitur ventriculus a conſuetis, & debent ſenſim fortiorem ſtimulum habere.

Quarta cauſa eſt *fibrarum laxitas aut paralyſis.* Perpendendum hic, antequam pergamus, quam diverſæ cauſæ unius morbi; quam diverſa ergo cura debeat adhiberi; quam inania inde ſint illa nomina Elixiriorum univerſalium ſtomachicorum. Remedium diverſum ſit pro cauſæ diverſitate. —

Quantum ad laxitatem ventriculi fibrarum, dictum in AETIOLOG. §. 756., quomodo a diſtento maxime ventriculo fibræ amittant tonum ſuum, tandemque fiant paralyticæ: ut de veſica urinaria nimis diſtenta diuque, ſæpe dictum. Ut porro topicum malum topicam facit paralyſin; ita paralytica diſpoſitio univerſalis poſſet idem ventriculo creare malum.

An ergo decantata illa amara ſtomachica hic commendanda? Non nocebunt, ſed non ſufficient. Requiruntur hic roborantia, adſtringentia; quæ, interponendo ſe inter laxa fibrarum elementa, robur augeant earum. Dando ergo amara non nocemus quidem, ſed nec directe proſumus; terimus tempus, languentium potentia abutimur & vehementer diffamamur; dum alius, rerum intelligentior, apto remedio rem tetigerit acu.

Quinta cauſa *ſordes a putrido.* De his egi ſub finem AETIOLOGIÆ. Quid hic univerſalia illa ſtomachica amara? Nocumento erunt. Quamdiu putridum illud hæret, delebit adpetitum, horrores creabit ad plera-

que adſumta : acidis corrigendum aut emetico expellendum erit. Cætera calida, amara, ſtimulantia motum augent, calorem excitant, augent putredinem.

Sexta cauſa *ſanguinis aquoſa indoles;* quæ debilitat fibras omnes, adeoque & ventriculi. An hic ſaltem ſtomachica amara? Verum ſtomachicum hoc in caſu eſt, aquas nimias evacuare, ſanguinem aquoſum conpingere, laxatam fibrarum compagem adſtringere, firmare. Amara non ſat valida, pro momento juvabunt ſtimulo, bilis defectum utcunque ſubplebunt; ſed tardiſſimam curam, nec integram, facient.

Septima cauſa *obeſitas.* In genere loquendo humores acriores tenuiores ſunt, carentes ſcilicet oleoſis particulis mucilaginoſisque: acria enim ſolvunt oleoſa ac tenacia eaque dividunt. Quando acria ſic dicta nimium deficiunt in noſtris humoribus & ſalinum illud naturale deeſt, de quo jam loquuti ſumus, & bilis non ſat acris eſt, oleoſæ partes in ſanguine abundant, adcumulantur, ſecernuntur in membrana celluloſa & adipoſa, adcumulataque ibidem pinguedine naſcitur obeſitas. Ergo ea ratione obeſitas ſine adpetitu eſt, quia denotat, deeſſe in humoribus illum ſtimulum, qui adpetitum excitet. Cæteroqui homines & obeſi eſſe poſſunt & voraces, quales novi. Vel enim poſſunt acria multa & aromatica ingerere (inprimis, quod plerumque fit, majorem copiam vini, ſpirituum ardentium, decocti meraci Coffeæ &c.), quo defectum ſtimuli ſubpleant, aliquando plus quam liceat: vel poteſt acrimonia quædam ſenſim generari in ipſorum humoribus, non tam valida, ut ſolvat pinguedinem, ſed ſufficiens ad ventriculi villos exſtimulandos.

Octava cauſa, *otium.* Dictum antea in AETIOL., cur validis ſeſe exercentes laboribus, bono gaudeant adpetitu. Diſſipant ſiquidem perſpirando potiorem humorum

morum partem; ita ut, si jejunent, cadant in animi deliquia: unde & copioso & solido indigent nutrimento. Quicunque vero suos dies transigunt otiosi, non perspirant multum, non dissipant suos humores, hincque adpetitus naturalis ad deficientis reparationem incitari vix potest.

Datur tamen etiam exceptio in Otiosis. Novi enim, quos in media desidia adpetitus devoret. Otiosi namque, ut de Obesis vidimus, possunt acrimoniam generare in humoribus, quiete & prava diæta; possunt diu jejunare; ita, ut bilis, ventriculum subiens, adpetitum excitet.

In genere interim verum est, otiosos homines desidesque adpetitu privari. Quodnam sic stomachicum remedium? Strenuus labor, dissipans oleosa, movens humores quiescentes, poterit prodesse. Obesi homines conentur motu multo plus perspirare: quo juvant acida multa, infusa aromatica, quæ augeant perspirationem & pro remediis contra nimiam obesitatem celebrantur; v. c. infusa card. bened., centaur. min. &c.; sed, ut dixi, augendo perspirationem obesitati nimiæ possunt prodesse.

Pro nona causa *sitis* addi potest: quamdiu enim sitis adest, nullus adpetitus viget, ut mox visuri estis, agente me de siti. Textus tamen non habet hanc causam.

(Variæ adhuc aliæ addi possent causæ: sic, dum saliva aquosa nimium est saleque omni innato caret, effectus certo sub respectu similis oriri potest, ac si bilis effœta sit: dum nimium exspuitur, dum nicotianæ fumus copiose adtrahitur. Quando saliva sputatione perpetua profligatur, perit utique, BOERHAAVIUS ait, una ex causis non invalidissimis famis atque concoctionis, paratur chylus deterioris

 notæ,

notæ, ſanguis ipſe diluente liquore privatur: ea omnia mala inminent tabaci amatoribus. Certe exiſtimo, conſuetudinem hauriendi fumum ſiccæ nicotianæ nocere omnino macilentis & hypochondriacis, concoctionis vires debilitare, adpetitum ſubripere. Quare, quando primum ejus uſus invaluit, laudata eſt pro vera famis antidoto. — Apud *Braſilienſes* eo ſcopo tabaci fumum familiarem fuiſſe, ex LERYO, tum & paſtillos ex conchyliis cum foliis tabaci, ex MONARDE *Inl.* HALLERUS retulit ad hunc locum.

Præterea abuſus pinguium; abuſus mellitorum, ſaponaceorum, gelatinoſorum, pulverum terreorum, lap. cancror., boli, magneſiæ, tum nitroſorum, pulveris antiſpaſmodici Stahlii, e. ſ. p.; quæ multi adſumere confertim ſolent, quin vel remediorum, vel morbi, quo ſeſe laborare credunt potius haud raro, quam revera laborent, noſcant indolem; verbo, quin, cur illa ſumant, aut ſciant, aut habeant, rationem; abuſus nimii potus calidi, quo multi multæque ventriculum macerare ſolent; ſpirituoſa nimia, acredine ſtypticaque dote fibras conſtringentia; idæa ſenſatiove rei ingratæ, terror ſubitaneus, aut gaudium exſpectationem ſuperans, rodentes curæ, &c. cauſis expoſitis accenſeri queunt.)

Hucusque de cauſis adpetitus inminuti, deleti: progredimur nunc ad cauſas adpetitus aucti, nimii.

1) *Acrimonia acida, ſalina, bilioſa, atrabilia-ria; ad ſtomachum & inteſtina delata.* Revocanda hic, prius de hac materie dicta, erunt in memoriam. Bilis ſiquidem, quamdiu ſtimulat, nec corruptione ſua adpetitum, ut vidimus, delet, potentiſſimum eſt ſtimulans ad adpetitum. Quare & amaricantia omnia dicun-

tur

tur adpetitum excitantia: quod aliquando verum, ut vidimus. Sed, ſi inſatiabilis quandoque hinc naſcatur adpetitus, remedium erit, acidum diluere aquoſis, obtundere oleoſis, inmutare obpoſito ſale alkalino, terreis abſorbere: remedium erit, ſalinam nimis exſtimulantem humorum diatheſin diluere aquoſis; lenire, obtundere oleoſis, mucilaginoſis: remedium erit, bilem nimiam ſolvere educereque de corpore ſapone, acido, eccoprotico: remedium erit, bilem atram ita dirigere, ut partim propediem dicturus ſum.

2) *Vermes*, quorum hiſtoria in AETIOL. data. Remedia varia ſæpe inutiliter adhibentur, ſæpe pulcro cum eventu. Laudari ſolent contra vermes amara quæque, tum ſola amaritie & ſtimulo agentia, tum vi ſolvente & purgante. Aloë, myrrha, aſſa fœtida; ſem. ſanton. zedoar. carthami; rad. valerian.; polypod. querc.; filic. maris, imperatoriæ, gentianæ, helenii; fol. malabathri, ſenn. alex., cent. min., abſinth.; pulp. colocynth., agarici fungus: cort. peruv., ſimarubæ, bulbus allii. Hæc enim omnia mucum abundantem, in quo vermes nidulantur, ſolvunt, abſtergunt; ſtimulant ventriculum ac inteſtina, ut mucum deponant, cum quo ſimul vermes ſæpe vivi expelluntur. Vidi glomeres vermium fere pugnum magnos, intertextos glutini, ſic alvo excretos. Sunt etiam caſus, ubi mercurius, mars, martis vitriolum, æthiops mineralis, ſtannum, cuprum, vi quodammodo propria & ſpecifica contra vermes agere videntur. Utrum vero recenſita hucusque remedia, ſive omnia, ſive multa, ipſos vermes turbent ac necent; an potius mucoſos vermium nidos deſtruant, ambigui hæremus.

(In ſeorſim edito *libello Haeniano de Vermibus*, quod acceſſionibus meis auxi, plura legi po-

terunt circa *anthelmintica.* — Experimenta certissima extra dubitationis posuerunt aleam, vermes a multis remediis fugari, quod infensas, noxias, deleterias hæc in illorum corpora exserant vires; non quod in nidos mucosos operentur: etsi quidem inficias ire non liceat, tum ex illis ipsis remediis nonnulla, tum & diversa alia, nunc dicta ratione in vermes agere. Id vero tenendum, non cuivis vermium speciei noxium æque quodvis esse remedium: hinc incassum sæpe adhiberi rem, quæ in alio casu officio suo non defuerat. Oleum essentiale amygdalarum amararum, cujus parandi normam primum *Cl.* DARIES debemus, ceu egregium vermium intestinalium, teretium inprimis, antidoton commendare queo.)

3) *Fibrarum in iis validum robur.* Sive robur sit universale per totum corpus, sive in primis tantum viis; semper tunc ventriculus & intestina vim maximam exercent in ingesta, cito evacuant & deinde præ stimulo bilis, succi enterici, gastrici, excitant adpetitum. Vidimus enim mox, a flaccidis fibris viscerum languere deficereque adpetitum nimium: χαλκέντερες vetustas dixit hos homines, quasi habentes ænea intestina. Motum peristalticum tales magnum habent. Remedium erit potus copiosus, diuturnus aquæ mellitæ, saccharatæ; maxime potus debilis herbæ theæ cum multo saccharo: hinc talis potus adeo noxius in debilibus visceribus. (Nec salubrius decoctum illud, viribus omnibus orbatum, pulveris seminum tostorum coffeæ, quod non paucæ femellæ, quibus, ut melius compararent, non prospexit fortuna, ex pulvere hoc, dudum jam decoctione exhausto, conficiunt, ventriculum destructum vel odore saltem

coffeæ

coffeæ facile compenſantes. Vix non eamdem rem de mulierculis helvetis queſtus eſt magnus ZIMMERMANNUS.)

4) *Motus adſiduus.* Paullo ante dictum, quantum, & cur, deſidia deleat adpetitum. Ex obpoſito, qui valide movent corpus, hi ſuos diſſipant humores, multum perſpirant, indigent novo alimento perpetuo, ne deficiant. In horum vacuo ventriculo & inteſtinis naturalis ſtimulus falſus monet reparationis perditorum. Eſt una ex rationibus, cur nunquam quieſcentes infantes adeo voraces ſint. (Cur & equitatio, & luſus billard, & deambulatio ſæpe reſtituant deperditum adpetitum, vel ſola, vel aliorum remediorum actionem plurimum adjuvent.)

Ex obſervatis, præcipue RUYSCHII, *obſ. anat. No.* 74., inter cauſas voracitatis recenſeri poteſt *pylorus capaciſſimus;* quo fit, ut ingeſta non ſat diu hæreant in ventriculo; unde ſalini ſtimuli in ventriculo vacuo continuo reſuſcitant adpetitum.

(Pleraque demum, obpoſita illis, quæ antea adpetitum tollere aut minuere fuerunt dicta, eumdem augebunt, intendent: referendus huc & animus curis non obpreſſus, & aër purus, levis; unde in ſummitate alpium helveticarum & homines & armenta adpetitu vigent, nitoreque corporum adeo feriunt oculos.

Viſis cauſis adpetitus *inminuti deleti*, tum *aucti, nimii*, videndæ nunc ſunt cauſæ adpetitus *depravati.*

1) *Acer humor prædominans, vix niſi inſueto adſumto conpeſcendus.* Miramur, & merito, quousque hac in parte hominum trahantur deſideria. Miramur non minus, quomodo expleantur, & quomodo, niſi potiantur deſideratis, langueant inreparabiliter. Obſervavit RHEDI, gallinas, optimo nutritos alimen-

 to

to & carentes arenulis, lapillis, perire solere ab acido ventriculum rodente; quæ eædem, si lapillulis potitæ essent, vixissent. Videmus pueros, puellas maxime, omni industria calcem abradere de parietibus ac deglutire; videmus, quæ cretæ abliguriant copiam maximam: vidi, quæ fabas coffeæ deperirent, quæ avenam crudam, oryzam crudam, fagopyrum crudum; immo, quæ cespites, quibus apud Belgas exstruunt focos (Torff), magna devorarent copia. Vidi præsens puellam, quæ carbones maxima comederet aviditate. Vidi, quæ serici fila, sindonis fragmenta, tam avide copioseque deglutiret, ut plerumque potior excrementorum pars iisdem constaret. Sed essem infinitus, si Vobis omnes hos depravatos recenserem adpetitus: dicti sufficiant!

Si in causam talis adpetitus inquiramus, sæpe acidum incusemus oportet idque adeo acre & abundans, ut expleri tale desiderium nullis aliis rebus possit. Hinc sumunt plurima ex antedictis, quibus acidum suum doment.

Verum, dicetis mihi, id verum esse forte, quoad cretam, arenas, calcem &c., quæ acidum queant absorbere; ast non verum videri, quod oryzam, fagopyrum saliaque deglutiant, quæ acescentia acidum augent.

Res sic se habet AA., & tamen est, ut dixi: ab his crudis siccis rebus inbibitur pro tempore acidum, licet dein multum augeatur. Quum nunc usum harum rerum metiantur ex solamine fugitivo, & cæteros effectus earum ignorent, non est mirum, quod illas adpetant. Instinctus ergo naturalis, cujus originem animalibus increatam credimus, causa est hujus absurdi adpetitus.

An

An ergo dimittendi ſunt homines, maximeque pueri, tali adpetitui? HIPPOCRAT. *Aph.* 2—38. pro ſolita ſua prudentia & ſapientia hæc aurea verba habet: ,, Paullo deterior & potus & cibus, jucundior autem, eligendus potius, quam meliores quidem, ſed ingratiores.“

In Belgio ſæpe viſum, homines febribus intermittentibus pertinaciſſimis ac invincibili fere primarum viarum ſpurcitie laborantes, deſiderio inſatiabili ferri in haleces ſalitos; maxime, dum poſt feſtum *b. J. Bapt.* recentes poſſunt haberi. Vetantibus Medicis & triſtia quæque ominantibus, explevere hi ſuum adpetitum largo halecum eſu repetitoque, ac ſanati ſuos deriſerunt Medicos. Amſtelædamenſis Conſul *N.* TULPIUS *l.* 2. *c.* 20. & 24. narrat, gravidam abhorruiſſe penitus ab omni omnino alimento; tandem incidiſſe in adpetitum inmanem crudorum acetariorum ac piſcis dicti rhombi rigenſis, ſale ac fumo indurati, quo alimenti genere per 6 menſes ſaniſſima vixit: aliam vero gravidam citra ſanitatis diſpendium tempore graviditatis comediſſe 1400 haleces ſalitos.

SYDENHAMUS animadvertit, morbos quandoque graſſari, in quibus id peculiare obtinet, quod, ni aliquid concedatur, ægri male habeant, dum reconvaleſcunt. *Diſſ. epiſt. p.* 459. in hæc verba erumpit: ,, In his omnibus naturæ, ut videtur, aberrationibus, quilibet in praxi medica vel mediocriter verſatus, modo animum diligenter adverterit, facile concedet, ægros haud paucos, ubi primo ſpreto Medici dictamine, genio ſuo obſecundaverint, ſe melius habuiſſe.“

Sunt ſane in hiſce rebus nonnulla inconprehenſibilia. Toties vidi & obſtupui, fœminas horrere, abominare res quasdam, quas gravidæ factæ perdite amarent,

rent, a puerperio mox abhorrerent: immo, quæ de graviditate dubitantes, renato illo adpetitu illius certæ erant. Ex obpoſito multas vidi, quæ tempore graviditatis abominarentur talia, quibus non gravidæ unice delectarentur. Neſcit illa rationem, neſcit & Medicus. Eſt tamen odium iſtud, iſte amor, tantæ ſæpe efficaciæ, ut ſolus defectus pariat abortum, vel alia mala.

Quid ergo faciendum? An ultro prava quæque deſideria ægris noſtris conceſſerimus? Abſit: eſt modus in rebus. Quid enim opus eſſet, tot pulcra didiciſſe monita, tum ex ipſo HIPPOCRATE, tum ex optimis quibuscunque Practicis celeberrimis, qui nobis ſummam alendi inculcarunt prudentiam? Quî poſſet famam, probitatemque ſervare Medicus, concedendo talia, quæ, ne noceant, prudens vereatur? Annon & centies rerum vetitarum expleta deſideria in magnas miſerias, in ipſam mortem, conjecerunt ægros?

Ergo canones formandi, quibus muniti in neutram partem offendamus, ſecundum auream regulam HIPPOCR.: „ Ne quid temere, ne quid negligenter."

1) Virum probum nunquam oportet contra conſcientiæ dictamina quid agere, aut contra conſcientiam, ut vocant, erroneam.

2) Sunt Ægrorum adpetitus, quibus obſequi artis leges conſtanter vetant. Homo vino deditus in valida febri fertur adpetitu indomabili in mores antiquos. Medicus novit, quam oleum igni additurus ſit æger; adeoque & hoc & quidquid ejusmodi ſit, concedere, principia medica vetant. Videte exempla apud HILDANUM. A magnis morbis, aut vulneribus jam curatis, præpropera, eaque fervens, Venus conceſſa certiſſimam infert mortem (ſummumve vitæ diſcrimen). Sunt igitur infinita, circa quæ ne dubium quidem

dem esse possit. Gravida, abortum olim passa, tanto fertur saltandi amore, ut mori, quam non saltare, mallet. Medicus constanter debet veniam saltandi negare; sin nolit obedire mulier, culpa in eam, non in Medicum, cadet.

3) Sed, ut præcedentia certa, ita & multa sunt dubia, an nocitura sint, nec ne? Gelidam desiderat ardentissima febri tostus Æger: novit Medicus, fuisse, qui eo tempore epota gelida mitius habuerint: novit Auctores, qui virtutes aquarum gelidarum in acutis inmenso extulerint encomio. Sed idem ille Medicus novit, quæ infortunia inde nata, tum probati Practici notent, tum viderit ipse. Natura rerum dictitat, ut in dubiis pars tutior eligatur: omni ergo ratione conetur huic desiderio obviam ire, aut det modo cochleatim. (Satius est, sub initium Ægro flagitanti aquam propinare, & minori simul & semel dosi, & egelidam, & acido vegetabili, aut vitriolico tantillo, remistam: hac enim ratione concessa, utilitatis omnino plus adferet, quam si Æger æstui relinquatur torrenti, malum omni ex parte continuo augenti, exacerbanti: liberaliori manu sensim administrari poterit latex.)

4) Inpossibile tamen est, quin in alterutram partem non offendant quandoque Medici, & famæ jacturam nonnihil patiantur. Res enim dubia, negata a Medico, clam ab Ægro adhibita, effectu non malo, creditur salutem adtulisse: ita quippe cum hominibus comparatum est, ut, quod inmani tali desiderio efflagitaverint, id credant maxime salutiferum fuisse, & Medici vel ignorantiæ vel morositati id negotium tribuant. Sic animo posthac ludunt Medicos; immo contigit mihi, ut curationis laudem non industriæ meæ, sed usui negatarum a me rerum adscriberent & cuivis obvio

nar-

narrarent. Hinc, dico, ſunt res ejusmodi naturæ, ut inpoſſibile ſit, aliquam non incurrere famæ jacturam. Sed an hæc inevitabilis jactura famæ nobis aliter agendum ſuadebit? Non videtur. Ponite enim, Medicum in rebus his incerti eventus concedere paſſim adpetita; ſi bis, ter, forte innocue; decies e contrario calamitoſe cedent Ægris. Mox fama vagatur, homini, qui tam peſſimam recidivam habet, vel mortuus eſt, conceſſum fuiſſe uſum talis vel talis ambiguæ rei. Uno omnium ore, unitis omnium votis, Medicus reus eſt mortis. Quid ſi in tali morbo ingraveſcente alii advocentur Medici, qui hæc illave, quæ ambigui effectus diximus, conceſſa intelligant? Quantopere invehi poſſunt in Medicum ordinarium! quot laceſſere injuriis! quantis inpetere calumniis! Igitur poſſumus in utramque partem offendere: ſed 1) præſtat aliquid pati, ductum ſequutos conſcientiæ, quam non ſequutos: 2) præſtat, periculum famæ bis incurrere, quam decies.

5) Quo minus pericula talia incurramus, caute mercandum, maxime cum infantibus, melancholicis, hyſtericis & gravidis. Nota ſententia: „ nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata.“ Sunt Medici, qui, ut ſapientiam ſuam venalem exponant, catalogum recenſent, coram Ægro, rerum vitandarum; quo fit, ut ſopita libido vehementer excitetur, nullas dein nôrit habenas. Unde præſtat, nihil dicere, & ſi quid metuamus pravi deſiderii, potius cuſtodi, vel familiæ innuamus, quænam neganda ſint, dum petantur, injungereque illis, ne vetitorum injiciant mentionem.

Videmus 6) ridiculos mores Medicorum, prohibendi res fere infinitas in morbis: adcuſare ſolent tot alimenta pravitatis, ut fere reſtet nihil, quo Ægri alantur; unde a defectu virium ſæpe plus laborant, quam

a mor-

a morbo. Si panem in jusculo rogat Æger, putant eum fere delirare, qui panem rogare ausit; qui tamen clanculum eum furatus, vires adquirit. Cerevisia, aqua frumenti, sive ejus decoctio, denegatur plerisque Ægris, ob quam causam nescio. Si enim metueremus, ne spirituosior nimis agitaret, aqua dilui posset; maxime, si ingenti ejus Æger feratur desiderio. Quotiesne in acutis concessit cerevisiam SYDENHAMUS! immo in ipsis variolis. Quanta rigiditas circa fructus horræos! uno verbo, dum plures res possunt concedi, quæ nunc negantur, tyrannidem veram exercemus erga Ægros, qui non sunt frustrandi, nisi iis, quæ ex bonis artis principiis novimus obesse, vel de quibus magna cum ratione dubitamus.

Quæ ad consuetudinis vim in morbis spectant, in historia vulnerum dicta fuerunt.

Redeamus nunc ad causas adpetitus depravati. Primam vidimus esse, acrem humorem prædominantem; secunda recensetur: *circuitus cruoris mutatus, imaginatio depravata, gravidis inprimis.* Hanc secundam causam jam tetigi in explicanda prima; pauca modo addenda habeo.

Mira res in gravidis, quod mutata in ipsis circulatione illico in adpetitus ferantur multæ; ut aliquando explere eosdem sit nefas. Quid magis horrendum, quam ferri gravidam adpetitu inexplebili in carnes humanas; ut pretio conductus homo debuerit permittere gravidæ, voraces brachio suo inmittere dentes? Quid magis insolitum, quam quod proba & sobria mulier, jam gravida, adpetitu torqueatur in vinum rhenanum insatiabili; ita, ut explens desiderium suum plus ejusdem biberit citra ebrietatem, quam viri duo strenui vix epotare possent? &c.

Quid

Quid dicemus ad hæc omnia? Vidimus antea jam, quid faciat quandoque τὸ ἐνοϱμῶν; quam inmaniter ſæpe ferociat effræne. Idem in hoc caſu eſt. Semel nata idæa hujus deſideratæ rei, animus haud amplius ſanus eſt. Illud inpetum faciens jam nulla ratione adigendum eſt, ut ſileat: quodſi compos non fiat, vel peſſumdat, vel lædit, fœtum.

Quum autem inmoderata talia deſideria & rationi & religioni ſint obpoſita; in rebus vel pravis, vel difficulter obtinendis, blande, ſerio tamen, monenda eſt mulier, ut velit habenas inmittere deſiderio illegitimo, ne conſcientiam lædat, vel fœtum. Probrum & ſtultitia adpetitus hujuscemodi vivide ob oculos ponatur, ut ſaltem vel rationis, vel religionis vinculis abſterreatur.

Quodſi vero hæc omnia non ſufficiant, res ſane deploranda eſt; nec tamen, quod male petitur, eſt concedendum. Dum autem multo labore & induſtria aliquando poteſt maritus conquirere rem rariſſimam, quæ ſumta obeſſe nequeat, utique conquirere illam tentet.

Omne, quod hic videmus, eſt mutatio circuitus humorum. Plerumque enim gravida non habet menſes, & fœtus nondum totam plethoram fœmineam conſumit in ſuum nutrimentum incrementumque. Ergo reliqua vaſa id ſuperfluum intra ſe locant. An putatis, hinc cauſam depravati adpetitus pateſcere? Non credo. Cur enim fœmina citra graviditatem plethoricotata non habet hos depravatos adpetitus? Immo, cur mulieri gravidæ, demta per v. ſ. plethora, hi pravi adpetitus non ceſſant? Cur & plures ex adpetitu mutato, aut depravato, nôrunt certo, ſe gravidas eſſe, antequam primi menſes deficiant? Ergo latet hic aliquid, quod ignoramus cum cæteris.

Moni-

Monitos tamen Vos velim, aſtutas noviſſe me fœminas, quæ bonos maritos cogerent, in graviditate ſibi in omnibus deſideratis ſatisfacere, dum illos ea inbuiſſent opinione, negata deſideria infanti nocitura.

§. 804. *Potus deſiderium inexplebile, ſitis nimia, ſolet oriri a nimia ſiccitate.* In hominibus ſanis obſervamus conſtanter, cutim univerſam externam internamque continuo humidam; quo fit, ut maneat motibus ac functionibus exercendis homo aptus. Vidimus hoc in doctrina de perſpiratione, ubi ſimul dictum, deficiente illo perſpirabili, naſci in cute externa ſiccitatem, naſci & in interioribus oris, linguæ, gutturis, œſophagi &c.

Si homo febri valida decumbat, atque ita ſicceſcat, nec de hujus ſiccitatis moleſtia conqueratur, ſignum eſt, quod ἡ νῦς νοσέει (quod mens ægrotet.) Unde & in *Coacis prænot.* dixit HIPPOCR. „ Sitis *præter rationem* ſoluta, in acutis, malum:" quia cauſa ſitis adeſt, nec cum mente communicatur: cerebrum ergo vides adfectum. Etenim ſanæ mentis homo, mox ubi ſiccus fit, percipit illico monitorem in ſe, ſitim; monentem id, quod deficit, potu reſtituat. Si enim talis ſiccitas duraret, ægrotaret brevi, interiretque. Hæc ſitis adfectio, non ratione, ſed potu, eſt compeſcenda. Si per ſabuleta die ſicco, calido ambulaverimus, ſentimus nos ſiccos ore, oculis, naribus; nec corporis vigor redit aut adpetitus, niſi ſiccitatem prius emendaverimus. Juvat tunc potus calidus, aquoſus, vel ſubtepidulus, ad os colluendum, bibendum, manus lavandas pedesque: quibus efficitur, ut brevi nobis redeat mollitudo & humiditas omnium partium.

2) *A ſpiſſitudine humorum inmeabilium.* Noſtis, dum de morbis humorum ſermo erat, eam illorum eſſe indolem, ut varii per varias vaſorum ſeries transfluant; re-

requiri ad hoc debitam fluiditatem. Præſente autem nimia ſpiſſitudine, vas illud, quod transfluere humor peccans deberet, ultra non eſſe permeabile; adeoque, ſi in multis ſimul vaſis hæc obtinerent, lethales oriri obſtructiones. Porro his averruncandis neceſſarium fuit, tale quid corpori ineſſe, quod *ſitis* adpellatur; ut homo hoc monitore incitatus biberet, inmeabilesque humores iterum redderet permeabiles. Eſt ſiti plerumque juncta anxietas, quæ ad bibendum tanto fortius incitet & cogat. Medela anxietatis potus eſt, æque ac medela ſitis.

3) *A calore nimio.* Caloris nimii effectus in AETIOLOG. dicti. Diſſipantur eo, ſive aëris, ſive lecti, ſive febris ſit, fluidiora, reliqua inſpiſſantur, ſiguntur. Ergo facit ſiccitatem, ſpiſſitudinem, inmeabilitatem; quæ omnia mox recenſita.

Coqui, ante ignes magnos perpetuo verſantes, ſitiunt multum & bibunt: demum bibunt tantum, ut deleant adpetitum ciborum ac deinde nunquam fere comedant. Potus enim continuus & copioſus involvit (ac infringit, diluit) ſuccum gaſtricum, quem pro parte eſſe diximus adpetitus cauſam. In genere verum, quod magni potatores fiant inadpetentes, niſi principio quid ſtimulantis potus ſumant. Si pergant, occaleſcunt pori exhalantes in ventriculo (papillæque ſentientes) & humores ſpiſſi non ſecernunt liquidum.

4) *Ab acri muriatico, ammoniaco, alkalino, aromatico, oleoſo exuſto, a venenis.* Hic cauſam ſitis videtis diductam; non ab humorum defectu, ut in prima cauſa, non ab inmeabilitate aut calore, ut in ſecunda & tertia; ſed a mechanica acrimonia. Hanc acrimoniam variam pro dignitate jam ſæpius recenſui & explicui.

A ve-

A venenis. Et hic, & in omni acrimonia, ſitis eſt ad acrimoniam delendam & abluendam. Mercurium ſublim. corroſivum aquæ enormi copia SYDENHAMUS ita diluit, ut vita conſervaretur. Hinc potus lactis, aquæ, olei, palmaria remedia ad omne venenum. Ergo ſitis ſalutaris. Sunt tamen venena, quæ ſiti inexſtinguibili occidunt, ut morſus ſepis anguis.

§. 805. *Manducatio læditur vitio oris, linguæ &c.* Hucusque in genere egimus de adpetitus vitiis ac de ſiti: iam vero ordimur, partium omnium ac ſingularum, ad manducationem, digeſtionem, egeſtionem pertinentium, ordine recenſere læſiones, earum ſymptomata, cauſas, medelam.

(Ample hic expoſuit *Cel.* HAENIUS totum manducationis & deglutitionis negotium: quum vero hæc PHYSIOLOGIÆ concernant pomœria, tantaque ſuperſit dicendorum moles; omitti ea hic abs reprehenſione poſſe cenſui; quum præterea ne Ipſe quidem *Cel.* AUCTOR in omni *curſu* pathologico hæc tradiderit. Reſervavi tamen, ac a reliquis ſejunxi, quæ PATHOLOGIÆ propria.)

Prout partes manducationi aut deglutitioni famulantes, os, labia, lingua, dentes, gingivæ, maxillæ, ſaliva, muſculi, palatum &c. ab indole ſua naturali ac legitima magis minusve receſſerint; majori etiam minorive inpedimento ac in ſanitatem vitamque redundante inde damno, actiones hæ perficientur.

In morbis paralyticis labii inferioris, ut & in fiſſura, aut ulcere ejusdem, bibere non poſſunt homines methodo vulgari, ſummum vitri marginem recipiendo intra os labiumque inferius adplicando extrinſecus margini vitri; ut ſit quaſi continuatum vitro, aliter dilabente potu.

Sed & vitia labii ſuperioris inpediunt maxime potionem, dum labium hoc demergamus in potum ſic, ut nulla ſit via aëri inter potum & ſuperius labium; manente tamen inter hoc & partem vitri loco anguſto, quo in os inlabatur potus. Qui habent labium leporinum, partitis vicibus potum adtrahunt; uti etiam, queis labium ſuperius paralyticum.

Mox ubi a vitro remotum os, adprimuntur dentibus & gingivis labia, ne potus in id cavum cadat. Moribundis, viribus labium adprimendi carentibus, effluit ex ore potus: paralytici in facie manu labia adprimunt. Tum, qui labium habent leporinum, adtrahunt liquida ſenſim & ſemper aliquid effluit.

Quum lingua, nobis bibentibus, ſtatim dilatet apicem, ut fere contingat ambitum dentium, ac porrigat ſe usque ad marginem vaſis inter dentes; non bene bibitur, dum vitium quoddam eſt in lingua.

Eodem tempore lingua dilatata contingit undique ordinem dentium ſuperiorum, hærente potu inter linguæ dorſum fornicemque palati; quo paratur cavitas pro potu locando, nec guttula elabente, quum lingua ſe dentibus undique adplicet. — Hinc, quibus gingivæ inflammatæ, dens dolentiſſimus, ii non ferunt hanc adplicationem: jam vitium deglutitionis!

Quibus dentes deficiunt, illi minus perfecte bibunt; effluit enim facile quidquam: lingua quidem ſeſe adplicat gingivis, verum dentes debent firmare (ac producere quaſi) gingivas.

Lingua deglutientibus apice adlidit ad anteriora palati undique, ſucceſſiveque tangit palatum ad poſteriora usque: quo potio preſſa a lingua contra palatum retrorſum vergens, agitur ad fauces.

Quibus itaque lingua paralytica, (aut ob morſus, v. c. in epilepticis, multum vulnerata eſt) potio ſic non ducitur

tur retro, nec pergit ad fauces, nisi capite reclinato. Ubi inflammatio, ulcus, tumor in lingua, fit in bibendo exacerbatio doloris; ut vidimus in illa fœmina, cui *Cel.* JAUS tam feliciter partem linguæ duram abscidit. Etiam dolores illis in bibendo, quibus ejusmodi mala in palato. Quibus a lue venerea palatum erosum & foraminulentum, his potio in nares abit: lamina illis & spongiola foramen claudi oportet, vel manu obturare nares.

Vidi hominem, cui dentes unius lateris cum parte alveolorum exciderant, vix valentem bibere; quia lingua extrorsum premebat potum.

Simul ac potio vi linguæ ad fauces pervenit, edimus nixum: hoc proprie *deglutire* dicunt; ita, ut, quidquid ibi hæreat, titillando, aut premendo, efficiat, ut nixum edamus. Vel sola ipsa uvula, laxiori propendente, aut inflammatione irritata, volentes nolentes nixum edimus, illam quasi deglutiendi. — Nixus hic fit magno conatu: ubi ad has partes inflammatio hæret, vel infixa spina, quanta vi, quanto dolore peragimus hunc nixum!

Dixerunt VV., deglutienda pondere solo suo descendere; sed contrarium patet in iis, quibus palatum molle lue venerea exesum est: pellitur iis liquidum vi magna in nares. Fauces enim non omni ratione infundibulum sunt; nam musculi debent propellere. Unde in moribundis potio non deglutitur, sed delabitur ejus aliquid strepitu, quasi per infundibulum; potissima pars hæret. *Celeb.* ALBINUS consilium rogatus a matrona nobili, quæ vix nisi aliquot guttas liquidi deglutire poterat, inspexit fauces & detexit paralysin in dimidia faucium parte.

Vitia jam partium, manducationi, aut deglutitioni, inservientium oriri queunt a variis caufis: textus enumerat fequentes.

1) *Vulnera*, in quacunque demum illarum partium: nam dictum hoc esto pro omnibus caufis, ut, fi vel minima pars ex tot centenis, quæ huc faciunt, laboret vitio; manducatio tota, vel tota lædatur deglutitio. Sit modo in labio inferiori ulcufculum, vel rhagadoideum vitium; fit tuberculum ad gingivas; doleat vel dentis radicula; occupet vel puftula linguam; doleant genæ ab inflammatione aut gingivæ in odontalgia; vel polypus narium in fauces excurrat; vel uvula tumeat, vel tonfillæ; vel fint mufculi offis hyoidis, aut pharyngis, aut laryngis inflammati; tota actio vitiatur. Studio hoc addo, quod inflammatis mufculis laryngis inpediatur deglutitio; nam cogitaretis forfitan, deglutitionem per illos non peragi, adeoque illis male adfectis non lædi. Minime fic eft. Ex hiftoria deglutitionis patet, furfum vehi laryngem & glottidem cum epiglottide in ultima actione deglutitionis contra radicem linguæ. Si igitur laryngis mufculi inflammati fint, ut in κυνάγχῃ & παρακυνάγχῃ, dolor ille adeo vehemens eft, ut deglutire vix queamus; licet inflammatio directe non occupet organa deglutitionis. — *Vulnera* ergo 1mo vitiant has partes; quamcumque demum earum adfecerint.

2) *Inflammatio*, ut in omnibus anginis inflammatoriis; ubi vel fauces vel fuperiora afperæ arteriæ, five larynx, inflammentur; in inflammatione linguæ, gingivarum, genarum. Quid quod deglutitio etiam læditur inflammato diaphragmate? *Egregius* HALLERUS *tract.* pecul. *de mufc. diaphrag. p.* 81. „Hujus, ait, (mufculi inferioris finiftri diaphragmatis) portio inferior ftringitur carne mufculorum inferiorum, ita fe excipientium,

ut

ut fasciculus ex crure dextro in finiſtrum, aliusque a ſiniſtro in dextrum adſcendat; quibus medius interceptus œſophagus. Unde deglutitio abolita in inflammatione diaphragmatis, HEISTER *Diſſ. in Commerc. Norimb. Tom. I. p.* 207., & in hyſtericis ſpasmodice adfectis."

Ex communicatione etiam hac vicinarum partium oportet ut intelligamus anginam cum dolore aurium. Levator palati mollis, ſive ſalpingo-ſtaphylinus internus & circumflexus palati, ſive ſphœno-ſalpingo-ſtaphylinus, facile inflammantur cum velo, uvula, & cæteris uvulæ muſculis. Hinc aurium dolor, vel unius, ſi muſculus ſimul inflammatus, qui a velo ad tubam Euſtachianam decurrit: nam tunc tubæ ſubſtantia initio inflammata, facit, ut interna auris doleat, tubæ inflammatæ actione.

Cura ſumme antiphlogiſtica hic requiritur, nam fauces ſæpe non patiuntur diu inflammationem (ob inſequentem mox gangrænam), &, ut ſæpius Vobis dixi, dum vel ob temperiem, vel ob graviditatem, hic viribus nimis religioſe parcere intendimus, Ægrum neci tradimus. Sed hæc petenda ex *Cap. de Anginis*.

3) *Dolorem*, ut a tumore, vel quacumque partium inflammatione ſequi, neceſſe eſt.

4) *Tumorem* ab odontalgia, tumorem a linguæ ſcirrho, aut carcinomate; ut in noſtra muliere vetula vidimus, quæ pulcre in noſocomio curata fuit; tumorem ab angina ſcirrhoſa, aquoſa; tumorem a polypo (a materie calculoſa peculiari quaſi ſacculo incluſa) Omnium vero horum curatio pendet a curatione ipſius hujus inpedimenti.

5) *Spaſmum*. Angina perfectiſſima ſpasmis ſæpe debetur in hyſtericis; ita ut, ignorata cauſa, curatione inflammatoria peſſime adficiantur. Anno 1743 conti-

git, ut fœmina 50 annor., macilenta, hyſterica, aviďiſſime piſa griſea comedens, ſentiret, ſibi fauces illico conſtringi omnemque poſthac deglutitionem inpoſſibilem eſſe; immo ſibi bolum videri, nec ſurſum poſſe, nec deorſum premi. Erat anxietas enormis, & ante meum adventum cura inflammatoria egregie, ſed incaſſum, erat adhibita. Injiciendum curavi mox enema eccoproticon ac paullo poſt aliud ex gr. iv. opii & unc. vj. lactis. Somnus oboriebatur placidus, eoque pacto ſpasmus ſolutus erat reſtitutaque deglutitio.

Sed tetanus, ſpasmus maxillæ inf. id facit. Habui caſus olim in praxi, ubi inde die 4ta mors, ſine ulla deglutitione: caſus habui jam ante multos annos, ubi tales tetanos curatos vidi poſt multos dies; ſed vigente ſpasmo inpoſſibilis deglutitio fere, niſi guttatim quid inter foramen, ubi olim dens fuerat, eſſet inlapſum. Clyſteres talibus nutrientes dabantur quotidie. — Sed habui alium caſum notabilem. Epilepticus juvenis a tribus annis incidit 1754. 25. Febr. in ſubitum œſophagi ſpasmum, qui duravit totis tredecim diebus. Toto illo tempore ne guttula quidem intravit per œſophagum: ter quater enema nutriens injectum eſt, ſed a minimo motu corporis lipothymia tanta orta, ut, mortuusne eſſet, dubitaretur: unde ultra non injectum. Cucurbitæ ventoſæ videntur forte tandem ſpasmum ſolviſſe. Epileptici inſultus poſtea more ſolito redierunt.

Spasmos œſophagi fungi mali etiam faciunt. Anno 1744 cum *Illuſtriſſ. Barone* VAN SWIETEN hunc caſum habui in fœmina Principe Ruſſica; unde læſa deglutitio a biennio. Cum conſilio *Inl. Baronis* curavi hoc malum ſequenti modo:

℞.

℞. Oxymel. ſquillit. ℥iij.
Tinct. myrrh. ℥j.
Aquæ ſtillat. rut. ℥xv.

Omni trihorio ſumat ℥j. cum ℥v. aquæ ſelteranæ. Notandum, quod ſimul aſthmatica eſſet, & quod aſthma non multo melius.

6) *Paralyſin.* Medicus VAN DER STERRE in *Prax. med. chir. obſ.* 8., paralyſin talem detexit in agricola eamque curavit injectione ſpir. c. c. & tinct. caſt.; facta ſubinde purgatione per alvum: repetita per aliquot dies injectione. Triennio poſt hominem eumdem eodem malo adflictum curare ſe non potuiſſe ſcribit, quia non in hanc paralyſin advertiſſet animum & curæ illius prioris bonæ oblitus fuerat. Fruſtra tandem quibusvis tentatis memoria priorum ſibi refricata, hominem eodem, quo olim, modo curavit. Hanc paralyſin vidi natam 1742. media æſtate in ſeptuagenaria fœmina, a frigore ſuſcepto in calidiſſimum corpus. Die 24. hæc paralyſis illi lethalis evaſit.

7) *Siccitatem*, ut toties explicui.

8) Χονδρογενίαν; miſerrimum illud malum, in quo cartilagineſcunt, indureſcunt, ſcirrheſcunt partes circa fauces & in œſophago. Ex variis in cadaveribus obſervatis Tractatulum edidi ante quosdam annos, & occaſiones varias poſthac habui, hunc morbum videndi. Ex tractatu meo hic aliqua exempla adducenda. — Tribus ſeptimanis, antequam Hollandiam reliqui, cum celeb. Anatomico Hagienſi inveni inpeditam deglutitionem a cauſa ſequente. In anteriori œſophagi facie tumor ingens conparuit, præciſe ſub dichotomia aſperæ arteriæ, inter 6. & 7. coſtam. Separabamus pulmonem ſiniſtrum ab hoc tumore quam facillime, dextrum ægerrime, ut mox dicam. Ex œſophago ſuperius abſciſſo lactea materies effluebat, intra autem

lac inventum coloſtratum, quod miſer miles adhuc conatus erat deglutire. Oeſophagus ſupra tumorem quidem amplior infraque conſtrictior; ſed non ita, atque in aliis cadaveribus detexeram. Digitum in œſophagum intrudendo deorſum anguſtia percipiebatur, digitum conſtringens: motus digitus inæqualem undique deprehendit duritiem. Pulmo dexter tumori erat adcretus firmiſſime; tamen prudenti cautela inde ſeparabilis: ita, ut noſtrum dubium evaneſceret, ortusne eſſet tumor œſophagum conprimens ex ipſo pulmone?

Igitur exacte ille examinatus tumor inter binas œſophagi tunicas creviſſe deprehendebatur; nec purulentus dicendus, nec ſcirrhoſus, ſed verius ſteatomatoſus. Erat autem œſophagi ſuperficies interna anterior per totam aream tumoris ſua membrana ita denudata, ac ſi forcipe in toto tumoris ambitu eſſet ablata. (*) Tumor cogebat aſperam art. atque aortam iter cur-

---

(*) Anno 1767 menſe Junio, *Cel.* AUCTOR in margine codicis ait, cum *Magnif.* KESTLER vocabar ad Ægrum, cui a 4 diebus *Exp.* HUMBOURG medicinam fecerat in angina; quæ jam ſic gangrænoſa, ut membrana ſepararetur & ejiceretur ab Ægro. Primo adſpectu videbatur eſſe tota incraſſata membrana interior aſperæ arteriæ, ſed bene examinata erat factitia membrana, a ſero transſudante, ut ſæpe in cadaveribus fit.

(Membranæ ſimiles, alvo excretæ, inpoſuerunt & ſæpius minus exercitatis, ut tunicam inteſtinorum aut ventriculi internam ſeceſſiſſe, illico crederent.)

curvum inſtituere. Portio pulmonis dextri, quæ tumori adhæſiſſe jam dicta eſt, quodam tumore peculiari ſteatomatoſo in expoſitum magnum œſophagi tumorem abibat. Veſalianæ glandulæ paullo ſupra tumorem e poſtica œſophagi parte inventæ ſunt non adfectæ: ergo 1) glandulæ in cauſa mali non erant: 2) aderant revera; quod quidam negant: 3) deglutitio læſa, primo a tumore; tum a defectu membranæ internæ, ſuis fibris orbicularibus & longitudinalibus deglutita promoventis.

Curatio in provecto malo rarior, in incipiente felicior; modo a principio adtenti ſimus. Petenda cura ex tractatu meo. Id modo dolendum, quod a principio talis morbus non cognoſcatur, qualis poſthac, quando fere incurabilis eſt, deprehenditur. Ludit enim ſpecie glutinoſi morbi; ita, ut gluten incidere & evacuare dum dudum fruſtra adlaboraverunt Medici, tandem, quum ſero eſt, hunc morbum eſſe detegant. Facimus tamen aliquando adhuc boni quidquam in inveterato malo.

Anno ante diſceſſum meum Virginem quinquagenariam, jam ab annis aliorum opem fruſtra expertam & jam nihil fere ultra deglutientem, multum juvi, ſuadendo, ut plane deſiſteret ab omni medicamento, quia eſſe inutilia videret, & ut conaretur deglutire aquam cum lacte & melle miſtam, quantum poſſet: primo parum, dein plus, tum multum deglutivit, eoque ante diſceſſum meum pervenit, ut jam carnes, piſces, olera, bene primo manſa & pauca copia ſimul ſumta, cum facilitate & oblectamento deglutiret. Quando ultimum vale ipſi dixi, hortatus fui, ut per totam vitam præſcripto potu uteretur.

9) *Luxationem partium laryngis;* uti VALSALVA habet *c.* 2. *§.* 20. Hyopharyngæi erant bolo craſ-

ſiore

fiore nimis extenfi & hinc adpendix cartilaginea offis hyoidis luxata: contrectatione VALSALVA malum curavit.

Omnes cartilagines laryngis certo ac definito modo inter fefe nexæ & coagmentatæ funt; ita, ut minima ibidem luxatio vel dislocatio totam deglutitionem vitiet. Vidimus cum bona pharynge lædi deglutitionem vitio laryngis.

10) *Aut vertebrarum colli.* In deglutitionis actione moderamur collum ad commodam hanc actionem: in luxatione id non poffumus. Quin plures mufculi, deglutitioni infervientes, ad poftica faucium fupra vertebras hærent; qui, luxatis vertebris, inflammantur, distorquentur.

11) *Abfentiam muci.* Explicui. Hinc HIPPOCRATES: „ fauces glabræ, mortis prænuntium " & alio loco damnat „ fauces fplendentes." SYDENHAMUS eodem modo loquitur. Ergo eft peffimi ominis deficiens in morbis hic mucus: 1) ut fignum ita incraffati fanguinis, ut omnino obftruat, obpleat has machinulas mucum fecernentes; 2) ut caufa deglutitionis inpoffibilis, quæ tamen adeo erat neceffaria ad conlapfas vires reparandas.

Confideranda jam fymptomata læfæ actionis ventriculi in ingefta.

§. 807. *Actionis ftomachicæ læfæ primæ fpecies funt: ἀπεψία. Πέψις coctio; Ἀπεψία coctio nulla; (indigeftio): Δυσπεψία difficilis coctio: Βραδυπεψία,* quando coctio *longa mora* indiget, ut perficiatur: *Διαφθορὰ*, quando cibi in ventriculo mox vertuntur in *fuam naturam;* ita, ut acefcentia brevi acida fint, alkalefcentia brevi alkalina: unde in morbis acutis ad folum carnium nomen exhorrefcant. Fit in his ventriculis idem, quod in febri ardente fit adplicitis ad plan-

plantas pedis & cavos poplites axillasque lamellis carnis vitulinæ, columbis vivis apertis, halecibus: brevi enim in putridum vertuntur liquamen & tum profunt fuo ftimulo (nocent illa in ventriculis, faburra putrilaginofa ftagnante, per longum inteftinorum tractum primum deducenda, magna parte reforbenda). Sed hæc omnia citius in putridis morbis; in Διαφθορᾷ lentius; quia ibi tantus fons putredinis non eft.

Quando cibi ventriculo contenti: expofita omnia funt.

Caufæ funt eædem fere ac ἀνορεξίας: hæc omnia toties dicta.

Organa refpirationis languida. Inter caufas enim, quæ ciborum concoctionem promoveant, ex *Phyfiologicis* noviftis, effe validam illam actionem, qua diaphragma & mufculi abdominales in ventriculum ejusque contenta agunt. In refpirationis fiquidem actione continuo adtollitur, deprimitur, conprimitur ventriculus. Languente igitur hac actione, contenta alimenta minus mifcentur, minus moventur, minus adteruntur, tardius fubiguntur & coquuntur. Eft una ex caufis, cur adeo fæpe voraces afthmatici.

Sordes, ut dixi ad §. 803.; emeticum fæpe curat.

Vermes; explicui in *hiftoria vermium.* Sæpe excitant nimium adpetitum, ftimulo rodentes, nutrimenta confumentes: fed & adpetitum fæpe in naufeas vertunt, fi eorum mortui quidam in ventriculo aut inteftinis putrefcunt. Præterea motum ventriculi naturalem inmutant fuo motu, abforbent liquidiora, fuccum ventriculi naturalem; atque fic efficiunt coctionem difficilem (accedente infuper enormi fæpius, in quo tuti reconduntur, delitefcunt, generantur, muci copia.)

Te-

Tenacia ingesta, ut gelatinas, pedes vervecinos, porcinos (inprimis bovinos, vulgi delicias; tum & ſegmenta oris bovilli) lac coloſtratum, caſeum (muſculorum aponevroſes, quas multi omni carni ſapidiſſimæ longe præferunt): quæ non niſi multa opera macerantur, ſolvuntur, adtenuantur, miſcentur, percoquuntur. (Remanente ſaburra viſcida, ventriculum gravante, oſcula excretoria lymphæ gaſtricæ, oſcula exhalantia, inhalantia obliniente; putreſcente magis mora caloreque, quam digeſta: unde nauſea, adpetitus deletus, ructus cadaveroſi, e. ſ. p) quo ad hæc ingeſta bilis aut copia, aut virtute, minor eſt (quo debilior ſuccus gaſtricus, quo atona magis ipſa viſcerum fabrica); eo adhuc tardior ventriculi & inteſtinorum in eadem actio.

Putridorum humorum adfluxus, ut in hiſtoria bilis dictum.

Celerior digeſtio, cæterum bona, raro morbus eſt; niſi, quod tenuis ſortis homines ſic totum exiguum ſtipendium cogantur pro uno ventriculo dilapidare (atque vel hoc ſub reſpectu morboſo ſtatui accenſenda, quod, ni ventriculus continuo ſit inſtructus cibis, virium proſtrationem, laſſitudinem, oſcitationem &c. tales experiantur: non ciborum copia ſola, ſed remediis, humorum inquilinorum acredinem domantibus, malum emendaturis.)

§. 808. *Vitia vero expulſionis ex ventriculo recenſentur* 1*mo ſingultus &c.; quorum primum eſt, ut videtur, convulſio œſophagi, ventriculum & œſophagum ſurſum trahens, dum ſimul diaphragma ſubito deorſum convellitur.*

Magnus BOERHAAVE, explicaturus ſingultum, *ut videtur*, ait, & merito quidem; nam, quantumvis

ex-

explicasse videamur, superest semper aliquid, in quo hæreamus. Faciamus periculum.

Dico: ponit textus fieri 1mo convulsionem œsophagi; 2do convulsionem diaphragmatis, eaque fere simul. Sane si recordemur, quæ nobis singultientibus contingebant, deprehendimus, motum subitum sursum, mox deorsum, idque alternatim. Si ponamus, in singultu ventriculum arctari a re quacumque, quasi vi convulsiva, tunc diaphragma & [vel] musculi abdominales ad contractum ventriculum se adplicant, ut vacuum locum inpleant.

Porro ventriculus cum toto œsophago est unum modo corpus. Ille igitur ita se contrahens in minus volumen, distrahit simul œsophagi fibras longitudinales: quæ fibræ distractæ & elongatæ mox sese restituunt naturali sibi contractione. Tum diaphragma necessario sursum trahitur & mox musculi abdominales se contrahunt ad ventriculum & intestina, alterne enim hi agunt cum diaphragmate. Præterea causa irritans ventriculum ad contractionem, præsens semper, denuo contrahit ventriculum (seu potius stimulat, ut ipse se contrahat) contractumque illum sequitur diaphragma.

At diaphragma, quod jam patitur extensionem sive relaxationem, mox novo influxu spirituum donatum se restituit flaccescuntque, ex lege in respirationis historia nota, musculi abdominales.

Contractus ob suas causas ventriculus vehementer iterum extendit fibras œsophagi: hæ fibræ se mox eadem vi restituunt, qua fuerant extensæ: ergo iterum diaphragma sursum trahitur: quod, dum adfluxu spirituum se iterum restituit, intelligitur, quî fiat continua hæc actio & reactio; donec ventriculus a sua in minimam molem contractione dimittat. Videamus nunc, quibusnam

busnam de caufis hæc ventriculi contractio poffit oriri.

1) *Caufa autem ejus deprehenditur celeris deglutitio copiofi ingerendi;* quo nempe fit, ut cardia, five os ventriculi fuperius, inter dehifcentes diaphragmatis fibras irritetur. Hanc irritationem fequitur ventriculi convulfio, œfophagus distrahitur; diaphragma adplicatur ad locum, qui alioqui vacuum foret; distractæ œfophagi fibræ mox fe reftituunt: forte & œfophagus primario inde convellitur, & quamdiu hæc alterna actio durat, manet fingultus. Unde pueri fe produnt, qui gratiffima bellaria furtim rapta avidius deglutiunt.

2) *Copia ingefti;* qua fimul irritatus ventriculus toto ambitu fuo & vi fe convellit; id eft in principio, antequam fibræ ejus a nimia distractione tonum amittant. Explicui hoc ad §. 756., de nimia copia agens adfumtorum. — Pondere ventriculi etiam deorfum ille vergit ac tendit œfophagum.

3) *Acrimonia ventriculo inhærens;* ut jam toties in bile putrida vidimus. Ubi enim acrimonia copiofior ventriculum obfidet eumque irritat, ventriculus fe convellit excitatque fingultum. Curatio eft, notam acrimoniæ fpeciem emendare, expellere.

4) *Inflammatio œfophagi;* 5) *ventriculi;* 6) *fepti transverfi.* Obfervatio practica eft, explicanda eodem, quo fingultum nunc explicavimus, modo. In illa explicatione quidem ventriculum ut caufam primam fingultus confideravimus; jam vero ponimus paulifper, convulfionem nafci 1) ab inflammatione nata in œfophago.

Oefophago enim præ inflammatione contracto, trahitur ventriculus & diaphragma violente furfum & mufculi abdominales, fe contrahentes, arctant abdomen. Diaphragma vero, ut antea vifum, mox fe reftituit

ſtituit deprimitque ventriculum. Oeſophagus præ inflammatione mox ſe contrahit, & ſic pergit alternata hæc actio. Eo magis neceſſe eſt, id ut fiat, quum fibræ œſophagi præ inflammatione jam distenſæ ſint; ſi plus, convelluntur quaſi.

Sic vidimus, ſingultum oriri 1) a *ventriculo*, primario adfecto; 2) ab *œſophago*, primario adfecto; videndum 3) quomodo oriatur a *diaphragmate*, primario adfecto.

Inflammatum diaphragma ſeſe contrahit, ne distenſæ fibræ plus doleant, ex natura omnium inflammationum, omnibus partibus corporis humani increata. In hac contractione violentiam patitur œſophagus, qui & mox ſe reſtituit.

Cura ſingultuum ab inflammatione ſepti, ventriculi, œſophagi, petatur ex generali inflammationis curatione horum viſcerum.

7) HIPPOCRATES aliam adhuc notat ſingultus cauſam *Aph.* 5—58. „Hepati inflammato ſingultus ſupervenit:“ non quod id ſemper fiat, ſed quandoque; hinc *Aph.* 7—17. „Ab hepatis inflammatione ſingultus, malum.“

Hepar valide inflammatum ingraveſcit, tumeſcit. Si jam conſideremus, hoc vaſtum viſcus non latus tantum dextrum occupare, ſed & medium epigaſtrium & portionem ſiniſtri lateris & ventriculo ſupertendi; facile capitis, hinc ventriculo vim inferri, eum conprimi, irritari, convelli, adeoque iterum distrahi œſophagi fibras.

Nec refert, quandoque magna ſcirrhoſaque hepata inveniri, quæ ſingultus non faciant; nam poteſt ſcirrhus occupare dextrum latus, ut ventriculus minus inde prematur: præterquam quod natura ſenſim adſueſcat iis,

lento tantum gradu fiunt; id quod in hepatis inflammatione cito fit.

Quod autem ait HIPPOCRATES, malum hoc esse, clare patet; quia denotat 1mo magnitudinem inflammationis, quia pondere jam premit hepar ventriculum; 2do præsagit ejusdem inflammationis pravum exitum; quum a perpetua convulsione diaphragmatis & ventriculi & musculorum abdominalium inflammatum hepar continuo agitetur, & pro benigna resolutione facile in abscessum abeat, aut gangrænam.

8) HIPPOCRATES idem dat causam singultus aliam *Aph.* 7—10. „Ab ileo vomitus, aut singultus, aut convulsio, aut delirium, malum.“ (*) Si ab ileo acris materies vel stercoracea, inverso motu peristaltico ducatur in ventriculum, contrahit ille se, ut in acribus eum facere sæpius jam vidimus: unde eo contracto singultus sequi debet, eo, quo expositum, modo. A motu illo inverso peristaltico materies a loco ipso constrictionis ducitur in ventriculum, irritat eum, & præ sua

(*) Colicæ vox ignota VV.; hinc colicam etiam ileum vocarunt, antequam vomitus & singultus & spasmus adessent. Ergo alia definitio ilei, quam nos damus; ut brevi patebit. Ait GORÆUS *definit. med. p.* 125. „Ileos est tenuis intestini obstructio peracuta & dolorifica, nihil sinens deorsum descendere . . . . . Unum tantum est huic morbo proprium & inseparabile, quod nihil ad inferiora descendat, nisi forte liquida pauca & serosa. Immo stercora aliquando exeunt copiosa; sed tantum veniunt ex colo & ileo, infra locum obstructum. *de* H.

ſua malignitate, uti vidimus ab aliis materiebus fieri, nam conſtat rebus noxiis ventriculi nervis adplicatis, opio, v. c. napello &c. deliria oriri; convulſiones, ſingultus, deliria, vomitus facit. Præterquam quod violentia vomituum ſæpe omnis feratur ad caput & demum deliria creet: quod hic de ileo & de hernia verum.

Eſt & malum ſingultus ab ileo, quod jam incipiat vomitus fieri materiæ abominabilis putridæ.

9) Spaſmus a nimia evacuatione. HIPPOCRATES *Aph.* 5—39. „Convulſio fit aut a repletione, aut ab evacuatione; ſic quidem etiam ſingultus." Etenim vidimus toties, morbos capitis omnes & convulſiones naſci a defectu ſanguinis arterioſi; adeoque a defectu materiæ requiſitæ pro reparandis ſpiritibus: igitur, dum adpreſſio ſanguinis ad corticem cerebri non ſufficiens adeſt, ceſſat præparatio & ſecretio continuata ſpirituum, ceſſat continuatus eorumdem per medullam nervosque perfluxus. Quicumque tunc in hac debili & non continuato adpulſu ſanguinis ad corticem adhuc ſecernuntur ſpiritus, tumultuario fluxu per nervos aguntur, ceſſant, renovantur: donec, vel ceſſante hæmorrhagia, vel quacumque alia evacuatione nimia, amiſſi humores ſenſim reparentur, atque majori tum vi, tum copia, ad corticem adpellant; vel, donec diſſipatis omnino ſpiritibus, nec renovatis, vita avolet in auras.

Obſervamus autem in hoc deſperato rerum ſtatu, v. c. in puerperis, poſt nimium ſanguinis fluorem, paucos illos ſpiritus non ſemper debili motu per nervos agi, ſed ſæpenumero per multos nervos nullos, per quosdam vero totos, ſed tumultuarie. In quam vero partem hic tumultuarius adfluxus fit, in illa creat ſpaſmos ſæpe validos & convulſiones, ſive faciei, ſive

 artuum,

artuum, five abdominis, five etiam ventriculi: fed ignoramus, quæ determinet, caufam.

Porro, fi fpafmus occupet ventriculum, aut œfophagum, aut diaphragma, a fpiritibus eo adpulfis ex doctrina data fequitur, fingultum oriri oportere. Si enim ventriculus fe contrahit valide, œfophagus distractus fe reftituit: itidem, fi diaphragma fpafmodice contrahitur, distrahit fibras œfophagæas longitudinales & mox, contrahentibus fefe his distentis fibris, natus fingultus eft. Igitur, quamdiu in œfophago nondum deficiunt nervofi fpiritus, fingultus fiet a convulfo ventriculo, aut diaphragmate; & fi convulfio fauces prehendat & œfophagum, orietur fingultus, quamdiu in diaphragmate aut ventriculo nondum deficient fpiritus, quibus hæ partes reagant contra œfophagum.

Quod autem convulfiones frequentes fint ad præcordia in nimia κενεαγγειᾳ, forte ex eo oritur, quod tanta fylva nervorum hic loci, ut fcitis, habeatur, quæ plexus vocatur cardiacus.

10) *Vel ab exceffu vomitus exercitati;* ut fæpe a violentis emeticis vifum. Singultus inde oritur vel 1) quia reliquiæ emetici inter ventriculi plicas fixiffime hærent, continuoque irritant eumdem.

2) Vel quia per vomitum, ut mox videbimus, totum corpus poteft exhauriri, adeoque fumma fieri κενεαγγέια.

3) Vel quia cerebrum & cerebellum in vomitu nimia humorum copia obprimuntur. Hæc porro adcuratius explicanda funt.

Ut datum adfumo, quod in vomitu diaphragma & mufculi abdominales fimul convellantur & cum ventriculo premant aortam. Dico: adfumo, ut datum; nam in vomitu mox explicando hæc veritas probabitur.

Preffa

Pressa ergo aorta sanguis corde sinistro pulsus invenit hic viam inpeditam, adeoque caput petit majori copia; unde tandem in diuturno & violento vomitu inferiora frigent & superiora exæstuant tumentque. Hinc oculi quasi sanguine subfusi & igne; sed ut hic in carotide externa, ita eo magis in interna, ita ut cerebrum ac cerebellum cruore obruantur.

Dixerat Hippocrates *Aph. cit.* „ Convulsio fit aut a repletione aut ab evacuatione; sic quidem etiam singultus.“ Quomodo fiat ab evacuatione vidimus; quomodo fiat a repletione, videamus.

In nimia vasorum in enkephalo repletione cortex conprimitur ita, ut sanguis in illum vehere non possit materiem pro generandis spiritibus. Ergo, ut in apoplexia sanguinea explicanda toties vidimus, dum novi spiritus amplius non generantur, neque in cerebro neque in cerebello; reliqui, qui adhuc præsto sunt in tubulis medullosis, non proportionatim per nervos omnes, sed tumultuario per aliquos feruntur, & spasmos convulsionesque ibidem excitant. Quod si per cardiacos nervos fiat ad ventriculum, aut œsophagum aut diaphragma, nascetur singultus, eamdem ob causam, ob quam in nimia *κενεαγγεῖᾳ* fiebat: nam licet a nimia repletione cerebri hic nunc fiat, effectus est tamen idem, atque in *κενεαγγεῖᾳ*.

An jam non intelligitis, quid bonus Hippocrates sibi volebat *Aph.* 7—3. dicens: „a vomitu singultus, & oculi rubri, malum.“ Nempe carotis externa inpleta docebat, quî interna se haberet. Conpresso cortice tumultuarius spirituum motus singultum producebat.

An jam apud Vosmetipsos non laudatis *Th.* Sydenhamum, adeo inculcantem & tam religiose repetentem, ut, si emeticum & v. s. simul indicarentur, sem-

per v. f. præmitteretur? Nempe fublata primum plethora minus eft periculi, ne actione emetici enkephalon obruatur & fingultus nafcatur.

An jam capitis, cur tam religiofe olim Vos monuerim in morbis capitis, a nimia humorum in eo copia ortis, cane pejus & angue vitaretis emetica? Sponte videtis, quod fic debilem apoplexiam in ifchyren mutetis.

11) Ut a nimio vomitu, fic & a nimia alvo poteft fieri fingultus, *v.* HIPPOCRATES *Aph.* 5—4 & 7—41. Plane videmus referri hoc ad κενεαγγέιαν; adeoque res explicata habetur in præcedentibus.

12) *Venena acerrima;* ut antimonii præparata, nimia copia, vel non bene parata, exhibita: helleborus quoque; unde HIPPOCRATES „convulfio ex helleboro, lethale.“ *Aph.* 5—1. Vel enim faciunt venena hæc continuam irritationem, manentia inter plicas ventriculi; uti HOFFMANNUS invenit in ventriculo hominis vitro antimonii enecti: vel faciunt keneangeiam; vel obprimunt cerebrum.

13) *Motus fpirituum inordinatus in melancholicis & hyftericis.* A quacunque caufa in illis hic motus inordinatus fit; fi fiat in nervis œfophagi, ventriculi, inteftinorum, diaphragmatis adfluxus fpirituum major, & fpafmodica contractio, neceffario oportet fingultum fequi, ex data doctrina.

14) Ab *aphthis* moleftus fingultus fit, excoriato nempe œfophago & ventriculo: unde nudæ hæ partes continuo irritantur: quin & femilaceræ cruftulæ hinc inde pendulæ hærentes fereque putridæ & alkalinæ nudis hifce partibus quoque irritationes & fpafmodicas contractiones conciliant.

15) *Rifu*

15) *Rifu inmodico* pariter fingultus procreari valet: capimus violento & rapidiffimo motu diaphragmatis convelli ventriculum & œfophagum; rifu nunc ceffante adhuc convulfio femel inducta pergit. Aliquando jam fit fingultus in medio rifu, ut cogatur homo rifum cohibere, præ fingultus moleftia.

His ita vifis, addo unicam practicam obfervationem. Duos homines in cura habui, quibus ad 8vam diem citra manifeftam caufam durabat fingultus, nulli fere obaudiens remedio. Aliam puellam 18 annorum febri continua putrida detentam habui, quæ fingultu per feptem continuos dies laborabat moleftiffimo, neque evacuantibus, neque acrimoniam inmutantibus, neque demulcentibus, neque paregoricis cedente, donec feptima die crifis morbi fieret. Eft cafus terribilis, nam dolent tandem ita præcordia, ut homines fere defperabundi fiant.

Curatio fequitur: 1) Animi (refpirii) retentio apud vulgus in ufu eft, eaque fæpe homines a nimio *rifu* fingultientes, rifum cohibent; fic enim illa inducta convulfio fenfim ceffat. Sunt homines, quibus a rifu id perpetuo accidit & molefte perdurat, ut cogantur rifum evitare; fatigantur enim maxime hoc fingultu. Animi retentione nunc diaphragma vix mutatur; ergo ventriculus & œfophagus non elongantur, non extenduntur, hinc motus irritationis inpreffus fedatur: præterquam quod circulatio pro momento fiftatur & hinc fecretio ac promotio fubtiliffimi liquoris pro momento ceffet: hinc tunc convulfio debet fenfim ceffare.

Sedatur fubin & incuffo terrore (v. c. aquæ adfufione in nucham,) & excitata fternutatione.

2) Si ſingultus ab *inflammatione* œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, meſenterii, diaphragmatis, hepatis, medela conſiſtit in curanda horum viſcerum inflammatione; & quamvis opium principio inflammationum non conveniat, hic tamen opiatis interne & externe utendum, urgentibus ſymptomatibus.

Si ſingultus ab aliis cauſis, erunt hæ adcurate indagandæ.

3) Si a *vomitu* nimio & nimia *diarrhœa* oriatur, ita quidem, ut ſingultus præſubponat *κενεαγγέιαν*, cura forte fruſtra adhibebitur, nam eſt res diſcrimine plena: ergo in his caſibus indicatur, a repletione incipiendum. Detur hinc quavis ſemihora cochleare juris carnium cum ſucco citri, vel aurantiorum, vel pomor. curaſſavienſium; aut cochleare juris carnium coctum leviter cum oryza vel hordei flore: ventriculo externe adponatur emplaſtrum, quod vocant ſcutum ſtomachicum; quod egregius SYDENHAMUS comparabat ex theriacæ unc. j. vel dr. x.; adhibentur pro tali emplaſtro, ita, ut gr. 8. 10 opii habeat. Verum ſolet intra paucas horas de corpore decidere & in grumis in lectum cadere. Juvabit itaque margines illiniviſſe emplaſtr. oxycroceo, vel diachyl. cum gummi, ut firmius adhæreſcat; eique addi aliquot grana opii ultra queunt. Vel parabitur emplaſtrum hoc ſequenti modo:

℞. Emplaſt. de ladano, vel oxycroc. q. ſ.
Laud. puri
Camphoræ aa ℈j.

M. exacte & fiat ſcut. ſtomachicum. Verum, ſi ſingultus non ſubſiſtat, aut minuatur, metuunt homines alimentum adhibere, quia putant, ſingultum inde irritari: hinc opus eſt paregorico roborante, v. gr.

℞.

℞. Aq. menth. ℥v.
— cinnamom.
Syrup. diacod. aa ℥j fem.

Sumat quavis femihora cochleare unum; ita, ut altero quadrante horæ fumat fuum jus, altera hanc misturam.

In defperato cafu quandoque profuit panis, crufta orbi, copiofa portio intincta bene vino generofiffimo, cui macis, cinnamomum, caryophylli, nux mofchata prius intabuere, epigaftricæ adplicata regioni calidiffime, & ubi ficcefcit renovata. Vinum etiam tale cochleatim ore fumendum. — Etiam vinum generofum calidum locis glandulofis maxime adponendum, ut in novum alimentum fibræ inteftinales & vafa arteriofa cito operentur.

4) Talia adhibemus, fi a mera evacuatione per vomitum aut alvum oriatur fingultus: fed fi *κενεαγγεία* nata ab *hæmorrhagia*, vel uterina, vel alia, vel etiam poft vulnera; hac methodo uti non licebit: fæpius enim vidimus, tunc qua data porta fanguinem ruere de corpore reliquum, qui vitam utcunque fuftentabat.

Ergo fingultu nato ex hæmorrhagiis, dum vafa manent aperta, cura confiftit in fumma animi corporisque quiete, artuum ligatura, aëre fubfrigidiufculo & cochleari juris carnium cum oryza cocti unico, omni quadrante horæ, interpolato prudenter opio. Circumponenda etiam copiofa lintea aceto frigido madida ad uterina loca, pubem, inguina, lumbos, fi eft ab uterina hæmorrhagia. — Inhorrefcentia videtur curari hæmorrhagia narium ab adfufa gelida, tum hæmoptoë a potu gelidæ.

5) Si a *veneno*, indicaretur quidem ejus expulfio; verum cogitemus, plerumque fingultus oriri a veneno poft enormes vomitus, quibus corpus plerumque ex-

hauſtum eſt. Ergo ſingultus fiunt vel a nimia evacuatione, vel a reliquiis veneni, quod poſt vomitus adhuc reſtitaverit inter ventriculi plicas.

Porro, utrum horum ſit, ignorantes, ſi corpore exhauſto velimus evacuare ultro reliquias veneni, relictas paucas vires penitus proſternemus. Hinc in tam ancipiti caſu methodus ut a *κενεαγγεία* proforet; niſi evidenter conſtaret, quod venenum adhuc præſens eſſet in ventriculo. Vomitus tunc excitatus, nato jam ſingultu, vel juvaret vel occideret. Occideret autem certo ſingultus talis & vomitus a mero veneno. Hinc, quia res anceps, præſtaret in tali caſu ſequi Hoffmanni conſilium *Med. rat. Syſtem. Tom. IV. ſect.* 2. *c.* 3. *obſ.* 6., nempe lac copioſiſſimum ingerere & vires veneni antimonialis ſic involvere & diluere, ut ultra non noceat. Hac ratione plures ſervaverat, qui ad menſam epulati, ubi loco ſacchari arſenicum album adhibitum fuerat, fere moriebantur. Diluitur lacte venenum & nutritur corpus. Expulſo feliciter veneno, curatio ut in *κενεαγγεία*.

Sunt porro venena multa, quæ forſitan citra emeticum cicurarentur potu multo aquoſo, oleoſo; ut omnia, quæ mechanica vi agunt. His in caſibus copioſiſſimus potus oleoſus proforet. Sic brevi aliquando curavi eos, qui mox a comeſtis mytilis ægrotarent & intumeſcerent enormiter, cum incredibili anxietate.

Magnus Sydenhamus in *febr. cont. ann.* 1661, —1664, agens de ſingultu, quod ſymptoma in iis febribus aliquando obtinebat, „hoc ſymptoma, inquit, plerumque ſenibus accidit poſt copioſas evacuationes, vel per ſeceſſum ex diarrhæa, vel maxime per vomitiones, atque ſæpenumero mortem præ foribus adeſſe denuntiat. Ingenue fateor, me mihimet ipſi, de ſingultus cauſa diſquirenti, ſatisfacere non poſſe: nihilominus

minus obſervavi ſæpe illum ex turbis ac tumultu, ab aſperioribus medicamentis in ventriculo locisque vicinis excitato ortum ducere: quibus ſedandis atque in priſtinam pacem reducendis quum naturæ vires non ſufſecerint, fit, ut ingens periculum inmineat; proindeque conſentaneum exiſtimavi, curam eo dirigere, ut, quod natura per ſe nequit, artis adminiculo ſubfulta perficeret. Diaſcordium igitur larga doſi exhibui, nempe ad drach. ij., a ſcopo meo non aberravit; quum tamen ſemine anethi aliisque, quæ tamen ſpecifica decantantur, uſus, nihil profeciſſem.

6) Singultus a nimia *nervorum σύμεταβλησία*: antihyſterica, opiata conducunt, una cum epithematibus vel emplaſtris antea *No.* 2 in ſingultu a nimio vomitu per *κενεαγγέιαν* orto præſcriptis. Remedium porro ſit ſequens:

℞. Aquæ puleg. ℥vj.
Tinct. ſuccin. ʒvj.
Laud. pur. gr. ij.
Syrup. menth. ℥j.

Sumat omni quadrante cochleare, donec ſedetur malum.

Vel ℞. Aq. roriſmar. ℥vij.
Tinct. myrrh.
♎ matrical. aa ʒij.
Laud. liq. Sydenh. gt. xxx.
Syrup. cort. aurant. ℥j. M.

Vel ℞. Aq. menth. ℥vj.
♎ menth. ℥ſem.
🝆 menth. cum ſacchar. ʒij. in Oeleoſach. red. gt. v.
Syrup. menth. ℥ſem. M.

Hic oportet me monitum quoddam practicum inſerere. Medici multum occupati adſueſcunt generali cuidam

cuidam tempori dandi medicamenta; ita, ut quidam ſoleant ſemper jubere omni hora cochleare, alii omni bihorio; alii omni bihorio ij., alii omni trihorio, alii ter de die coch. ij. Novi tales plures, qui aliquando adhuc bona præſcribentes medicamenta, tamen infelices erant, eo, quod non diſtinguerent inter Ægros, qui citius auxilio indigerent. In familia mea habebamus Medicum veteranum, qui neceſſe non habebat definire tempora ſumendi; nam per annos didicerant ejus cantilenam: „omni hora cochleare unum.“ Famoſum Medicum novi, qui notiſſimus erat mandato ſumendi omni trihorio 2 cochlear., ita quidem, ut ſi quis accedens ad ægrum amicum ſcire vellet, an illo Medico uteretur? tantum rogabat, quo tempore uteretur ſuis remediis? Si omni trihorio 2 pil. vel 2 cochlear., mox inquiens, tali uteris Medico, rem acu tetigerat.

Sed, an hoc eſt vere medice agere? Ipſum vulgus hanc inanitatem conprehendit ridetque. Si homo indigeat gr. j. opii, antequam ad moderamen ducatur ſingultus, an non præſtat brevi ſpatio dediſſe, quam remotiore? Maxime, ubi quis conſideret, vim evanuiſſe remedii, dum hora intercedente iterum porrigatur, eaque vis altera alteram excepiſſet, ſi breviori intervallo datum fuiſſet.

Hinc ſemper ſtatus morbi, natura Ægri, & medicamenti notitia Vobis unice regulam præſcribendi dabunt.

7) Si ſingultus ab *acrimonia*, erit natura acrimoniæ in dato caſu examinanda, & pro ejus natura detecta, parandum remedium; porro talia ex hiſtoria acrimoniæ habetis. Sed quia res urget, & acrimoniæ natura ſæpe latet, aut non cito vincitur, oleoſa cum

opia-

opiatis illico opem ferant: ſedato inpetu de acrimonia cogitandum eſt.

8) Si ſingultus ab *aphthis*, optimum eſt, oleum multum copioſumque uſurpatum, & omnia mucilaginoſa prudenti paregoricorum uſu ſociata; v. c.

℞. ☍ amygd. rec. preſſ.
Syr. de ſymphyt. Fernelii aa ℥ij.
Laud. pur. gr. j.
Aq. roſar. ℥vij.
Vitell. ov. n° j.

Sumat omni ſemihora ℥j. vel ſæpius.

℞. Syrup. diacod. ℥j.
Rad. ſalep. ʒſem.
Aq. roſar. ℥viij.

Uſus idem: ſalep reddit hanc aquam admodum mucilaginoſam.

Simon SCHULZIUS curavit plures ſequenti miſtura:

℞. Vini cydoniati
Tinct. roſar. aa ℥j.
Syrup. cydon. ℥j.
Extract. zedoar. gr. xv.
☍ ſtillat. cort. aurant. gt. iv.
Laud. opiat. gr. ij. M.

Pro potiuncula cochleatim ſumenda.

9) Miram curam ſingultus habet HIPPOCRATES *Aph.* 6—13. „A ſingultu detento ſternutationes ſupervenientes, ſolvunt ſingultum." Videatur IDEM *Prænot.* 13. *No.* 11; *Coac.* 3—175. CELSUS etiam *l.* 2. *c.* 8. *p.* 69. „Singultus, ait, ſternutamento finitur."

Dixi Vobis alia occaſione, de epilepſia agens, quid eſſet ſternutatio. Sentitur leviſſima, eaque menti haud ingrata, titillatio in flocculoſis narium nervis. Sim-

Simplicissima hæc actio facit, ut paullo post titillatio grata percipiatur ad præcordia; sic saltem sæpe fit: sed etiam aliquando homini nil fere percipitur ad nares, sed primo grati quid titillantis ad præcordia, ad nares postmodum.

Ubi horum alterutrum vel utrumque fit, homo cogitur omnes actiones corporis suspendere: si ambulete, si operetur quidquam, si scribat, oportet relinquere omnia: si animo meditetur, & ab illis meditationibus desistere debet, exspectareque quasi, quid futurum sit. Mox enim a titillatione grata percepta, musculi extensores capitis & cervicis, in inspiratione summa, caput & cervicem extendunt; hoc facto fit ingens sonora, sibilosa, violenta, inpetuosa convulsio musculorum respirationi famulantium; musculis flexoribus capitis vicissim caput antrorsum ducentibus; sternutatio una inspiratione & exspiratione absolvitur.

Hæc actio tanta est, ut in toto corpore musculus non sit, quin agitetur. Si hominem nudum sternutantem videtis, cernitis validissime ipsos gluteos concuti. Si actio hæc nimis diu duret, delassationes, convulsiones, mortemque facere potest.

Hæc sternutatio oritur a levissima irritatione, plerumque in naribus. Homo matutino tempore obfuscatus & naribus obstructus percipit irritationem; bis, ter sternutat, magno suo bono, quia sic averritur abundantior mucus de nocte collectus, organon olfactus alioqui hebes redditurus. Videtur collectus & stagnans mucus utcunque acer factus stimulare nervos.

2) Si homo sanus pulverem sternutatorium sumat, v. g. ex helleboro albo, vehementer evacuat omnia illa organa excretoria, secretoria; tam fortiter, ut oriri inde convulsiones queant.

3) Quod

3) Quod facit venenum illud, idem producit plumula levis in naribus agitata.

4) Si homo ſanus ſolito diutius jejunet, ſpeciem ingratæ diatheſeos circa ventriculum ſentit: ait, ſe ſentire debilitates, flatus &c. ſequitur tunc motus non ingratus, mox 2, 3, 4 ſternutationes. Eſt a ſtimulo bilis ad præcordia.

5) Qui emeticum ſumſit, in actu vomitus ſternutat; ut ore non tantum, ſed & naribus materies exeat.

6) Obſervantur Infantes ſæpe nares fricare a motis lumbricis in ventriculo, vel prope eum.

7) *Cl.* Hallerus ſcribit, ſe in hyſtericis enormes multorum dierum ſternutationes vidiſſe conſequentemque cœcitatem, fugacem tamen; quod cauſa tantum in irritatione nervorum eſſet, organis integris. Animadvertit Idem, cœcitatis ejusmodi fugacis cauſam eſſe communem nervi quinti paris ad nares & ad oculum diſtributionem. Putat enim Hallerus, nervum ab ophthalmico ramo quinti paris recurrentem cum nervis primi paris anaſtomoſi videri coire.

Sternutaturus homo eſt in intentatis minis, caſurusne ſit, an ſtaturus. Sed exploſio ſequens mox omnia reſtituit. Hinc tunc in illo ſuſpenſo gradu eſt quaſi ecclypſis & incipiens abolitio facultatis muſcularis & quodammodo etiam facultatis animalis; ad nihil enim adtentus homo non audit, non videt &c.

His præmiſſis reſumamus textum Hippocratis: „ A ſingultu detento ſternutationes ſupervenientes ſolvunt ſingultum.“ In fortiſſima illa exploſione mutatur conditio diaphragmatis, oris ventriculi, ventriculi ipſius, hepatis, lienis, ita ut, ſi vel acre quidpiam hæſerit ad ventriculum, vel ſpaſmus, vel convulſio

ad

ad hæc viſcera, excutiatur acre, fluxus ſpirituum immutetur.

Sed ſi ab inflammatione, ſi a κενεαγγειᾳ, ſi ab hæmorrhagia ſingultus oriantur, & ſuperveniant ſternutationes, utique nocebunt, nec ſolvent morbum: igitur diſtinctione hic opus.

§. 809. *Nauſea & vomitus videntur &c.* Vomitus vario adſpectu a nobis conſiderandus eſt: nam aliquando morbus per ſe eſt; nonnunquam alius morbi ſymptoma: eſt & alio ſenſu commoda naturæ via, qua ſeſe a noxiis expediat iisque non modo hærentibus in ventriculo, ſed & in diſſita quavis corporis plaga.

Sane ut ab ultimo incipiamus, elucet ſumma Numinis providentia in hoc actu. Conatum & poteſtatem vomendi inſevit naturæ humanæ, ut latitantem in corpore hoſtem expelleret. Hanc poteſtatem difficulter explicamus; tamen conſideratione partium omnium, quæ ad vomitum concurrunt, aliquam ejus notitiam adquirimus. Non indigeremus multa inquiſitione vomitum intelligere, ſi tantum ageret ultimo hoc modo; nempe, ut naturam inutili ac noxio hoſte liberaret; nam foret naturæ tantum beneficium: jam vero, quia ſæpe per ſe morbus eſt, vel tale ſymptoma morbi, ut hominem poſſit vel lædere, vel occidere; quavis opera illum ut intelligamus, adniti oportet.

Brunneri, Wepferi, Peyeri experimenta hic nobis lucem multam præbent. *Inl.* Præses canis vivi diſſecto abdomine irritavit apice cultelli ventriculum: convellebatur quidem ventriculus, animal tamen nondum vomebat. Wepferus *cicut. aquat. hiſt. c.* 21. cani, poſtquam illi mercurium ſublimatum dediſſet, abdomen incidit, viditque mox prorumpere ventriculum inflatum, convulſum quidem ſubinde, at non valide.

Ergo

Ergo videmus, ſolam hanc fibrarum irritationem non ſufficere, ſed ad inpetuoſam talem actionem alia requiri.

Hinc WEPFERUS, dum vicibus iteratis calidam aquam per gulam infunderet, canis illam ſemper cum muco & ſpuma revomuit. Notat porro, ventriculum non admodum contractum tempore vomitus fuiſſe: verum diaphragma, ait, valide concutiebatur, ac ſi illud cum muſculis abdominis vomitum multum promoveret. Similem diaphragmatis in vomitu motum obſervavit & in alio cane, cui antimonii flores ingeſſerat. Dum enim diaphragma, ventriculo contiguum fere, valida convulſione deorſum trahitur, ſimulque eodem tempore muſculi abdominales, pariter contracti, omnia contenta abdominis premunt, ventriculus duobus quaſi prælis interjacens, valide conprimitur; unde omnia ejus contenta vi valida per oſtium ejus ſuperius expelluntur.

Facile capimus, quod ventriculus, dum convellitur, actione emetici mox ſuam convulſionem communicet cum diaphragmate; ſi intueamur, ventriculum per aperturam diaphragmatis tranſire, eoque in tramite arcte cum diaphragmate connecti. Fibræ enim decuſſantes hic adſunt, & præterea peritonæum veſtiens ſubtus diaphragma ad finem œſophagi recedens inveſtit ventriculum. Pleura ſuccingens diaphragma a parte ſuperiori, ad œſophagum recedit & inveſtit œſophagum; hinc in ſingultu & vomitu tanta inter hæc tria connexio. Si quis obponat, diaphragma mediaſtino & pericardio & ſterno adnexum juxta SENAC aliosque deſcendere non poſſe, immo ipſam vitam hinc fore turbandam; dico locum, ubi pericardio adnexum eſt diaphragma, eſſe in ſumma gibba parte, ad altitudinem papillarum mammæ, ad 4. vel 5. coſtam, & tranſitum œſophagi eſſe ad ultimas thoracis vertebras ultimasque coſtas; adeoque hic diaphragma deſcendere inmota forte parte ſumme gibba.

Sed an omnis vomitus caufa proxima fic inventa? HELMONTIUS hilaris ambulat ad prædium, quod empturus erat; pede adlifo luxat talum; perit adpetitus, naufeat, vomit. Mox fit luxationis repofitio; ceffat vomitus, redit adpetitus. Hic, ut in aliis morbis convulfivis, immo in fpecie epilepfiæ, fit, ut nervi alibi adfecti adfectionem ad cardiam producant, unde convulfione nata ad nervos ventriculi, diaphragmatis, œfophagi, vomitus fit.

Sed dicetis, viam hoc in ftatu longe expeditiorem fore per pylorum, quam per œfophagum, adeoque fic vomitum fieri vix videri.

Refp. 1) pylorus rugofus a mufculis abdominalibus convulfis valide conprimitur. 2) Tefte WEPFERO exordium motus convulfivi oritur a duodeno verfus pylorum ejusque antrum: quo fit, ut contenta ventriculi huc tranfire nequeant.

Inluft. BARO in *Comment. ad §.* 652. contemplatus fitum ventriculi in equis, animadvertit rationem, cur illi non vomant, ne a violentis quidem emeticis datis. Pedis fere diftantia abeft a mufculis abdominalibus ventriculus, inmenfo colo intercedente; ita ut distentus longe inde diftet. Patitur igitur equus a magna dofi vini emetici validas abdominis concuffiones, immo fubin moritur inde, fed non vomit. Unde concludit INLUSTR., hinc patere, cur, quibus mufculi abdominis, ventriculus & diaphragma viciniora fibi fint, vomant facilius.

Objectio tamen haberi poteft ex eodem WEPFERO, qui fcribit, *cic. aquat. hift. c.* 15. *hift.* I., folius ventriculi convulfione vomitum fe vidiffe in aperto catello. Sed animadvertit *Inluftr.* BARO *l. c.*, forte rem paullo aliter fe habuiffe, quum WEPFERUS vomitus tempore alia anatomica difquifitione occuparetur;

pate-

patereque ſimul, magnam copiam non exiviſſe, quum mox addat: „ ventriculo a fine gulæ ad duodenum ſecundum longitudinem ſuperne inciſo, cavitatem muco viſcidiſſimo, ſpumeo & fruſtulis lacteis coagulatis plenam inventam fuiſſe;" ita, ut levis modo eructatio dicta primum animadverſa fuerit, quæ ventriculi convulſione poteſt peragi; non vero validus & proprie dictus vomitus.

Omnia hæc confirmantur phænomenis obſervatis: 1) nauſea fit, tenuis lympha in os influit: 2) irritatio faucium, œſophagi, ventriculi; incipit tremere labium inferius, aliquando tota maxilla inferior. 3) Eructatio fit levior contentorum ventriculo a ſolius forte ventriculi convulſione. 4) Totum abdomen quaſi intro rapi videtur, expelluntarque validiſſime ventricula contenta. Peracto vomitu dolor obtuſus & defatigatio manet. Rudem porro ideam vomitus nobis adumbrant omnia experimenta facta in vivis animalibus. Si vomuit canis ſolius ventriculi contractione in experimento *Wepferiano*, inde minime concludi poteſt, in ſano corpore idem obtinere. Apud eumdem WEPFERUM *eodem tractatu* videre eſt, quod urina reddita, egeſta alvus fuerint, etiam poſt reſectos muſculos abdominales & diaphragma, veſica urinaria inprimis in globum minimum ſe coarctante. Attamen ſcimus, horum muſculorum & diaphragmatis vim validiorem requiri in his binis excretionibus.

Non eſt mirum igitur, dilaceratis vivo in animali partibus, inpetuoſum fluxum ſpirituum per liberos nervos ad integras partes adfluere; unde actio partium ſequitur, quæ in ſanitate non contigiſſet. Unde in omnibus his experimentis prudentia opus in judicando.

Hinc cum bona venia *Cl.* HALLERI dictum ſit, magnum illum virum in egregio ſuo tractatu peculiari

de diaphragmate nimium conclusisse ex unico illo dubio WEPFERI experimento de vomitu peracto, resecto jam diaphragmate. *Doctissimus* DE CHIRAC *Hist. Acad. reg. Scient.* 1700 videtur necessitatem diaphragmatis ad vomitum tam bene demonstrasse, ut dubium supersit nullum.

Vomitus igitur ex vivis animalibus intellectus, tria ponit: 1) spasmodicos eosque retrogrados motus partis tubi intestinalis, ventriculi, œsophagi; 2) violentas convulsiones diaphragmatis & musculorum abdominalium; 3) synchronon motum diaphragmatis & musculorum abdominalium, qui in sanitate alternus est: nam respiratio peragitur alterno motu horum; ita, ut mirum non sit, etiam anxietates a vomitu oriri, dum respiratio simul læditur.

Vomitus porro nunc descriptus producitur 1) *a copia nimia*, ut explicui ad §. 756. & felices adhuc, quibus tunc vomitus contingat.

2) *Aut acrimonia ingesti*, quæ nimio suo stimulo ita agit in fibras ventriculi, ut illæ irritatæ suam irritationem communicent cum diaphragmate: si tunc convulsive incipiat diaphragma agere in ventriculum, fit vomitus eo modo, uti paullo post, dum de *inflammatione diaphragmatis* sermo erit, explicabitur.

3) *A venenis;* ab antimoniatis & innumeris aliis; immo ab ipsis emeticis omnibus, quæ certa quadam ratione venena sunt, subvertendo ventriculum.

HOFFMANN. *Med. rat. T. IV. part.* 1. *sect.* 2. *c.* 3. plures instantias retulit. 1) Inflammatio ventriculi inventa a morte in Canonico, qui vomitorium sumserat ex sulphure antimonii aurato. Dederat Medicus emeticum illi, quia ab ira & vino ventriculus maxime adfectus videbatur. HOFFMANNUS cum SYLVIO censet, ab ira bilem irritari, trudi ad ventriculum &

os

os amarum fieri, immo ab ira poſſe icterum naſci. Unde putat, non emetica, ſed anodyna potius convenire.

2) Balneator feminæ in tertiana dedit gr. 8 vitri antimonii ter in paroxyſmo tertianæ; violenta agitatio ventriculi ab hoc emetico ſemel tantum dato, ſilente tempore a paroxyſmo libero. Poſt tertium paroxyſmum interiit; ventriculus maculis rubris & nigris obſeſſus, uti & duodenum & adnexa inteſtina. Pulvis vitri antimonii adhuc hærebat inter plicas ventriculi.

3) Puella quinquennis a croco metallorum vomendo moritur: ventriculus contractiſſimus repertus eſt.

4) Ab arſenico ægre liberavit HOFFMANNUS plures ſimul, oleo & lacte copioſiſſime dato, ore & ano.

5) Princeps a vini potu & refrigeratione poſt ingentem calorem motu excitatum mox conqueritur de horrore, languore, ardore, inquietudine, nauſea. Medicus dat gr. iij. tart. emetici; ſeptima die convulſus periit. Ventriculus inflammatus, ſanguinis corrupti aliquot cochlearia habens, expanſus ipſe & gangrænoſus. Damnat hic maxime HOFFMANNUS emeticum; nam vel inflammatio ventriculi aderat antea, ergo non dandum: vel ſequuta eſt, ergo malum emeticum.

Videri apud Eumdem poterit exemplum 6) ubi granis duobus tartari emetici adducta mors, poſt nauſeas ex ira ortas. Videant talia illi largi emeticorum propinatores & horreſcant.

4) *Læſione cerebri vulnerati*, *contuſi*, *conpreſſi*, *inflammati*. In hiſtoria vulnerum hoc mirum commercium contemplati ſumus, intellectu difficile, adeo tamen certum, ut unus HIPPOCRATES idem forte vigeſies repetat, & ab omni ævo, in hunc usque diem, Chirurgia confirmet. Scimus equidem, ope paris vagi

& intercoſtalis viſcera abdominis & thoracis omnia communicare cum cerebro; verum peculiare quiddam hic in ventriculo obſervatur, ut cerebro læſo hac ratione, vel vulnere effuſo ſanguine, aut conpreſſione, ut in apoplexia; aut inflammatione, ut in phrenitide; ventriculus in vomitum prorumpat: nam cur ab eadem cauſa non fit diarrhæa?

In tranſitu repetam, quæ toties jam dicta, quam perniciosa regula: „vomitum vomitu debere curari!" Quam perniciosa regula, ad perceptos vomitus in apoplexia, in phrenitide velle emetico dato curare! Cauſam enim in cerebro hærentem, ut expoſui, inmaniter augent. Fruſtra quippe quærunt vomitus cauſam in ventriculo. — Dolendum, *magnum* SYDENHAMUM ita cespitaſſe, ut ſine ulla diſtinctione omnem apoplexiam a v. ſ. & emetico incipiat. Merito vocabatur *Medicus febrium* ſuo tempore; nam mira certe in eo ſtudio præſtitit. In reliquis vero multis ſuo exemplo docuit, quantæ molis ſit, Medicinam cum unoquoque Medico velle renaſci. Erat quaſi nauta, qui, quod viderit, nautas alios multos cum nave perire, proprio Marte artem nauticam diſcere ab imis vellet fundamentis. Certe, ſi ad VV. inventa *Hippocratica* ſua adjeciſſet, præſtantius fuiſſet. Verum, ut cerebro adfecto ventriculus ad vomitum incitatur; ita ſæpe ventriculo adfecto caput laborat. Opium paullo maiori doſi datum ſolida forma, mox adplicatum ventriculi nervis ſoporem cerebro conciliat; expulſo per emeticum opio mox evanidum. Napellus ventriculo exceptus mox deliria facit & convulſiones: vomitu ejectus relinquet ſuam cerebro ſerenitatem. Mirum itaque patet cerebrum inter & ventriculum commercium.

5) *Ab inflammatione diaphragmatis.* Diaphragma inflammatum non patitur alternam contractionem & relaxa-

laxationem, hinc convellitur. Diaphragma & musculi abdominales videntur arctissimo vinculo sociata ad vitam perennandam, alteroque male adfecto & alterum compati: & ratio mechanica adest forte; nam convulsum prae inflammatione diaphragma convulsive agit in ventriculum: qui, si utcunque distentus sit, & quoque convulsus irritat parte anteriori peritonaeum & abdominales musculos; ergo & hi convellantur necesse est. Quin quod margines diaphragmatis undique fere contingant musculos abdominales, & fibrosis quibusdam productionibus communicent: immo 3tio diaphragma vestitur inferius peritonaeo: si ergo convellatur, convulsio etiam communicatur cum peritonaeo, musculis abdominalibus undique firmiter adcreto. Ergo ex data doctrina necessario vomitum sequi necesse est.

6) *Ventriculi*. Nervosa haec pars, ubi inflammatur, tam acerrime dolet, ut tandem in convulsiones agatur. Saepius quippe jam diximus, ab omni majori irritatione cibi copiosioris, acriorisve, venenis quoque, convelli ventriculum & in vomitus excitari. Ubi ergo inflammatione tam acute dolet, ut convellatur, ad minima deglutita adeo irritatur, ut partes illas, quibuscum tam arctum commercinm habet, nempe diaphragma, peritonaeum & abdominales musculos, immo & intestina, secum in convulsiones rapiat ac in vomitum erumpat.

7) *Intestinorum*. Ex *Wepferianis* & *Peyerianis* experimentis jam constitit, ab inflammatione intestinorum motum peristalticum inverti, adeoque intestinis contenta supra locum adfectum, ut succum entericum, pancreaticum, bilem, chylum, agi per pylorum in ventriculum, stimulare atque irritare eumdem, quo tandem fit, ut ventriculus in vomitum erumpat. Cogitent Practici hoc, antequam mox dent vomitoria,

dum interim intra paucas horas, aut dies, ipſa mors demonſtrabit, hominem inteſtini in hernia inflammati & ſuffocati gangræna laboraſſe. Repeto, quod in *hiſtoria herniarum* dixi, me minus acriter talia moniturum, niſi horrenda exempla etiam veteranorum Practicorum toties lugens vidiſſem: ſit hæc res ſemper Vobis præ oculis & in memoria.

8) *Splenis;* 9) *hepatis;* 10) *pancreatis;* 11) *renum.* Hæc omnia viſcera hærent & adnexa ſunt diaphragmati; priora a parte ſuperiori, renes ab inferiori. Irritabilitas diaphragmatis videtur tanta eſſe, ut hæc viſcera inflammata & turgida irritent diaphragma illudque convellatur. Porro antea jam vidimus, convulſo diaphragmate, & ventriculum & muſculos abdominales convelli; ergo oportere vomitum fieri.

Verum non modo renum inflammatio, ſed & infarctus a materia mucoſa, purulenta, ſabuloſa, calculoſa, (verminoſa, ichoroſa) vomitum facit, a dictis cauſis; eſtque utilitas quædam in hiſce, quia dum calculus renalis renem agitat, & ren diaphragma irritat, vomitus ſubſequens concutit totum abdomen, ita, ut vi vomitus aliquando fæces alvinæ & urinæ involuntarie exprimantur. Sic ſæpe beneficium naturæ eſt, ut vomitu excitato calculus pellatur per pelvim & ureteres in veſicam.

Quodſi tamen via cedere neſcia, vel calculus major ſit (aut prominentiis ſcindentibus inſtructus, qualem unum ex veſica urinaria exemtum poſſideo, undique lorica cryſtallulorum adamantiformium obtectum, magnitudine nuci analogum) vomitus talis eſt irritum naturæ conamen, potius in corporis deſtructionem tendens, quam in levamen (inpacto vi concuſſionis viis urophoris calculo, easque vulnerante, inflammante; unde hæmaturiæ cum aliis malis nonnunquam ſubſequentis petenda ratio)

ratio): perinde ac febris, beneficium naturæ ad ſolvendam materiam morboſam, ſæpe adeo violenta fit, ut deſtruat corpus, ſi viæ non ſatis patulæ, per quas illam expellat.

12) *Meſenterii*, proinde & *meſocoli*, illud etiam partim adcumbit diaphragmati; ſed præterea adnexum inteſtinis; de meſocolo idem dictum eſto. Eſt porro adeo irritabilis fabricæ, ut inflammationes & vulnera meſenterii inexplicabili anxietate mortem inferant, ut ex *Ruyſchianis* toties vidimus, in *hiſtoria vulnerum.* Irritabilitas hæc facile communicatur cum inteſtinis; quia extima tunica inteſtinorum a meſenterio & meſocolo eſt, & omnes arteriæ & nervi ad inteſtina deferuntur, & venæ ac vaſa lactea ab inteſtinis referuntur per ſolum meſenterium & meſocolon. Igitur illa irritabilitas meſenterii facile communicatur cum inteſtinis: inteſtina adfecta & contracta ab inflammato meſenterio facile vim periſtalticam invertunt verſus ventriculum, & hinc vomitus.

Ab inflammatione *peritonæi* juvenis moritur cum omnibus ſymptomatibus herniæ incarceratæ: in cadavere nil herniæ inventum; ſolum peritonæum in una plaga inflammatum & gangrænoſum.

13) *Ab irritatione gulæ*: videmus hoc exemplo, quam totum hoc ſyſtema chylopoëticum ſit irritabile, ab una modo plaga adfecta: quippe eſt a gula ipſa ad usque anum unum modo viſcus, habens membranarum mutuam continuationem. Levis faucium irritatio nauſeam facit, paullo major ipſum vomitum materiæ ventriculo contentæ; magna vero ſubvertit corpus ita, ut totum veluti emulgeatur per vomitum. Profui ſæpius hominibus, qui ex nimia ingeſtione alimentorum vel vini in apoplexiam inclinarent, plumula oleo

illita leniter irritando fauces, ita, ut blando vomitu omne periculum abiret.

14) *A motu perturbato ſpirituum per agitationes inſuetas in rheda, mari.* Explicui ad §. 788. Non tantum hoc, ſed a motis & perturbatis ſpiritibus per animi pathemata oriuntur nauſeæ & vomitus, ut ibidem docui.

15) *Ab idea rei, quæ nauſeam vomitumve ſæpe excitavit.* Miranda ſane machina ſumus! Quis Veſtrûm non expertus eſt aliquando rei avide comeſtæ ingurgitatæque, dein vomitus fœtidos, putridos, anxios generantis, horrorem tantum, ut ad ſolum ejus nomen poſthac auditum nauſeabundus totus non eſſet? Quot ſunt, qui poſtquam nauſeoſum pharmacum ex vaſculo quodam hauſerint, mox ad ſolum crateris illius adſpectum in nauſeas, quandoque in vomitus inviti vertuntur? Idque ut de ſapore, ita de odore verum. Qui per viam tranſiens, ubi ſemieffoſſum putridi animalis cadaver olfecit, in nauſeas & vomitus proruperat, ille diu poſt eamdem viam repetens, horrore, nauſea, aliquando & vomitu, corripitur. (Cauſam horum aliam ſeſe neſcire *Cel.* HAENIUS ait, niſi, quod ad remotam memoriam priorum τὸ ἐνορμῶν in nobis ita adficiat ſenſorium commune, ut, ac ſi illa res iterum præſens eſſet, eosdem per nervos agitatos edat effectus.)

16) Vomitus etiam poteſt oriri a *materia quacunque ex quavis corporis parte delata;* ex arteriis, venis; a viſceribus quibuscunque aliis ad ventriculum delatis: ita, ut corpus totum exinaniri vomitu poſſit.

17) *Ab intropreſſione cartilaginis xyphoeidis*, ut binis exemplis demonſtrat LA MOTTE *l.* 4. *des accouchem. c.* I.; quæ feminæ ambæ curatæ, educendo cartilaginem extrorſum.

18)

18) In *hernia ventriculi*: Symptoma herniæ vidit Garengeotte; nasci poterit & ab omni hernia.

19) *A nervo*, aut *tendine*, *alibi adfectis*; uti in antea jam adducto exemplo Helmontii, talum luxantis.

20) *A graviditate*, (ob perturbatum motum spirituum, irritationem, tensionem, pressionem ventriculi, intestinorum &c.)

21) *A manustupratione*, (ob illico dictam spirituum semitam arythmam.)

Brevibus nunc expediunda est vomitus ex quacunque causa nati curatio.

1) *A copia nimii ingesti*, *aut acrimonia*, *a venenis*; exposui ad §. 756. Talis vomitus hinc excitatus titillatione faucium plumula oleo madida; vel, si id non juvet satis, tepida multa & oleo promoveatur, ut ventriculus possit totum expellere; fitque magno hominis bono, ut a tali causa vomitus oriatur: quum copia nimia sæpe lethales apoplexias faciat, ut ex Wepfero toties vidimus. (Mentio hic fieri commode valet instrumenti, ante plures annos jam, sub nomine *excutiæ ventriculi*, **Magenbürste**, ad exonerandum ventriculum, ciborum nimia copia repletum, excogitati; quo helluones nonnulli familiariter demum adeo cœperunt uti, ut quotidie fere illo haberent opus; donec & ingluvie frequentissima & emesi vires digerentes omnes forent prostratæ.) Si ab acrimonia, ut a bile putrida ad præcordia collecta, vomitus vomitu curetur. Quodsi vomitus nimius sit, ut, licet diu multumque evomuerit homo, nec tamen ab irritatione semel concepta cesset; paregorico sedetur.

Vultisne formulas emeticorum? En paucas! Si levis nausea jam adest, irritatione gulæ illico provocatur, ut dixi; vel potu aquoso, oleoso, mellito. Si ven-

tri-

triculus nimis distentus a copia, vel ab aëre, ut nihil exeat; tepida aqua anisi, vel levistici tentetur, an forte in ventriculum descendat & inde ructus multi explodantur. Sane in tali casu vomitorium violentius datum produxit lethalem apoplexiam.

Sed si ab acrimonia, aut a veneno:

℞. Rad. ipecac. ʒsem., vel gr. XL., vel ʒj.
f. pulvis miscendus cum aqua.

vel ℞. Rad. ipecacuanh. ℈iv., vel ʒij.
cum vino albo coq. phiala alta per ʒhorium: colat. ℥iij. d. usui.

Si vis paullo fortius, adde colatur. ℥sem.
Oxym. squillit. ʒvj.

vel ℞. Tart. emet. gr. v.
Syrup. violar.
Aq. meliss. aa ℥sem. M.

Hoc paullo præcedentibus fortius. Scitis omnes, ni fallor, quid sit? Tartarus emeticus componitur ex croci metallorum & cremoris tartari aa p. æqual., bulliant in aqua, donec tartarus dissolvatur: solutio calida filtretur; id nova adfusa aqua toties repetatur, donec nil amplius de tartaro (croco) adpareat. Evaporetur, donec cuticula conspiciatur, & ad crystallisandum reponatur, eruntque crystalli *tartarus emeticus* (cujus exactam, quam hactenus scimus, historiam dedi in *Instit. meis chemicis T. II. Sect. I.*) Crocum porro metallorum scitis componi ex antimonii crudi, nitri puri aa p. æqual., quibus adcurate tritis & detonatis, pulvis residuus isque edulcoratus ab omni sale, est crocus metallorum, sive antimonii hepar, terram etiam sanctam RULANDI vocant; cujus gr. j. ij. miros vomitus edunt. Est tamen pulvis, qui oculo insufflatus nulla dat acrimoniæ signa. Forte a mutata regulina parte sic agit. Raro autem sic datur, nisi forte illico fortiterque homo

esset

effet mutandus, ut ab exhibito veneno, vel in mania &c. (*)

Paratur emeticum ex infufione croci metallorum: fumunt v. c. croci metallorum non determinatam quantitatem, fed vini generofi, non acidi, v. g. hifpanici, ℥j. iß ij. fit fic generofum emeticum. Pendet vis non a croci metallorum quantitate, fed a vini copia. Præfcribitur autem fic:

℞. Infufionis croci metallor. five aquæ benedictæ Rulandi ℥j. iß ij.

Vini quantitas femper præfcribenda eft.

Præfertur infufioni, quæ fit a vino cum vitro antimonii: eamdem vini quantitatem addunt, fed videtur tumultuofius agere.

Pharmacopœi præparant fæpe fibi pocula emetica ex regulo antimonii per fales fuforios præparata, quæ continent ℥jß ℥ij.; tunc inplent vino, & relinquunt per noctem, fequenti mane eft aptum emeticum, vinum tamen vappidum eft. Pocula talia pro 100 vicibus, & ultra, fufficiunt: unde vim eorum inexhauftam ajunt. Verum id nimis audacter dicunt; nam funt, qui per longos annos ufurpata debiliora invenerint. (Confultum nunquam non magis eft, ut vel tartari emetici, vel ipecacuanhæ &c., determinata dofi, & quæ in-

---

(*) Omifi hic additamenta varia, a *beato* AUCTORE in margine codicis adjecta, circa præparationem hepatis antimonii, mercurii vitæ, vitri antimonii cerati, fyrupi emetici *Difp. Vindob.* &c., quum hæc aliunde perfectiori longe fermone tradiderim in *Inftit. Chemicis*; nec novorum obfervatorum quid inter illa occurrat. *de* W.

integra operetur, utamur, præ dubio ejusmodi poculo emetico.)

Hæc circa præcipua vomitoria; ſed 1) videndum, an plethora non jubeat, ante venam ſecare, ut toties dictum.

2) In actione emeticorum, ſi neceſſitas urgeat, illico remedium eſt dandum; ſin minus, materia educenda primo præparanda eſt aquoſo multo & mellito potu; v. & *Aph.* 7—70.

3) Situs vomentis in ſedili erectus potius, quam in lecto ſedentis ſit: id enim ex multis ægris percepi, longe minores dolores in abdomine toto illos habuiſſe, dum in ſedili ſederent, quam ſi in lecto; immo ſe minori labore vomuiſſe. Ratio patet: in ſedili pendentibus femoribus cruribusque abdomen majorem habet libertatem, dum contra ventriculum convellitur, quam ubi illud ſedenti in lecto ægro complicatum & rugoſum eſt, cruribus & femoribus horizontaliter contra abdomen directis. Eſt & minor ſic herniæ metus.

4) Cura ſemper habeatur, ut aqua calida præſto ſit, antequam æger emeticum ſumat; vel aq. infuſ. card. bened., vel aqua cum tantillo ſalis &c.

5) Sumto emetico exſpectetur per $\frac{1}{4}$ horæ, ut æger a remedio vomat; mox ubi vomuerit, dentur ſubito aquæ prius paratæ ℥iij., iv.; ſi vomuerit, iterum tantum; donec ultimam aquam retinuerit.

6) Si æger per integrum quadrantem horæ ab adſumto emetico nil ſentiret, utique tunc aqua tepida, leniter ſalita, vel infuſ. card. benedict. tepide porrigendum eſt, ut vomitus ſic promoveatur.

7) Cura ſit, ut ſella perforata ad manum ſit, quia plerumque evenit, ut vomitoria ſimul per alvum operentur; aliquando durante vomitu, plerumque mox ab eo finito.

8) Si vomitus bene peractus eſt, ventriculus roboretur vini confortantis hauſtu ; vel fruſtulo panis biscocti, vino intincti, vel fruſtulo mivæ cydoniorum.

9) Si homo debilitatus nimium ſit, aut nauſeabundus maneat, aut mobilis ſit generis nervoſi, paregoricum detur ; quale in ſingultu præſcriptum ; per epicraſin ſumendum, donec melius habeat.

2) *A læſione cerebri.* Hæc in tractatu de vulneribus capitis expoſita ſunt. Si methodus reſorbens non juvet, trepanon adplicetur. Vomitoria porro hic venena ; augent enim morbi cauſam, cerebri conpreſſionem.

3) *Ab inflammatione diaphragmatis --- meſenterii.* Hic, ſi vomitoria dederis, homicidium perpetrabis, licet quandoque homo ad vivos redeat. Augetis enim inaniter inflammationem ; ita, ut inflammatio, quæ forte per ſalutarem criſin ſoluta fuiſſet, jam in ſubpurationem, aut gangrænam abeat. Curatio unica hic eſt antiphlogiſtica methodus, ita directa, ut ad ſingularum harum partium inflammationem conveniat ; quod in *Aphoriſmis practicis* inquirendum.

Patet ex illico dictis, quam multum errent, qui conſuetudinem habent dandi in omnibus acutis emeticum : gangrænam, vel ſaltem diram ſubpurationem producunt.

4) *Ab irritatione gulæ.* Sunt homines peculiaris ita conſtitutionis, ut a minima offa inprudenter deglutita, mox oriatur titillatio, tuſſicula, vomitus (quales & ſpeciei tuſſis convulſivæ a leviuſculis ſatis cauſis nonnunquam ſunt obnoxii ; unde nunquam non hoſtis domeſtici memores ſint). Unicum conſilium eſt, ut celeritatem & aviditatem nimiam evitent in deglutiendo (nec unquam loquantur, dum vel minimum quid ore volvunt, nec profunde nimis in- vel exſpirent) ſunt,

qui

qui a tabaco naribus hausto sæpe vomant, dum per nares posticas mucus una cum tabaco in fauces cadit: si velint remedium, abstineant a tabaco.

5) *A motu perturbato - - - rheda, mari* &c. sunt, qui inde nil mali retineant: sunt, quibus reliquiæ bilis manserint inter ventriculi plicas, nauseasque proinde continuent. His tunc emeticum primo, dein mox paregoricum dandum. Cæterum optimum remedium est, vectionem in rheda & mari repetere aliquoties: ita expertus loquor; abit omnis nausea.

6) *A motu spirituum per animi passiones perturbato:* diascordium, theriaca, opiata alia & nervina prosunt palliative. Si velint curativam methodum, duo fiant: 1) conentur præprimis illi animum regere,

— — — — qui, nisi paret,
Inperat: hunc frænis, hunc tu compesce catena.

HORAT. *L. I. Epist. II.*

2) ut Medicus conetur debile corpus firmare & roborare, ut illa εὐμεταβλησία inmutetur.

Porro hic animadversio practica inferenda. Sæpe usu venit, ut homines non a materia, sed a sola illa εὐμεταβλησία laborantes, per annos roborantia, nevrotica, chalybeata, fontes medicatos, vina medicata usurpent, non ab uno tantum Medico, sed ab & urbis & regionis viris famosissimis, idque frustra. Videntur opem habere mox a mutato Medico, ob novam fiduciam; sed brevi in priores relabuntur miserias. Sic languent per annos, invehunturque in artem medicam, velut rem cassam; invehuntur in artifices, dantes verba vocesque, prætereaque nihil. Tandem vaniloquus agyrta, stentorea sua arte sibi famam conciliians, ut ultimum adpellatur ab ægro tali refugium. Ille nescius agere, nisi omnia sursum deorsumque movendo, dat emeticum, & quia videt corpus debile,

exhi-

exhibet mox ab emetico peracto suum orvietanum vel mithridatium. Æger aliquando visus est per annos se melius inde habere; unde subfalse suos Medicos subsannat, agyrtamque, qui, quid fecerit, nescivit, extollit in astra, auro multo remunerat: unusque talis casus sufficit, ut centeni ea in urbe per agyrtam ad orcos mandentur.

Capitisne causam A. A.? Nostis quomodo Vobis in morbis nervorum explicuerim generis nervosi adfecti morbos, simulque demonstraverim, a solo perturbato animo oriri omnis generis ægritudines interque illas *bilis motum ad ventriculum & intestina*. In primis initiis hinc leves nauseæ oriuntur; subinde & vomitus. Vocant suos Medicos, aliquando ex prima classe viros, qui magni & incomparabilis SYDENHAMI aurea doctrina inbuti, norint, ab animi pathematibus omnia talia symptomata oriri, absque ulla materia mala in ventriculo præsente; adeoque cane pejus & angue vitanda esse omnia, quæ ultro agitent tenella corpora. Hinc motus hos sopiunt opiatis, nervinis, pro tempore. Redeunt occasiones irarum, bilis semel moveri consueta veteribus sordibus novas addit, sicque morbus nascitur tandem cum materia, quæ olim omni prorsum materia caruerat. Agyrta eo tempore accedens & ad nomen auditum nauseæ, a quacunque causa illa orta sit, non curans, dat emeticum, & curat sæpe pro longo tempore.

Immo plura hic quandoque fiunt. A longo tempore roborantia data fuere nervique facti sunt robustiores: Medicus, putans nauseas & vomitus oriri a nimia mobilitate nervorum, erraverat, quum nervi jam robustiores; sed materies, antea absens, nunc in ventriculo præsens fuerat. Ubi agyrta negotium suum peregit, simul laudem reportat optimorum robo-

rantium remediorum, a Medico ordinario antea præſcriptorum: ita, ut ipſi Medici obſtupeſcant curam, nec illam ſe intelligere fateantur. Cauſam Vobis dixi: adtentio eorum ſemper determinabatur ad primam eamque veram morbi ideam; ad mutationem deinceps factam adtentio defecerat.

Ante tredecim annos contigit, ut cum *Inl. Barone* VAN SWIETEN, tunc adhuc Lugd. Batavorum degente, Nobilem Dominam epilepticam in cura haberem, cujus teterrimus morbus citra materiem erat. Per ſesquiannum non multum lucratus, tandem, generata ad præcordia materie, & morbo, citra materiem nato, jam cum materie facto, ex conſilio *Inl.* BARONIS emeticum ægræ, & quidem gravidæ, ter porrexi, fuitque ab ultimo emetico omnino libera ab epilepſia, & per undecim annos libera manſit; donec, ut nunc ex relationibus audivi, ex mœrore domeſtico inſultus redierint.

Quod autem gravidæ licet daremus emeticum, ne miremini: erant 1) ſigna præſentis materiæ evidentiſſima; 2) epilepſiæ inſultus vel unicus adeo ferox erat, ut plus defatigaret, quam decem vomitoria: ergo jure ſic videbamur concludere; eſtque fæmina enixa feliciter.

7) *Ab idea rei, quæ nauſeam, vomitumve ſæpe* &c. Vel ratiocinio firmo muniat ſe homo adverſus haſce inanitates; vel, id ſi nequeat, evitet, quæ ſopitas ideas reſuſcitare & refricare poſſint.

Tandem deprehenduntur quandoque nauſeæ & vomitus, qui vix habere cauſam videntur, & ubi, incaſſum tentatis omnibus, miri exſurgunt adpetitus, quibus, dum deſiderata obferuntur, homines curantur.

Ita sæpe adpetitus in tali casu subnascitur in haleces salitos, in ostreas, aliave salsamenta: quibus usurpatis affatim, absoluta cura sequitur.

Vel incassum sæpe tentatis omnibus, extra omnem artis prudentiam, antemeticum Riverianum non raro utilissimum deprehendi. Datur salis absinthii non sulphurati ℈ß cum succi limoniorum ℥ß, inque incipientis effervescentiæ actu deglutitur. Videtur expandendo ventriculum motum spirituum impedire per aliquod tempus, ne in convulsiones prorumpant; sicque sensim fluxus ordinati a cerebro & cerebello fiunt.

In Belgio sæpe visum, nauseam & vomitum tam latentes causas habuisse, ut incassum Medici exhausserint omnem artis penum. Interim homo ille incipit ferri desiderio insatiabili in haleces salitos, maxime eo tempore, quando recentes adveniunt, vix 4. 5. dies capti. Medici acrimoniam salinam & pinguedinem brevi rancescentem veriti, mortem fere intentant inde. Comedunt ægri clam Medicis, expleto desiderio sanescunt, ridentes ubique Medicum & Medicinam. TULPIUS sic narrat, gravidam 1400 haleces comedisse, ab omni alio nutrimento abhorrentem, citra ullum sanitatis dispendium, *obs. med. l.* 2. *c.* 24. — SYDENHAM *Diss. epistol. p.* 459. „ in his, ait, omnibus naturæ, ut videtur, aberrationibus quilibet in praxi medica vel mediocriter versatus, modo animum diligenter adverterit, facile concedet, ægros haud paucos, ubi primo, spreto Medici dictamine, genio suo obsecundaverint, se melius habuisse. "

In gravidis vomitus lapidibus cancrorum cum opio sæpius tollitur. Tuto sæpius ℥ß cortic. peruv. quotidie per aliquot dies exhibetur. In scirrho ventriculi, pancreatis, hepatis, non perpetuus est vomitus,

licet caufa perpetua fit; fæpe a plethora, diæta, fex rebus non naturalibus refufcitatur: remedia hic pauca, opiata.

Vomitus & cardialgia fæpe curantur 1) fcuto ftomachico; 2.) matutino laxante & pomeridiana miftura, aut condito ex tota mentha, cum opio & lapidibus cancrorum.

Pro more recenfebimus HIPPOCRATIS *aphorifmos*, in quibus de *vomitu* agit. 1.) De *tempore vomituum*, Aph. 3 — 21. „ Æftate febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, & vomitus, & alvi fluxus, & ophthalmiæ, & aurium dolores & oris exulcerationes, & pudendorum putredines, & fudamina. "

Si §. 746. de aëre calido ficco recenfeamus, videmus illico *febres ardentes & continuas*, & *ophthalmias* & *otalgias* oriri oportere. Etiam in tam ardenti calore in Afia *putredines* nafcuntur ad *pudenda*, fi homines cum fummo nitore illa non fervent. Hinc toties animadvertimus in lege Mofaica, feminam menftruantem & hominem, qui gonorrhæam fimplicem, non virulentam pateretur, pro inmundis haberi & a cœtu communi fegregari.

Oris exulcerationes, exhalantibus tenuioribus aquofis reliqua infpiffantur, ftagnant ad fines emiffariorum in ore: ubi ab adluente aëre putrefcunt, & exulcerationes faciunt.

Vomitus & *alvi fluxus* a nimia ingurgitatione refrigerantium & fructuum horræorum; tum a bilis cumulo eaque exaffata, quam vidimus *ſ. cit.* æftate oriri.

Tertianæ vero & *quartanæ* frequentiores in Afia, æftate apud nos rariores, faltem quartanæ.

2) *De ætate vomituum* 3 — 24. „ In ætatibus autem talia eveniunt. Parvis quidem & recens natis

pueris

pueris aphthæ, vomitus, tuſſes, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates. "

Pleraque hæc ſunt ſymptomata infantum ab *acido*, ut etiam *vomitus*. *Umbilici inflammationes* e ligato funiculo umbilicali in calidiſſimis locis facile intelliguntur.

Aurium humiditates ſalutares infantibus; ſed ſi morboſæ, ut hic, id eſt, ſi omnes circumquaque partes inde fœde exulcerentur, moderandæ ſunt, non omnino auferendæ. Aqua pura laventur quotidie, & peſſimæ exulcerationes illiniantur unguento nutrito ſine corpore, quod fit ſumendo acetum lithargyrii eique addendo tantum olei olivarum, ut agitando fiat molle unguentum. Reliquæ humiditates relinquuntur: poſſunt enim infantes ophthalmiis, immo convulſionibus adfici, dum integre curantur illæ humiditates.

Aph. 7—8. „A tumoris intus ruptione exſolutio, vomitus & animi deliquium fit." Tria hæc ſymptomata poſſunt oriri ſimul, poſſunt oriri ſeparatim in diverſis. Oriuntur ſimul, ſi v. c. magnus abſceſſus lienis aut hepatis rumpatur & per ductum communem in duodenum transferatur. Etenim a magno horum viſcerum tumore vaſa in toto ambitu conpreſſa erant, turbatusque maxime cœliacus ſanguis. Si jam ſubito ſoluto tumore vaſa omnia conpreſſione liberata ſunt, ſanguis tanta copia in illa irruere poteſt, ut copia non ſufficiens adſit pro reliquis corporis vaſis ſufficienter inplendis; unde primo illo tempore homo ſentit virium quaſi reſolutionem.

Puri jam ad duodenum delato via patet vel ad anum, vel ad ventriculum, prout major minorve reſiſtentia eſt verſus alterutrum locum. Si major reſiſtentia deorſum, tunc materies ventriculum petet & vomitu educetur. Poteſt autem eſſe materies adeo copioſa, ut

vi facta totum quasi corpus hac violenta actione emulgeatur & homo cadat in animi deliquium.

Id porro maxime locum potest habere, si soluta ex tumore materies acris ventriculum continuo irritet: ita ut, licet sit abscessus evacuatus, tamen residuæ acres particulæ, hærentes inter ventriculi plicas, vomitum non sistendum producant, ut fiat demum animi deliquium. Sed casum jam aliter ponamus: fiat v. g. tumoris introrsum ruptio in thorace. Fiet exsolutio virium ob copiam sanguinis ruentis in tot conpressa olim vasa. Vomitus oriri potest, si pus v. g. ex pleura subpurata, ex pulmone subpurato, ceciderit in diaphragma; sane vel actio ejus conprimetur ita, ut subsistat fere respiratio & cordis actio in illa subita eruptione & ut homo cadat in animi deliquium, immo, ut moriatur; vel a pure irritatum convulsumque diaphragma potest in convulsiones agere ventriculum & musculos abdominales.

4—17. „ Non febricitanti adpetitus dejectus, & oris ventriculi morsus, & tenebricosa vertigo, & os amarescens, sursum purgante opus esse, indicat. "

Toties explicui hoc, dum de necessitate bilis intra ventriculum coacervatæ & corruptæ per emetica evacuandæ egi; nam hic omnia ejus præsentis signa enumerata habetis. Velim tamen notetis, quam prudenter primo dicat, *non febricitanti*; nam si febricitet valide, possunt esse indicationes urgentiores, primo aliud faciendi, v. g. venam secandi, antequam emeticum detur.

4—18. „ Supra septum transversum dolores qui purgatione egent, sursum purgante opus esse indicant; qui vero infra, deorsum. " Mirum, quomodo se contorqueant Auctores ut sano sensu & cum praxi conveniente hunc aphorismum explicent; sed inaniter: si enim

enim de vomitorio ſumitur, non poteſt explicari ; nam ventriculus ſub ſepto hæret : ergo indigeret purgatione deorſum, non ſurſum ; prorſum contrarium doctrinæ in præcedenti aphoriſmo datæ.

Hinc velim animadvertatis, aliquando aphoriſmos varios ſubſequenter ſibi connexos eſſe, aliquando omnino ſeparatos : id porro ſenſus docere debet ; qui ſi contrarius, ut hic loci, ut ſeparata ſententia, nil cum prioribus commune habens, explicandus eſt. Dico itaque :

Pleuritides, pleuropneumoniæ, ſunt dolores, qui a nata Medicina in hunc uſque diem noſcuntur egere purgatione ſurſum per ſputa : dolores ventriculi, inteſtinorum, hepatis, renum noſcuntur ob viæ commoditatem, ob tranquilliorem actionem, leni deorſum purgante indigere, ſive eccoproticis, ſive diureticis : ergo Medicus novit jam in multis morbis viam evacuandi.

7— 61. „ Sudor multus calidus aut frigidus ſemper fluens, humidi redundantiam haberi ſignificat. Educere igitur oportet robuſto quidem, ſuperne ; debili vero, inferne. "

Multi tales reperiuntur, quibus viſcera utcunque debiliora, quam ut ex adſumtis bonum tenacem ſanguinem conpingant : hinc tenuiores manent humores, non perſpirabiles, ſed per ſudores laxos effluentes. In his debilioribus alimenta adſumta vitioſe cocta in primis viis relinquunt ſordes, cruditates, indigeſtiones.

Si in his hominibus aliquando fiant evacuationes, ſæpe multum juvantur, ſive per vomitum, ſive per purgationem alvi : nam 1) ſaburra crudior educitur, & 2) vis humorum, ad cutim ruentium, vertitur ad primas vias, & magnopere inde evacuantur.

His evacuatis, si tunc per roborantia & motus corpus firmius reddiderit, homo integre curatus est: cæteroquin purgationes sæpe instituendæ vim palliativam modo habent.

In delectu vero purgationis id considaratote, ut emeticum dederitis his, qui minus debiles; quia valida emetici concussione corpus admodum exhauritur humoribus: debilioribus vero, id non ferentibus, purgate per alvum.

4—4. „ Purgandum æstate quidem magis superiores ventres; hyeme vero inferiores. "

4—5. „ Sub cane, & ante canem, difficiles sunt purgationes; sive sursum, sive deorsum. "

4—6. „ Graciles & facile vomentes sursum purgandi, vitantes hyemem. "

Tres hos aphorismos simul explicabo. In genere diebus canicularibus calor maximus æstivus solet haberi; unde homines se maxime debiles & torpidos esse sentiunt; nam perspirando multum virium perdiderunt. Si igitur illis des purgantia, vel vomitoria, poterunt inde male adfici, quia adhuc plus debilitantur; laxaque omnia solida a stimulo remediorum difficilius moventur.

Tamen possunt esse casus, ubi purgare opus est: in æstate enim exassantur humores perspirabili omni ablato, bilisque exassata adcumulatur, & hinc fiunt ad præcordia sordes.

Quæritur, an non proforet, æstate has sordes diluere & multis diluentibus adtenuantibusque restituere perspirationem?

Sane, si posset ita fieri, proforet: at vero, si sordes hæ biliosæ corrumpantur, & faciant, quod paullo prius explicui ad Aph. 4—17., non datur optio; nam putrida bilis inficiet omnia adsumta, & faciet nauseas

ſeas & vomitus perpetuos: vel ducta deorſum peſſimas dyſenterias creabit; aut intrabit in ſanguinem per venas lacteas.

Hoc tanti momenti, ut *Pater* HIPPOCRATES auſit dicere Aph. 4—10. „ ſurſum vel deorſum purgare in valde acutis, ſi turgeat materia, eadem die oportet; morari enim in talibus malum eſt.

Hinc BOERHAAVE *Aph.* §. 659. „ Cur quibus initio febris acutæ vomitus perpetuus, ſine cauſa inflammatoria, diarrhæa pro criſi, quæ caveatur dato in principio morbi emetico? " Ratio in præcedentibus explicata eſt; turget enim materia, adeoque mox a principio erat purgandum: ſcimus, quomodo SYDENHAM invenerat proficuum emeticum initio febris continuæ putridæ; qua eadem methodo in alia conſtitutione fere occidiſſet homines, quia materies ibi οὐκ ὀργᾷ, non turgebat.

Igitur æſtate quamvis difficulter fiant φαρμακευαί, tamen naſcuntur expoſita de cauſa plures occaſiones dandi vomitorium, quam hyeme; unde tunc indicantur.

Sed ſi homines tamen difficulter vomant, ita ut corpus mirum in modum agitetur, poſſunt aeſtivo calore humores agitati & rarefacti multa mala facere; tum in cerebro, tum in pulmonibus, tum etiam nimium movendo ſyſtema biliofum. Potius tunc deſiſtendum ab evacuatione. Hucusque ſenſus HIPPOCRATIS.

Quæritur adhuc, cur HIPPOCR. dicat, emetico potius opus eſſe æſtate, purgatione per alvum hyeme?

Cur æſtate, dixi: hyeme vero homines voraciores copioſiori alimento indigent. Si ſimul ſe multum moveant, bene; ſin minus, ventres inplentur nimium, viæ primæ infarciuntur, & indigent ea ratione, ut inteſtina probe eluantur.

Idem HIPPOCR. aphorismo inmediate hos tres sequente subjungit. „ Difficulter autem vomentes & mediocriter carnosi, deorsum, vitantes æstatem. " Videmus, quod in difficulter vomentibus, mediocriter carnosis, emetico non substituat purgationem alvi per æstatem : humidiores sunt, nec ita bilem coacervant, quam qui & graciles & ob bilis abundantiam in ventriculo faciliori vomitui adsueti ; adeoque minor erat necessitas, illos emetico fatigandi, aut purgatione alvi. Hyeme vero ipsos purgandos ait, non sursum, nam non sunt biliosi, neque hyeme bilis coacervari solet ; deorsum autem, quia venter inferior hyeme magis onustus est, ut antea vidimus.

Tandem vetat HIPPOCR. graciles facileque vomentes hyeme emeticis purgare. Ratio est, quia bilis hyeme in illis non abundat, nam expositæ antea causæ, cur abundaret bilis, nunc exsulant. Si igitur purgandi sunt hyeme, non ἀνὼ ; nam ibi malum non latet, sed in inferiori ventre : ergo venter purgante solvendus.

Aph. 7—70. „ Corpora oportet, ubi quis purgare vult, facile fluentia reddere. Et si quidem velit efficere facile fluentia sursum, alvum sistere ; si vero deorsum, humectare. " Dixi hæc Vobis in regulis dandi emeticum. Si tempus non urget, multa diluentia, acrimoniæ notæ obposita, dare convenit ; quia adglutinata undique colluvies & concreta facile solvitur & dato posthac remedio commode educitur.

Si nunc intentio Medici, ex data indicatione, est, per inferiora educere alvum, poterit in præparatione corporis adhibere succos saponaceos, nitrosa, salia neutra, quæ multa aqua mista & pota, jam incipiant laxare alvum, ut purgans posthac eo tutius commodiusque operetur.

Quodsi

Quodſi hac eadem ratione perrexeris, ubi vomitorium indicatur, emeticum adſumtum fiet purgans, ut ſæpe fit; adeoque poterit diſpoſitio illa præparatoria noxia eſſe.

Hinc cavete ab alvum utcunque laxantibus; comedat æger antea, quæ alvum ſtringant potius, quam laxent, ut emeticum agat per ſuperiora. Aqua tepida antea ſumta non nimia ſimul, ſed repetita ſæpe, copia, ſenſim ſolvet tenacem materiem & inchoabit jam nauſeas.

Aph. 1—22. „Concocta purgare & movere, non cruda, neque in principiis, niſi turgeant: plurima vero non turgent." Conferte hanc auream regulam cum praxi Modernorum, qui omnem omnino curam fere ab emetico incipiant. An legerint hi, ſaltem an capiant unquam, mentem HIPPOCRATIS? Aut an potius ita ſapientiores ſe exiſtimant, dum interea regula ſine exceptione hæc viſa fuit HIPPOCRATIS doctrina omnibus cordatis Practicis?

Quomodo cognoſcet ergo quis, num turgeat materies, quia ait HIPPOCRATES: „plurima non turgent?" Videte, quæ paullo ante ex BOERHAAVIO & SYDENHAMO dixi. Collectio putrida, olim explicata & nunc turgens, fuit cauſa morbi proëgumena, latens ibidem ante morbum & putredine infectura omnia medicamenta & alimenta; immo peſſimam febrim accenſura, ſi forte cum ſanguine miſceatur: ergo illa turget, educendaque eſt. Sed ſi non talis, ſi nauſea & vomitus tantum ab introverſa perſpiratione, ut in plerisque acutis & inflammatoriis obſervari ſolet, non turget materies: diluentia, perſpirationem promoventia, ſiſtunt nauſeas vomitusque: ſecus qui fecerit, cruda movet, non cocta, occidet, quantum in ſe eſt, hominem. Unde addit 1—25. „In acutis adfectionibus raro, & in prin-

principiis, emetico, vel purgante, utendum, atque hoc diligenti prius adhibita cautione faciendum." Nam, etsi turgeret, forte topica inflammatio inpediret emeticum.

Aph. I—23. „ Quæ prodeunt, non copia sunt æstimanda; sed, si prodeant, qualia oportet & facile ferat. Et ubi ad animi deliquium ducere oportet, hoc etiam faciendum, si Æger sufficiat."

Mirus aphorismus, multa docens! Nonnunquam copia adeo exigua emetico educta, ut vix nomen mereatur; sapienti Medico sat est. Sed sunt casus, ubi illi ne magna quidem copia sufficiat; adeo ut ultra ultraque pergat. Videamus AA. quid sit, Medicum esse!

Indicabatur emeticum v. g. initio acuti morbi & vix copiam notabilem homo reddidit. *Emetici Medici*, si eos ita vocare liceat, ajunt: hoc nihil est, sed repetatur vomitorium, bis, ter; & male agi cum suis ægris judicant, quod non plus vomant. Ægris, adeo male ab ipsis mulctatis & debilitatis & ob crudos humores motos ægerrime laborantibus, magni hi viri causam explicant omnium malorum, quod copiosissimam saburram in corpore adservaverint. Quantum est in rebus inane! Quam parum intelligunt nostrum simplicissimum, ob idque magnum, HIPPOCRATEM, postque illum SYDENHAMUM; qui non a copia, sed a malorum lenimine, mensurant emetici effectum!

1) Materies emetico mota, plerumque etiam facit alvum solutiorem; unde maxima saburræ copia forte hac via abiverit.

2) Pauca forte materies, ibi a longo die hærens, adeo est facta acris, maligna, venenata fere, ut gr. j. sufficeret, ad totum ventriculum subvertendum. Gr. j. albuminis ovi corrupti, veneni instar, totum hominem sub-

ſubvertit: *v. Chem.* BOERH. *proc.* 113. Si igitur expulſo eo videam ſymptomata miteſcere, conquieſcere debeo.

(Vidi ſæpius, ac in principio febrium autumnalium id frequentius obſervare datur, tartaro emetico ejectam materiem, copia quidem valde exigua; aſt adeo acrem, ut œſophagum faucesque, aquæ fortis adinſtar, vix non vulneraret, dentesque ſtupefaceret; interim tamen, excuſſa hac ſaburra, remiſerunt ſymptomata; unde repetitionem emeſeos non requiſitam fuiſſe, & ſatis adparet, & ſanitas rediens extra omnem poſuit controverſiam. Prout hinc multum peccatur, ſi, dum revera opus eſt, emeticum, tum ſaluberrimum, non adhibetur, nimiumque differtur; ſic & graviſſime errat, qui diutius juſto remediis emeticis corpus torquet, crudaque exagitat: inprimis dum ſcopo vere emetico ingeruntur; alia ſiquidem ratio denuo, dum alterante, deobſtruente, ſolvente, non manifeſte cathartico, in uſum vocantur. Rectiſſime ſane monuit *Cel.* BRISBANE, *Select. caſes p.* 51., „ *Several metallic ſubſtances, and particularly mercury and antimony, when diſſolved &c. to ſaline ſubſtances, ſeems to mix eaſily with the animals fluids; acting, as it would appear, not only as evacuant and by irritation, but alſo by reſolving and deobſtruent powers.*)

Verum haud ita loquebatur HIPPOCRATES, dum hominem maniacum citra materiem fortiter movere volebat, ut totum cerebrum in illo concuſſum finem forte delirii faceret: (*) ibi repetebat ſua draſtica remedia, quoad ægri vires ferrent; nam omnia erant ſurſum deorſumque movenda. Præſtitiſſet nimirum, nihil hic,

quam

quam parum, facere: hinc videtis explicatum hunc bimembrem Aphorismum.

(*) Non ideo solum, sed quod in nonnullis hominibus, inprimis melancholicis ac maniacis, segniores longe, ob causam, dictu non adeo manifestam, remediorum purgantium sint actiones; ut majori longe dosi opus habeas, dum eum solum obtinere velis effectum, quem unum solum alterumve granum in aliis excitasset. — Vidit egregius *Carol. Arnold.* MEYER, mulierem viginti & quod excurrit annorum, quæ, adsumtis per errorem drachmis duabus pulveris radicis ipecacuanhæ, vix semel vomitum, nec quidem vehementem, experta fuit. Similes instantias tum de ipecacuanha, tum de tartaro emetico, non una vice observavi. — Non nimium tamen fidat præscribens junior Medicus speciei robustæ corporis, vel & adserto Ægrorum: „se difficilius movenda natura instructos esse," nam subin æger, morbum una emesi extra corpus eliminari posse pro certo habens, ne ipse forsan remoram faciat, indolem corporis sui multo robustiorem prædicat, quam re ipsa sit; haud raro etiam species externa athletica omnino est, levior tamen emetici dosis violente plane agit, resque pejor, quam antea fuerat, redditur.)

Aph. 7—3. „A vomitu singultus & oculi rubri, malum." *Cap. de singultu* dictum.

Aph. 7—10. „Ab ileo vomitus, aut singultus, aut convulsio, aut delirium, malum." Etiam in *singultu* hoc fuit explicatum.

Aph. 4—8. „Quibus alvi sunt lienterici &c." Dicam in *lienteria*.

Aph. 1—2. „In perturbationibus alvi, & vomitibus sponte evenientibus, siquidem &c."

Apho-

Aphorifmus hic fapientia practica plenus. Sunt homines, qui diarrhæa fpontanea femel, bis, in anno corripiantur, & fic fani maneant: alii, qui femel, bis, ter, anno vomant, cætera fani: alii fluxum narium, alii hæmorrhoidos &c. patiuntur. Quamdiu homines hi hoc habent, morbis nullis infeftantur. Sed eft tempus, quo vomere &c. folebant olim, nec vomunt nunc, anguntur, ægrotant. Videmus hic naturam deficere in fuo opere, quod peragere confueverat, tanto cum hominis beneficio. Ergo juvanda eft per emeticum, vel per purgans, vel per hirudines, vel per narium humectationes & fternutationes, ut præcife ea evacuatio reftituatur, quæ olim vitam fanam & incolumem fervaverat.

(Nec obeft hic nonnunquam, quod prima talis evacuatio aberrationi debeatur a legibus hygieines, aut diætetices; nam adfuefecit natura eatenus huic remedio, ut illud fubflaminare, aut fponte fubfiftens non promovere, ac morbum accerfere, unum fit idemque. Inftantiam fubpeditare poterit vel nicotianæ ufum nunc intermiffum excipientia fæpenumero fymptomata: latius de hac re agendi alibi erit occafio.)

Primo jubet HIPPOCRATES, videre, an homo facile ferat? Nam etiam in morbis, fi evacuatio bona fit, mox fit æger melior: tamen funt evacuationes, quæ initio levare vifæ; etfi poftea malæ adpareant.

Hinc 2) jubet infpicere, qualia prodeant? Si homo vomat ingefta non mutata, non eft evacuatio falutaris, fed morbofa: ventriculus tali debilior eft, vel aliunde vitiofus: ergo roborandus, aut emendandus.

Sed 3) necdum fubfiftit hic fapientia *Hippocratica*: fi homini id fiat prima, fecunda vice, ita, ut Medicus nondum nofcat, an ille v. c. vomitus fibi relinquendus,

dus, nec ne? „ Confiderare igitur, inquit, oportet & regionem & tempeftatem, & ætatem, & morbos, in quibus convenit, aut non.“ 1) *Regionem* quidem, quia funt nationes, quæ facile, nationes, quæ difficile tales vel tales evacuationes ferant. Frequentes v. c. fanguinis evacuationes *Galli* facile ferunt, *Hifpani* minus.

2) *Tempeftatem* autem, quia in genere evacuationes verno tempore magis conveniunt; dum hyeme corpora inpleta funt & graviora deprehenduntur ad ftateram. Si ergo fiant naturales evacuationes verno tempore, tunc fuccedens æftas, rarefaciens humores, non erit adeo noxia, quam ubi corpora nimium inpleta manent.

3) *Ætatem*, quia media fert facilius evacuationes, quam vel pueri, qui crefcere adhuc debent, vel fenes, quorum vires decrefcunt.

4) *Morbos:* hoc ultimum nunc determinatur ad morbos, in quibus fit evacuatio per naturam. Oportet Medicum noffe, qua via morbi foleant a natura folvi, fi v. c. pleuritis fub finem plurimos vomitus haberet, non effet fida evacuatio; fed quidem, fi in febri continua putrida natura crifin hinc moliretur.

Aph. 6—15. „A diuturna diarrhæa detento fponte fuperveniens vomitus diarrhæam folvit.“ Si in diuturna diarrhæa, vel putrida, vel faltem ftimulans, materia hæreat in inteftinis, vel ad ea fluat v. c. ex hepate, poteft fieri, ut obftaculum nafcatur in inteftinis, quo minus poffit materies inferiora petere: five obftaculum illud fiat a cibis adfumtis, pro tempore inteftina nimis infarcientibus, indigeftibilibus, ficcis; five a pharmaco quopiam, aut narcotico, aut adftringente. Fomes porro diarrhææ, hærens in inteftinis, vel ad ea adpellens, quum evacuare fe jam nequeat deorfum

ſum verſus ſtimulo adigit eum, quo hæret, inteſtini locum; quum etiam ſuperiora verſus jam minor reſiſtentia ſit, invertitur motus periſtalticus, & morboſa materies ore excernitur. — Si nunc contingat, ut vomitu valido totus fomes excutiatur, ſimul poſthac curata diarrhæa eſt. Hic certe vomitus tunc ſalutaris fuit. Sin vero integre non evacuetur, ceſſante vomitu & ſenſim ſoluto obſtaculo in inteſtinis, redibit diarrhæa.

Quodſi ex alio viſcere, v. c. ex ſyſtemate biliari, oriatur materies diarrhææ, poterit aliquando fieri, ut concuſſio violenta vomitus ita hepar exagitaverit, ut ſimul ſemelque omnis ſit evacuata materies & hoc vomitu curetur diarrhæa; ſin minus, etiam poſt vomitum manebit diarrhæa.

Naturam ſæpe imitati Medici, fauſtos effectus gaviſi ſunt, doluerunt infauſtos. Chemici ſemper quæſiverunt claſſem medicamentorum ex antimonio augere & antimonii vires tutas reddere. In *Act. Edinb. T. V.* Medicus PRINGLE dat præparatum, ita, ut ℥j. vitri antimonii pulver. inmiſceatur ʒj. ceræ flavæ fuſæ & per ſemihoram bene ſupra ignem agitetur: vocant *antimonium* (vitrum antimonii) *ceratum*. Doſis gr. vj. viij. x. xij. Dixit PRINGLE ſpecificum in omnibus dyſenteriis & in fluore uterino. Egregius BARON in *Not.* ſuis *ad Chemiam* LEMERY *p.* 306. *ſeq.* erudite & vere medice ratiocinatur de hoc ſpecifico: ait: id non eſſe; ſed modo convenire in dyſenteriis aliisve morbis, ubi cæterum emetica, vel purgantia, convenirent; nocere etiam, ubi emetica, vel purgantia, nocent.

Ipecacuanhæ radix dicta olim antidyſenterica. HELVETIUS, *Haganus*, miſerat (1686) filium ſuum in *Gallias* cum radicis hujus nuper (1649) detectæ ali-

qua quantitate. Dum veniſſet *Sedanum*, ubi exercitus Regis *Galliæ* dyſenteria peribat, curavit multos ſua radice, excitato plerisque vomitu. Rex LUDOVICUS XIV. emit ab illo arcanum, (ſub initium doſis radicis aureo gallico, *Louis d'or*, venumdabatur) quumque tam pulcros effectus vomitus in hac dyſenteria dediſſet & dysenteria corriperet Regis exercitum in *Italia*, miſit Rex illico quantitatem ipecacuanhæ; quotquot vero utebantur ea, tunc fere omnes interibant. Cauſas intelligemus poſthac, dum *diarrhæa* enarrabitur. (Vidit etiam *Inl.* STOLL, *Rat. med. T. I. p.* 126., in dysenteria Vindobonenſi 1776 votis non reſpondiſſe ipecacuanham, ſatisfeciſſe melius purgantia. Ex quo denuo patet, errare, qui uno remedio morbum, nomine quidem eumdem, abs exceptione curare intendunt; quum nunquam non ad cauſas, genium, typumque morbi, olim aut nunc graſſantis, cautiſſime reſpiciendum ſit: atque hinc præjudicatæ opinionis, cujus commenta delet dies, faſcino minime ſeductum, ſemper moneat prudentia, ne quid inconſultus agas. —)

Recenſentur quoad vomitum ſanguinis adhuc tres Aphor., nempe 7—78, 4—25, 7—37. Primus pertinet ad hæmoptoën, ergo non ad vomitum. 2) Pertinet ad bilem atram. Ultimus tantum, 7—37., examinandus hic eſt. „ Qui ſanguinem vomunt, ſi quidem ſine febri, ſalutare; ſi vero cum febri, malum. Curandum autem refrigerantibus & adſtringentibus."

In febribus certe vomere ſanguinem, notat vim maximam circulationis verti ad ventriculum, adeoque corpus poſſe inſigniter hinc debilitari. 2) Quies etiam multa his læſis vaſis concedi nequit, quia per ventriculum ingerenda ſunt alimenta, potulenta, medicamenta. 3) Sanguis omnis non exit: multus congrumatur

&

& inter ventriculi plicas putrefcit; unde mali fomes peffimus, vix educendus; quia, etiamfi ceffaverit hæmorrhagia, metus eft, ne disturbando corruptam materiem grumofam ex ventriculo, folvantur forte thrombi vaforum, novaque generetur hæmorrhagia. Curatio quidem fit adftringentibus & refrigerantibus: fed adftringentia vix febris admittit; adeo, ut per fe femper cafus malus fit. Præponit etiam Hippocrates refrigerantia adftringentibus, ut veluti fignificaret, febris tempore refrigerantia, ut aquofa, mellita, coagulum fanguinis dividentia, danda effe; pofthac, dum morbus permittit, adftringentia. Præterquam, quod diluentia refrigerantia non tantum ventriculo, ut dictum, in hoc cafu profint, fed quod inpetum fanguinis in toto corpore refrænantia, fimul inpetum ejus verfus ventriculum minuant.

Mirum autem, quod dicat Hippocrates, vomitum fanguinis citra febrim falutarem. Exftant cafus, ut Vobis antea dixi, ubi homines inculpate fanguinem vomunt; videtur hac via fua fefe plethora fanguis folvere. Forfitan id genus plures in *Afia* habebantur; nam inania non fcripfit Hippocrates. His anaftomofi videtur fanguis prorumpere & foluta plethora anaftomofis contrahi, citra ullam aliam curam.

Non tamen fida in plerisque *Europæ* locis naturalis talis folutio; poteft enim, fi quid acre in ventriculo quandoque hæreret, vas utcunque rodi &, urgente plethora, diabrofi folvi, unde periculum.

Præftaret proinde, ante confuetum tempus, plethoram de fanguine auferre, vel v. f., vel potius fubftitutis hæmorrhoidibus.

Aph. 5—31. „Mulieri, fanguinem evomenti, menftruis erumpentibus folutio fit.“ Nam fiebat vomitus fanguinis, eo, quod fanguis majorem refiftentiam

inveniret ad uterum, minorem ad ventriculum: reseratis viis uterinis cessat mox ad ventriculum cruoris adpulsus.

§. 810. CHOLERA *vero violenta sursum deorsumque expulsio ex ventriculo & intestinis: est convulsio, vomitum creans* 809., *& simul fortis intestinorum deorsum spasmus.* Dirissimus aliquando morbus citoque lethalis χολερα, a χολὴ & ῥέω, quasi *biliosus fluxus;* quia V.V. ab acri & abundanti bile morbum derivabant: decepti forte a bile flava, aurantia, viridi, nigra, quam violentus vomitus toties producit: sed id fieri in omni vomitu violento toties jam vidimus, qui tamen *cholera* non potest vocari. Nomen cætera antiquum, *Hippocraticum Aph.* 3—30.

Videamus jam, cholera nunc descripta qua cum aliis morbis conveniat ratione.

1) In *singultu* vidimus, alterne convelli œsophagum & diaphragma.

2) In *vomitu* vidimus *a)* spasmodicos, violentosque eosdem, *retrogrados*, *inversos* motus fibrarum musculosarum, tum œsophagi, tum ventriculi, tum intestinorum: atque *b)* diaphragmatis & musculorum abdominalium contractiones, non moderatas, ut in sanitate, sed convulsivas; non alternas, ut in sanitate, sed synchronas: nam homo nunquam inspirat, quo momento vomit stâtque pro momento tota respiratio.

3) Vero in *Cholera* adsunt omnia illa, quæ in *vomitu*: sed præterea, ut in *vomitu* erat peristalticus motus, unice directus ab inferioribus versus superiora, jam in *cholera* ita directus invenitur, ut sursum agatur violentissime, dum homo vomit, & iterum mox deorsum determinetur, quando homo alvum ponit. Alvus enim non simul cum vomitu redditur, sed tantillo tempore distant hæ actiones a se invicem; & si quando-

que

que contigerit, ut ambo fere ſimul oriri obſerventur, ſignum eſt, tam celeres eſſe periſtalticos motus ſurſum deorſumque, ut advertatur vix temporis diſtantia. — *Wepferiana* & *Peyeriana* experimenta abunde docent, etiam naturaliter haberi motum antiperiſtalticum, & hinc mirifice omnia in inteſtinis conteri & mutari; ſed hic uterque, periſtalticus & antiperiſtalticus motus, præternaturaliter augentur.

Cauſæ itaque eædem, at violentiores, ut plurimum. Fortia purgantia fiunt vomitoria; vomitoria fortia violenter agunt ſurſum deorſumque, ut in omni cholera: talia ſunt vitrum antimonii, mercurius vitæ &c. Quia igitur cauſæ adeo violentæ, non datur tetrius ſpectaculum, quam hominis, jamjam choleram habituri, quamdiu adhuc ambo ventriculi orificia clauſa ſunt. Tanta enim eſt acrimonia materiæ, ut ventriculus in ſpaſmos agat diaphragma & muſculos abdominales; ſed ſimul tanta vi, ut ambo ora illius ſpaſmodice claudantur, & ſane intereat homo, neceſſe eſt, aut crepet ventriculus, ſi ille ſtatus diu duret: ſin vero ſolvi ambo ventriculi ora contingat, expulſio fit ſurſum deorſumque. Hunc ergo morbum producere poſſunt omnes cauſæ, quæ produxere vomitum, ſed quæ violentiores. Cauſæ præterea peculiares ſunt ſequentes.

Maxime ingurgitatio fructuum horræorum. (*) Ab omnibus his, affatim comeſtis, aër oritur elaſticus, ven-

(*) HIPPOCRATES, *Epid. V. p.* 1157., ait, choleram BIANTI natam ex crudioribus carnibus, maxime ſuillis, & vini dulcis ebrietate & cucumeribus &c. Ait autem, æſtate choleram morbum

ventriculum mire expandens; ſed præterea mirabile quidquam, *gas* (ſylveſtre) HELMONTII dictum; quod, quid proprie ſit, vix intelligimus, (quod tamen nunc, poſt pulcerrimos labores *Inl.* MACBRIDE, PRIESTLEY, LAVOISIER, FONTANA, MACQUER aliorumque plurium magnorum virorum, melius nobis innotuit, quam heteroclyto MERODÆO TOPARCHÆ aut innotuerat, aut innoteſcere ſane poterat.)

Et fervidum Auguſto menſe cœlum. Plerumque diebus canicularibus, Auguſto menſe, calor æſtuantiſſimus eſt; ſed notat ſimul SYDENHAMUS, dum Julio, Juniove menſe calores enormes habentur, choleras quoque eſſe frequentiores. Igitur videntur calores hiſce morbis producendis apti nati, quia forte calidiſſimis temporibus homines maxime ingurgitant fructus horræos, acidos, cereviſias fermentantes (lactucas) in quibus copioſum *gas ſylveſtre.* In *actis Britannicis* exem-

---

bum & febres intermittentes vigere. — *Epidem.* etiam *VII. p.* 1230. ait: „Cholera morbus ex carnis eſu contrahitur, præcipue vero ſuillæ crudioris; ex cicere vinique odorati veteris ebrietate; inſolatu; ex ſepiæ eſu, locuſtarum & gammarorum, olerum, maxime porri & ceparum: quin etiam ex lactucis coctis, braſſica, lapatho crudiore, & ex bellariis, dulciariis, pomis, cucumere, pepone & potione οἰνόγαλα (lacte, vino miſto); ervo, polenta recenti. Æſtate magis cholera morbus & febres intermittentes vigent, & quibus horrores ſuccedunt." Quæ ſequuntur, ad has febres ſpectant, non ultra ad choleram. *de* H.

exemplum refertur hominis, qui affatim biberat cerevisiam in actu fermentationis clausam; qua nihil est æstivo tempore gratius. *Gas* porro *sylvestre* illud adeo ferox in homine hoc operabatur, ut omnia extenderet inmaniter, vias exeundi spasmodice clauderet & paucas post horas misere interimeret hominem. *Dominus* ST. ANDRY, aperiens cadaver, rem sic invenit, ut dixi. An copiosius potum vinum Campaniæ, & vina recentia, Mustum dicta, idem non facient? (Si causas indolemque morbi pathologice, naturamque vini hujus ac musti physice ac chemice disquiras, omnino adferendo respondere poteris ad *Haenianum* quæsitum.) Hæ igitur causæ natæ choleræ illis temporibus.

Centies tamen vidi choleras dirissimas quovis anni tempore, ne media quidem hyeme excepta (unde & in Bacchanalibus haud raro observantur, ubi sufficientes inprimis & copiosæ simul concurrere solent causæ) tuncque deprehendi causam esse animi valida pathemata, ut & vinum crudum, acre, recens, copiosius ingestum. Neque unquam frequentiores vidi, quam mense Aprili 1747, tumque violentissimæ epidemicotatæ variolæ ac morbilli mali moris. An forte hinc? Causa enim nota non erat.

Est sane teterrimus morbus, 24 horarum spatio, vel & minori, sternens homines; ita, ut cura ejus summam poscat adtentionem. SYDENHAMUS hic omnino probe adtenteque examinandus. Vir ille magnus plerumque solebat vomitum facilitare copioso epoto jure pulli vel gallinæ, (*) ut illa materies fermentans ex-

(*) Dispositio ad vomitum & ad diarrhæam in cholera adest. Acre agit violenter; sed pulli jus diluit,

expelleretur ex ventriculo, & si jam partim intestina obside- ret, enemata ex eodem jure præscribebat, ut inde quoque exturbaretur: defectu juris *liquorem* dabat dictum *posse- ticum.* Hac lege diluebat materiem acrem, obliniebat partes adversus materiæ acrimoniam & simul aliquan- tum corpus nutriebat. Sedato vomitu & alvo dabat paregoricum: sin vero opus judicabat ad expellendas materiæ reliquias, purgans postea.

Verum advertit SYDENHAMUS, sæpe contingere, ut ferox malum nullas patiatur inducias &, ne homi- nem brevi occidat, mox indigeat ab initio paregorico: quo tandem natura ad tranquillitatem ducta, vim reme- diorum, ante commemoratorum, commode sustineat.

Omnia hæc vidi, & dolui toties in consultationi- bus Medicorum dissensiones. Est enim morbus aliquan- do uno horæ quadrante hominem viribus omnibus pri- vans, ita, ut ad duos, tres simul Medicos mittatur, quo actutum juvamen fiat ægro Contigit ea occasio- ne, ut maturius inventus ego jam scripsissem formulam pare-

---

diluit, defendit partes facitque, ut jam expella- tur minori cum violentia acre: immo ita obli- nit, ut vix adfecti nervi ultra vix pergant sur- sum deorsumque agere.

Cur methodus secunda SYDENHAMI, cum opio, non bona etiam initio choleræ? Si includitur ho- stis inculpate, viribus fractis, ita, ut posthac, viribus refectis, expellatur; cur id non & viri- bus integris? Resp. hostis viribus fractis jam ma- ximam partem expulsus est, & cholera pergit, irritatis nimium nervis: in principio hostis vio- lentus, integer, male includeretur. *de* H.

paregoricam, quando simul intrans senior Medicus censebat jure pulli vomitum & diarrhæam esse promovendam & purgans simul dandum: unde effectum id, ut intra 12 horas ægra sexagenaria, post convulsiones, efflaret animam.

Contrarium equidem forte quis probare velit loco *Epid. V. p.* 1144., ubi *homini Atheniensi*, a cholera indomabili jam convulso & singultienti, sed tamen minus vomenti, quam alvum deponenti, dabatur helleborus, cum succo lenticulæ bis dato; unde cessabant evacuationes, homo friguit; sed calida inferioribus lotus recaluit & vixit: postridie vero polentam sumsit. CÆLIUS AURELIANUS *l. III. acut. c.* 21. *p.* 259. &c. hic vehementer invehitur in HIPPOCRATEM; sed FOESIUS ait, modo *narrari* in diariis & pugillis HIPPOCRATIS, quid in itinere viderit, non *adprobari:* verum AURELIANUS jam dixerat, frigidam hanc excusationem esse; nam debuisse HIPPOCRATEM, saltem inprobare, si etiam non adprobaret. Tamen EUPOLEMI, HIPPOSTENÆ, & SCAMANDRI, & THEOPHORBI *filii*, & ANTIMACHI *uxoris*, & EUDEMI, OMILI *famulæ*, HECASONIS multorumque aliorum funestos casus narrans HIPPOCRATES, videtur narrare, quæ ipse viderit, non quæ fecerit: unde forte casus *Atheniensis viri* etiam ab eo narratur, ut doceat, quid ferre homo possit. Immo forte inter duos casus saltem unum AUTONOMI narrat, male a se administratum: immo narrat casus plures infortunatos, ubi nec laudat, nec vituperat; verum non adprobasse censendus est: vide *historiam mulieris sanæ & obesæ*, ANTANDRI.

Causa choleræ in muliere, de qua paullo prius actum fuit, sexagenaria, non erat ingurgitatio rerum fermentantium; non calor ingens, nam erat Jan. 27. 1739: in quantum expiscari potui, ventriculus ipsi

dudum a prava diæta obſeſſus erat ſordibus, & ingens frigus ea die diuturnumque præ avaritia ſuſceptum fuerat, ceu cauſa procatarctica.

Igitur, ſi debilitas ſimul ingens adſit a principio hujus morbi, ſedamen conemur primo inpetrare, data miſtura anodyna, qualem in ſingultu præſcripſi, vel dando omni hora ʒß theriacæ, donec malum ſubſiſtat: ſimul epigaſtrium muniatur vel emplaſt., vel epithemat., ſimilibus iis, quæ in nimio ſingultu præſcripſi.

Obiter hic animadvertimus in perverſos hominum mores: inpune putant, ſe poſſe ventriculum & ventrem fructibus horræis inplere, modo poſt frigida adſumta ventriculum bene calefaciant. Hinc ſumunt inter comedendum poſteaque, vinum generoſum, vel etiam vinum, cui grate admiſtus ſpiritus aniſi, aut carvi, aut leviſtici, aut caryophyllorum, aut maceris &c., & jam credunt omnia ſibi tuta eſſe; verum contrarium maximo ſuo cum damno ſæpe experiuntur: gas enim illud ſylveſtre, quod ex fructibus naſcitur, a vino augetur, & ſpiritus illi, *carminantes* dicti, non videntur agere, niſi ſua acrimonia excitando ſpaſmos. Ea enim ratione videntur quandoque prodeſſe in ſpaſmo flatulento, quia agitando, & in ſpaſmos excitando nervos, certo quodam loco, ubi ſe adplicant, ſpirituum adfluxus inordinatus ad illum locum, in quo antea ſpaſmus fuerat, interrumpetur; ita, ut novo, ſed leviori, ſpaſmo excitato, moleſtus ille, qui antea adfuerat, ſpaſmus ſolvatur. (Infida autem hæc & anceps omnino medela; haud infrequens mali adaucti ipſiusque ſævæ enteritidis origo.)

Si jam prophylaxeos gratia homines ſpiritus illos carminativos ſumant, nonne videtis, gas ſylveſtri jam præſente poſſe ſpaſmodicas contractiones naſci in ventriculo & ſic diſpoſitionem oriri ad choleram?

Exem-

Exemplo igitur tot nationum, quæ vino non utuntur post fructus horræos, potius sumamus, ingestis illis, aquam, vel saltem vinum, plurima aqua dilutum: sic actis gas sylvestris actio inpetuosa frangitur.

Rogabitis forsan mirabundi, quî fiat, ut cholera tam subito inopinatoque hominem sternere possit? Resp., videbimus brevi post, validam diarrhæam, aut dysenteriam quoque ita evacuare corpus totum, ut homo pereat. Si jam consideretis, in cholera binas has violentas actiones simul jungi, non mirabimini, quandoque tam brevi actum de homine esse.

An fermentatio datur in ventriculo humano? An saltem alimenta & potulenta, quæ eam inchoënt, & quo usque?

Resp. multa alimenta habent multum aëris inclusi, licet non advertamus: ut aqua ebulliens docet, aëra in se fuisse, sed non egisse ut aëra; ita multa edulia sunt, quæ conpressione, quæ calore id manifestent; fructus horræi utroque modo. Ergo multo aëre elastico ventriculus repletur: dum ille incipit agere in contenta, orificium superius clauditur, inferius tantum connivet. Sed aër expandit se: quid tum? Inflá per œsophagum in cadavere ventriculum; videbis, quod adsurgat & claudat ambo ora.

Sed secundo, aliud nascitur, præter aërem solum, obstaculum: vapor subtilissimus, penetrantissimus, utcunque subacidus, *gas:* id nervis inimicissimum docet mors, paralysis, amentia, si homo per spiraculum cadi illud hauriat. (*) Ergo inde nervi in motus vehementes agitantur, & ad hostem debellandum omnes corporis humores adcurrunt; ita cholera.

(*) Non adæquatissima hic instantia *Celeberr.* de Haen usum fuisse, monere non oberit. Spiritus adscendens ex accenso sulphure, acidum vitrioli

trioli phlogisticatum, naribus haustum, vitæ inimicum esse, non una ferali constitit experientia: ast illud ipsum, non nimia dosi ingestum, salubres edere posse effectus, pariter extra controversiam positum habetur. Gas sylvestre, seu fermentantem auram, respirio adtractam, deleteriam esse, plane liquet; pessima symptomata motum fermentantem ingestorum in ventriculo sequi posse, denuo certum est: verumenimvero effectuum in utroque casu noxia ratio non analogica expositione ideo manifestissime exponitur; uti ex adducta instantia vaporis sulphurei patere crediderim. Nam non una ratione quæque per respirationis organa, aut primas vias, corpori ingesta, agunt; utut in utroque casu effectus magis minusve malos valeant exercere; prout ex actione diversissima opii, alkoholis, nicotianæ, aromatum &c. &c. per nares, aut œsophagum, corpus ingressorum, satis elucet. Hinc nonnunquam satius est,. expositionem alicujus phænomeni prorsus omittere, quam nimis analogicam construere.)

§. 811. *Est* RUCTUS *explosio materiæ elasticæ convulsiva contractione fibrarum oesophagi, ventriculi, intestinorum, compressæ, mox, iisdem resolutis, liberatæ. Hæc autem fit a crudis.* Est in alimentis, maxime vegetabilium de classe petitis, elastica materies, quæ soluta suis vinculis fotaque ventriculi intestinorumque calore, multum rarescit. Elasticam materiem talem abundantiorem, paucioremve alia atque alia alimenta habent. Cepæ, porra, rapæ, poma, pyra, cruda plus, cocta minus, fructus horræi multi plurimum, ejus habent. Vina recentia, cerevisia recens, maxime in actu effervescentiæ clausa, mustum, faciunt tandem illud gas sylvestre, de quo dictum supra *p.* 102.

(Legenda

(Legenda circa hæc omnino, præter recentiſſima plurima alia, tentamina *Cel.* HALES, in opere pulcerrimo de *Statica Vegetabilium* late expoſita). Si materies nunc deſcripta elaſtica per ora ſuperiora inferioraque liberos nacta ſit exitus, anxietatum parum facit, niſi quis honeſtiori loco degens cogatur exiturum aëra cohibere. (Unde & meditatus fertur TIBERIUS edictum, quo liberum foret, abs probro, flatus in publico emittendi.)

At vero turgente alimentis ventriculo, os ejus ſuperius clauſum eſt, & alimenta non niſi furtim pylorum ſubeunt. Eſt ergo aër ibi interceptus, loci calore rareſcit, & quo diutius retinetur, eo violentius expanditur. Jam antea vidimus, quo plus expanditur, eo arctius ambo claudi ora ventriculi. Eo rerum ſtatu patitur homo ſummas anxietates.

Habentur homines in id malum proni, qui ſpasmodicis adfectionibus obnoxii ſunt: feminæ maxime hyſtericæ, viri hypochondriaci & omnes illi, qui in ſedentaria vita litteris inpalleſcunt. Quare etiam omnibus his enumerata antea alimenta admodum noxia ſunt, ut ſcite de ſe teſtatur HORATIUS.

Quid ergo *ructus?* Exploſio illius aëris intercepti inter ambo ventriculi ora, quando illa laxantur: ſive conſtrictiones ortæ fuerint a repletiori ventriculo, ſive a ſpaſmis ejusdem.

Honore aurium dixero, eumdem aëra in inteſtinis interceptum, dum per inferiora exploditur, vocari *crepitum*: quo non exploſo incredibiles oriri anxietates poſſunt. Ex hiſtoria venenorum patet, homines medios crepuiſſe ab inflatiſſimis inteſtinis.

Remedia *carminantia* dicta, quaſi incantamento, aut carmine diſcutientia flatus, vidimus §pho præcedente, non agere, niſi ſpaſmis excitatis aliis in locis.

quo

quo priores ſpaſmi, ita claudentes orificia, ſolvantur. Verum id nominis in genere tantum merentur, non in ſingulis caſibus determinatis; poſſunt enim, quæ uno in caſu auxiliantur, alio in caſu venena eſſe: unde PRÆCEPTOR *venerandus* adeo ſollicitus eſt in cauſis determinandis; nempe:

Hæc autem fit, inquit, 1) *a cruditate*; ut quando poma, pyra, rapæ, radiculæ, raphani, lactucæ, braſſicæ & fructus horræi copioſi crudique comeduntur. Oſtendimus, tunc aëra illum elaſticum copioſe gigni expandique in calore; ſua nimia expanſione irritare ventriculum & inteſtina: quæ irritatæ partes mox ſeſe conſtringunt, quo loco queunt; ſcilicet infra ſupraque aërem illum. Ergo interceptus aër, magis expanſus magisque a calore, miras creat anxietates.

Eo in caſu dicta carminantia, & omnia antiſpasmodica prodeſſe poſſunt, ſpaſmos excitando aliis in locis, quo conſtrictio noxia poteſt ſolvi. Dantur v. c. tinct. ſuccin. gutt. xxx. cum aqua, vel vino, & repetatur quavis ſemihora doſis, donec ſolvantur ſpaſmi. Vel dari poteſt miſtura ſequens:

Aq. menth. ℥vj.
Spir. menth. ℥ß.
Ole. menth. c. ſacchar. ſicc. ʒiij. in eleoſacch. redact. gtt. vj.
Syrup. menth. ℥ß. M.

Mire ſolvit cochleare unum quovis quadrante horæ ſumtum ſpaſmos, ab hac cauſa natos. Infinita poſſunt parari hujus generis; nam carminantibus abundant omnia Diſpenſatoria.

2) *A putredine*. Notum ex Chemicis, de materia putreſcente gigni aërem copioſiſſimum. Aër enim, forte olim diviſus ita, ut non ageret tanquam aër, jam de ſuis ſolutus carceribus, ſi calor accedat, ab adtritu

aëris

aëris & folutarum partium inter fefe vehementer expanditur, enormesque creat anxietates.

Quid hic carminantia? Pro momento forte videntur quidquam juvare, fed revera nocent, nam augent caufam. Caufa quippe hæc nata eft a putrefcentibus carnibus, aut pifcibus, ab alimentis alkalefcentibus (ovis, cafeisve) ab aquis forte femiputridis potatis, forte a bile accedente & putredinem augente: unde aër copiofiffimus tandem producitur calorque ingens; quem nedum exftinguere, immo augere illa carminantia videntur.

Remedium unicum eft, ut talis materies emetico eliminetur de ventriculo, vel catharfi ex inteftinis, ut *cap. de vomitu* & *de adpetitu læfo* jam dictum eft.

3) *Acore.* Acidum inclufum aëra gignit (dum ita includitur, ut calor fimul accedat, & compofitio ipfius acidi disjungatur) crudus tartarus in vas chemicum inmiffus, educto omni aëre deinde, vafe rite obturato, ita calefactus ut fundatnr, gignit tantum aëris, ut, veluti pyrio pulvere intus accenfo, vas displodatur.

Sed præterea, irritando partes nervofas, excitant fpafmos contractionesque, ac aëra intercipiunt.

Carminantia hic minus juvabunt, nifi fimul dentur abforbentia, vel alkalina vi prædita, fcilicet inmutantia (ubi vero, ab ipfa lucta obpofitarum fibi mutuo fubftantiarum, nafcenteque demum reciproca diacrifi, multum aëris elaftici, nova flatuum ructuumque materies, gignetur: unde non nifi fub circumfpectione, etfi certo conftet acidi præfentia, in auxilium vocandi illius hoftes) vel oleofa, involventia. Cum fimilis, qualis antea defcripta, mifturæ carminantis ℥jß. lapid. cancror. ʒij. unitæ proderunt; vel loco horum addantur ℈ij. iij. falis volatilis oleofi.

4) *Fru-*

4) *Fructibus horræis, musto, liqu. fermentantibus.* Dixi in historia *choleræ*, male homines agere, dum ingestis fructibus horræis superbibunt carminantia, quia illa spasmos, non præsentes, excitant. Verum possunt aliqua ratione prodesse, dum jam spasmi ab his adsumtis adsunt; excitatis alibi spasmis levioribus priores graviores solvendo. Si non solvant illos, angustiæ majores creantur. Præstaret tunc, plumula, oleo madida, leviter fauces irritare, ut moderatus vomitus excitaretur, aërque exploderetur.

Mirum videri poterit, quod fermentatio hic fieri subponatur: videtur tamen, oriri simile quidquam, si 1) manducentur, quæ in fermentationem prona, eaque copiose; ut fructus horræi, qui, dum premuntur, sibilant & incoeptæ fermentationis signa dant: 2) si juventur calore corporis: 3) si superbibatur vinum; quod pessime credunt, refrigerium a fructibus natum emendare. Nocent fructus hi, 1) quia multam elasticam materiem generant; 2) quia producunt spiritum, seu gas sylvestre, inter fermentandum genitum, spasmis producendis totique generi nervoso adficiundo aptissimum.

Remedia sunt 1) materiæ ejusdem subita deorsum sursumque expulsio, ut natura in cholera facit: 2) ocyssima fermentationis sedatio. Sedat spiritus sulphuris per campanam: nam vapor lagena exceptus inpedit infusorum in eam succorum fermentationem; (sed adtendendum denuo, quo in casu, & qua ratione, medela talis adhibeatur; ne gravius, quam ante sit, reddatur malum). Sed fermentatio tantum inperfecta est. Negat BOERHAAVIUS, *Chem. P.* 3. *Proc.* 42. *N.* 32., dari in corpore humano fermentationem, nisi inchoatam, mox vero abruptam; nec nisi in paucis tantum morbis forte ulterius paullo productam, usque per intestinorum fistulam. Revera *Proc.* 42. *§.* 13. *n.* 1. fer-

1.„fermentationem inchoari poſſe, patet ex hiſtoria chylopoëſeos tota, & in comeſtione horræorum maturorum copioſa, cita : inmaturi ad fermentationem ineptiores ſunt. 2) Fermentationem juvant cadis lignoſis inhærentia priorum fermentatorum reſidua : an ergo ventriculus acido obſeſſus in fermentationem pronior? 3) Tenacia & adſtringentia juvant aliquando fermentationem chemicam ; ligant enim ſpiritus : an ergo ſimul ingeſta promovent fermentationem ? 4) Si acor ad fermentationem debilior, acida vina juvant ; ſi acor omnino major, minor fermentatio promovetur addito leni alkali admiſto. 5) Cereviſia recens, actu fermentans fermentationem auget. 6) Saccharum auget fermentationem : nocet ergo cum horræis. 7) Aër convenit fermentationi, libere admiſſus & emiſſus ; quin intime permiſtus ; quando ventriculus non exacte clauſus, aër intrat, exit, miſcetur ; ergo. 8) Quies requiritur maſſæ fermentantis : id forte fit, dum ventriculus exacte clauſus. 9) Tepor requiritur inter 60 & 80 grad. talis tepor adeſſe poteſt, antequam frigidi fructus intime percaluerint ; aliter ventriculi calor major eſt: nam ad grad. 90 fermentationi obeſſet. Unde Boerhaave *ibid.* §. 20. *n.* 5. „ Hinc, inquit, Medici cogitent de vi potus in corpore humano, qui bibitur in actu fermentationis ; vel de ſpiritu, qui, æſtivo tempore, calido corpori innaſcitur, ab uſu nimio fructuum horræorum, maturiſſimorum, ſi convulſo conſtrictoque ventriculo prohibentur exire : interim elaſticitatem ſummam, *hancque acrimoniam*, in loco calido nacti exercentesque. “ Quæritur porro, an fermentatio in ventriculo eousque procedere queat, ut acor hinc producatur ? Verum acidum ex fermentatione ut gignatur, requirit longiora molimina & tempus. Verum

enimvero *Chem. P.* 3. *Proc.* 42. *§.* 20. *N.* 1. ab inchoata ipſa fermentatione exploditur cum ſono ebullitionis per totum corpus ſpiritus quidam acer, acredine nares feriens, ſubacidulus, mire elaſticus, incoërcibilis, *gas ſylveſtre* HELMONTIO adpellatus. Eousque, & non ultra, videtur actio fermentationis procedere. — Remedia porro ſunt, 1) quæ ſopiant actu incipientem fermentationem: 2) quæ ita ſpaſmos ſopiant, ut ſpiritus ſylveſtris per os ventriculi ſuperius libere exeat. Vidimus, ſpiritum ſulphuris per campanam & lapides cancrorum acidum & antacidum: ſpiritus acidi aluminis, nitri, ſalis, vitrioli vim eamdem habent. An abſorbentia agunt, deſtruendo illud ſylveſtris ſpiritus ſubacidulum? An acida fortiora inpediunt, ne acidum debilius in actum ducatur? Salia obpoſita bona, ni violenter effervefcerent. Oleum acre obtundens (aſt reſpiciendum exacte ad naturam, cui obviam ſic ire animus eſt, rei, ac ad indolem acrimoniæ ipſius ammoniacalis, rancidæ, oleoſæ). Aqua etiam juvat calida, leniſſime aromatica (infuſum theatum) Plumula titillandæ fauces; adplicanda enemata, cataplaſmata, opii parum; aëris in anum inpulſio, ut HIPPOCRATES fecit: catuli vivi adplicatio ad ventrem: cucurbitæ adpoſitæ; pedum inuſtiones Javanenſes; inuſtiones aliæ, moxa.

5) *Venenis*, ut arſenico, mercurio ſublimato, aliisque, ad quorum ſtimulum ventriculus & inteſtina ita ſe contrahunt, atque oculus ad inlapſum granum ſabuli. Si remedium eſt, oleum, aqua, lac, ingenti copia potum, enematibus continuo inmiſſum, juvat: ita SYDENHAM curavit hominem, qui mercurium ſublimatum ſumſerat; ita HOFFMANNUS eos, qui inſcii arſenicum. Ita curamus homines, qui a mytilis co-

meſtis

meſtis inſtar doliorum intumuerunt; interpolato, ſi res urgeat, aliquando opio, antiſpasmodico ſummo.

6) *Morbis ſpaſmodicis*, de quibus in hiſtoria *morborum nervorum*, & alibi toties. Unicum remedium curatorium eſt, in nervos ipſos agere, roborando eosdem, inque humores tenuiores, illos condenſando; quibus factis homines hi erunt minus his malis obnoxii. Palliativa remedia ſunt carminantia, opíata; ventris frictiones validæ, continuatæ. (Subin inunctiones abdominis oleoſæ, calidæ, methodo V.V. enemata analoga.)

7) *Omni acrimonia valida.* Toties jam dictum, a quovis, cujuscunque generis, ſtimulo fieri partis contractionem & aëris interceptionem. Medela eſt, in acrimoniam ipſam agere, corrigendo prædominantem in dato corpore, per obpoſita remedia, ut in hiſtoria *acrimoniæ* vidimus; palliative vero addendo carminanti remedio id, quod datæ acrimoniæ obpoſitum.

§. 812. *At expulſio & ventriculi & inteſtinorum læſa quoque habetur in* Λειεντερίᾳ; *quæ eſt cita expulſio per alvum alimentorum, quæ ventriculo ingeſta, non mutatorum.* Λεῖος *lævis*, ἔντερον, *inteſtinum: ergo inteſtinorum lævitas*, in qua fit, ut adſumta ventriculo mox alvo reddantur.

Id ſane contingeret ſemper, ſi homo non haberet ita fabrefactum ventriculum cum inteſtinis, ut ſeſe ad excepta contraherent eademque ſua contractione retinerent. Reſpiratio enim bona agit continuo diaphragma & muſculos abdominales in ea, quæ abdomine continentur. Lienteria ergo ſubponit, 1) laxum pylorum (ipſumque ventriculum); 2) laxa inteſtina; 3) reſpirationem validam, quæ deglutita cito per laxatas has vias propellat; 4) humoris gaſtrici, enterici, bi-

lis, ſalivæ inertiam; ventriculum aut inteſtina, non exſtimulantem in contractionem.

Eſſe videretur topicum malum primarum viarum; ſi enim pergeret ad vias alias, reſpiratio quoque debilior eſſet: ſed ſimul videmus, lienteriam diu non poſſe durare, quin corpus totum flacceſceret, ſanguis iners fieret, defectu debiti alimenti & organa reſpiratoria admodum flaccida: non eſſet ergo amplius lienteria, ſed morbus pejor.

Vix conprehendimus, poſſe diu manere rem in ſtatu veræ lienteriæ; nam ipſa bilis hic ſubponitur debilis, ipſe liquor inteſtinalis & gaſtricus debilis, debilis ſaliva: ergo præſubponit lienteria vitium vel in ſanguine arterioſo carotidis & cœliaco ac meſenterico & in ſanguine ſyſtematis venæ portarum; vel ſaltem vitium organorum, ab hoc omni ſanguine ſecernentium bilem, ſalivam, ſuccum pancreaticum, gaſtricum, entericum.

In quibus morbis diu admodum bona validaque reſpiratio non poteſt ſubſiſtere; nam brevi omnis ſanguis vap peſcat oportebit, omnia ſolida langueſcant, reſpiratio porro, ut cæteræ actiones, labaſcat.

Attamen dici forte poteſt, quamdiu homo vivit, reſpirationis organa agere quodam ſenſu fortiter; nam ponamus hominem debilem pulmone; ſi loqui vel ambulare debet, ille ut ſanguinem perprimat per pulmonem, conpenſat pulmonis actionem debiliorem frequentiori inſpiratu & exſpiratu: adeoque valentior ſemper hæc actio erit in inerti flacciditate ventriculi & inteſtinorum.

Hinc videmur intelligere verba textus: *Cujus quidem cauſa eſt inertia humorum, ut in ἀνορεξίᾳ, & ἀπεψίᾳ, tum laxitas ſumma ventriculi & inteſtinorum; reſpiratio interim ſatis fortis.*

Cura-

Curatio petatur ex roborantibus & ſanguinem condenſantibus, de qua totis actum.

(Quodſi lienteria ſequuta ſit ſecundaria diarrhæam, aut dyſenteriam, pertinaciorem prægreſſam, disquirendum eſt, an ſola lævitas inteſtinorum cauſam præbuerit malo ; ubi quidem tonica remedia poterunt adhiberi : dum autem acredini reſtitanti magis debetur, aut corrigenda illa erit, aut congrua methodo ex inteſtinorum tubo fuganda : id minus curantes, & curæ roboranti unice intenti, includunt hoſtem, ac, quo magis progredi ſeſe in cura exiſtimant, eo magis exaſperant malum.)

Habet Hippocrates *aphoriſmos* quosdam, qui, huc ſpectantes, pro more exponendi ſunt.

Aph. 6 — 1 „ In diuturnis inteſtinorum lævitatibus ructus acidus ſuperveniens, qui antea non contigerat, ſignum bonum. " Eſt mira obſervatio Hippocratis, & tamen pulcerrima. In lienteria ſemper fuerant humores inertes plane, vappidi, non ſtimulantes ventriculum aut inteſtina in debitam contractionem ; jam ille homo incipit Medico conqueri, ructus acidos ſibi moleſtos eſſe. Gaudet Medicus, tandem aliquid ab illo obſervari inſolitum ; nam, ait Hippocr., hoc antea non obſervaverat, quia nulli erant ſpaſmi, nullus incluſus aër in flaccido inertique ventriculo : ſaltem nunc deſignatur, ſtimulari fibras & ſpaſmos naſci, quia ructus gignuntur. Spes ergo adfulget curationis. — Porro, quod de acrimonia acida hic dicitur, poteſt locum habere in ructibus biliofis, putridis : ita ut, licet acrimonia per ſe bona non ſit, tamen, quia ructus prodeuntes teſtantur, fibras, inertes olim, jam exſtimulari & in ſpaſmos agi, ſpes adfulget, curandæ ſaltem lienteriæ.

Aph. 6—43. „Qui lienofi a dyfenteria corripiuntur, his longa fuperveniente dyfenteria, hydrops fupervenit, aut lienteria, & pereunt.“ Patet ex mente HIPPOCRATIS & quotidiana experientia, homines, qui obftructionibus in vifceribus abdominalibus, liene, hepate &c. laborant validiffimis, incidere non raro in dyfenteriam a foluta amurca: hæc dyfenteria bona, vel mala, erit. Bona, fi modum non excedat; fi, qualia confert, educat: ut ipfe HIPPOCRATES dicit *Aph.* 6—48. „Lienofis dyfenteria fuperveniens, bonum.“ In hiftoria *bilis atræ* fimilia obfervavimus.

Verum HIPPOCRATES hoc loco addit: „*longa fuperveniente dyfenteria*,“ tali nempe, quæ ex acri materia atrabiliari nata alvinas excretiones torminales excitet, omnes corporis humores fuo ftimulo ad inteftina adliciat totumque exhauriat corpus. Si homo tamen vitæ tenax hæc fuftineat, ut multi non fuftinent, exhauftus viribus alimenta nova non adfimilat, non fubigit; ergo crudos, vappidos coacervat humores, non fubactos a bonis inquilinis humoribus vafisque idoneis: inteftina, olim nimis agitata & vellicata ab acri dyfenteria, jam amifere fenfilitatem, nec a vappidis humoribus ultro agitari queunt.

Hinc alterutrum fieri aptum natum eft; vel hydrops fiet, vel lienteria. *Hydrops*, fi per laxata vafa arteriofa perpluant aquofi humores in cava corporis, ibique adcumulentur, quia vis reforbens venarum perdita eft. *Lienteria* autem, fi refpiratio utcunque adhuc fortis fit, & per inertia, a nullo ftimulo adficiunda, inteftina & ventriculum, cruda adfumta transeant.

Verum, quum ille vel hydrops, vel lienteria tam notabilibus & periculofis caufis ortum debeant, nec

nec ſpes ſit, debilitatæ a talibus cauſis conpagis roborandæ, brevi tales pereunt.

Aph. 7—76. „A dyſenteria lienteria ſupervenit.“ Cauſam mox intellexiſtis. Tamen, ſi non a tam calamitoſis cauſis, ac dyſenteria præcedentis aphoriſmi nata ſit, ſed a communi, per ſe non periculoſa; tunc lienteria illa adhuc curam recipere poſſet, qualem in doctrina de lienteria dedimus.

Aph. 4—12. „Quibus alvus lienterica, eos hyeme ſurſum purgare, malum eſt.“ HIPPOCRATES in hoc aphoriſmo non condemnat emetica; immo *lib. de vict. in acut.* helleborum album laudat; ſed vetat hyeme, quia homines debiles hyeme debiliores & frigidiores ſunt.

§. 813. *Si chylus una cum fœcibus alvinis ejicitur, vocatur* ADFECTIO COELIACA: alvo igitur prodeunt & chylus, & alvina ſimul excrementa ſtercorea. *Adfectio cœliaca* apud CELSUM *l.* 4. *c.* 12. eſt ventriculi morbus, ſed ſcholæ jam aliter. („Obtinuit uſus hodie, egregie monet *L. B.* VAN SWIETEN, ut cœliaca paſſio dicatur, quando alimenta aliquam adepta ſunt coctionem, & diutius in ventriculo morantur, neque tam cito alvo expelluntur, quam in lienteria, in qua alimenta prorſus cruda protinus, ut ſumta ſunt, alvo prodeunt; tanta, tamque manifeſta cruditate, ut alimenti genus aperte cognoſcatur.“ — Adtendendum autem eſt, etſi cruda quædam alimenta alvo prodeant, lienteriam tamen ideo non ſemper adeſſe dicendam, quum utique viribus digeſtivis licet integerrimis, varia nihilominus earum actioni ſeſe ſubducant; manifeſto teſtimonio pellicularum uvarum, lentium, tendinum, aponevroſium.)

Ubi videntur concurrere pro cauſa conſtituenda ſtomachus & humores ſatis validi, dum interim inteſtina

nimis laxa, aut oscula vasorum lacteorum quacunque de causa obstructa. Morbus ergo subponit bonum ventriculum, sed intestina laxiora, quæ in chylum intestinalem minus valide agant: quo fit, ut pars modo subeat oscula lacteorum; pars inmutata cum excrementis alvinis prodeat. Fœtor tunc vix adest fæcibus.

Verum, etsi talis intestinorum laxitas non adesset, oriri tamen hic morbus posset, si, cum bono ventriculo, intestina ejusmodi crustis interioribus obsita essent, quæ transitum chyli per vasa lactea prohiberent. Sed tunc subponendum est, quædam oscula esse libera, quædam obsessa; ita, ut fæces formarentur quidem ex parte chyli exsucca, sed tamen purus quoque chylus simul alvo exiret, qui non omnis illa lactea subire potuerat.

Aphthæ, v. c., non omnino totum tubum intestinalem obsidentes, tale quid possunt in intestinis producere. Verumtamen morbus rarissimus fit oportet, quum raro talis causa in corpore adesse possit. Si enim aphthæ intestina obsident, brevi obsidebunt ventriculum faucesque; adeoque ventriculus bonus, qui in hoc morbo requiritur, diu esse non potest.

Hinc non mirum, quod Practici bene multi sint, qui videre morbum hunc nunquam poterant. Ordo tamen rerum requirebat ejus hoc loco pertractationem; tum, quia V.V. illum hoc ordine recensuerunt; tum quia, si ut olim, ita & nunc contingeret, vacillantes Medicos redderet, prius non explicatus.

Curatio constaret in corroboratione laxi, & crustæ, lactea obsidentis, ablatione: sed bina hæc exponam in *diarrhœa*.

(In-

(Interferuit nunc *Celeb.* DE HAEN hiſtoriam COLICÆ, quam anno 1763 ſimul, ubi de *Ileo* agebat, pertractaverat; nam non omni biennio, quo curſum abſolvebat pathologicum, eodem ordine & loco res quasvis explicare ſolebat: quum, ut IPSE etiam monuit, *Ileo* tum eam adjunxerit, quod HIPPOCRATI idem morbus ſit, & colicæ explicatio jam initium ſternat ilei expoſitioni; &, ſi colica non curetur, ſæpe in ileum abeat. Adfero hic loci, quæ HAENIUS in *Codice Prælectionum* circa *colicam* reliquit; quæ quidem ſat arctis claudi terminis quivis videt. Sed amplius de rebus ad eam pertinentibus agit pluribus locis in RAT. MED. *v. T. III. c.* 2., *T. X. c.* I. *&c.*)

Nomen *Colicæ* ignotum vetuſtiſſimis, HIPPOCRATI, ARETÆO &c.; CELSUS *l.* 4. ejus meminit, ut morbi quidem veteris, ſed novi nominis. (*) PLINIUS ſcri-

(*) CELSUS *l.* 4. *c.* 13. dividit inteſtini morbos in unum, qui acutus eſt, inteſtini tenuioris; & alium, qui longus eſſe poteſt, inteſtini plenioris, ſeu craſſi. „DIOCLES, ait, CARYSTIUS tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον, plenioris εἰλεὸν nominavit: a plerisque video nunc illum priorem εἰλεὸν, hunc κολικὸν nominari.“ Sed difficilis, ne

ſcribit, id nomen adeo ignotum TIBERII tempore fuiſſe Romæ, ut, dum Imperator ille in edicto ſuper ſua infirmitate hujus nominis, *Colicæ*, meminiſſet, Romani prorſum, quid ſignificatum vellet, ignorarent. Deſcripta tamen V.V. eſt in ileo; nam omnis colica, ſi in pejus ruat, poteſt in ileum abire: hinc inter cauſas ilei tractaverunt de colica.

Colica eſt dolor major minorve inteſtina obſidens (dum dolor levior eſt, colici nomine non notandus, GALENUS ait, *l. VI. de loc. adfect. c.* 2.); plerumque, non ſemper, cum alvo conſtipata.

Cauſæ ejus: 1) Omnis *acrimonia*, cujuscunque generis, acida, muriatica, alkalina, biliofa, atrabilia-ria; inteſtina irritans, adeoque in contractionem agitans; quandoque inflammans. 2) *Inflammatio*, a cauſis communibus nata. 3) *Pituitæ* inertis in inteſtinis cumulus; viam alicubi occludens. 4) *Vermes*, mucoſi vermium nidi. 5) *Corpora dura* ingeſta; ut oſſicula avium, piſcium; nuclei prunorum, ceraſorum; aciculæ, nummi, ut ſæpe deglutire pueri ſolent. 6) A *fla-*

---

ne dicam inpoſſibilis, HAENIUS tum ſubjungit, illi patet, qui 1) conſiderat, multis in locis & craſſum & tenue haberi; 2) ſitum coli origine & progreſſu in multis cadaveribus differre; 3) dolore ipſo inteſtina ſitu mutari. Unde, qui Auctores Pathologici id exacte ſic definiunt, merito redarguuntur a *Cl.* MORGAGNI *Epiſt.* 34. *n.* 2. & 43. *n.* 22.

Ileus nobis a vomitu definitur, HIPPOCRATI non ita; erat ei tantum morbi in pejus progreſſus: *v. Aph.* 7—10.

A *flatibus*, maxime ſi in ventriculo & inteſtinis ſint fructus horræi, fermentantes. 7) *Indigeſtibilia* omnia, quibus multi, maxime puellæ, ſolent delectari. 8) *Aër frigidus* accedens, *nudo ventre* exceptus. 9) *Pedes* diu *frigidi* manentes, & per nervos iſchiadicos, aut crurales, cum intercoſtali communicantes, ac cum inteſtinis. 10) *Potus gelidus* multus, calente corpore hauſtus. 11) *Debilitas inteſtinorum* tanta, ut fæces expandant quidem inteſtina, nec tamen propellantur; unde illa tandem anxie dolent; accedentibus ſimul flatibus. 12) A venenis variis, v. g. a plumbo; ut in colica Pictonum (arſenico, mercurio ſublimato corroſivo: quorſum & quodam ſub reſpectu cibi potusque maxime auſteri pertinent, etſi nil ſaturnini, aut venerei vehant). 13) Ab *hernia*, pertinet ad inflammationem. 14) A *calculo* renis, ureteris; (in rariori caſu ipſorum inteſtinorum). 15) A *menſtruis*. 16) Ab *hæmorrhoidibus*. 17) A *paſſionibus animi*. 18) A *graviditate*. 19) A *partus doloribus*, ad enitendum fœtum. 20) *Poſt partum*, ab exantlatis partus laboribus.

(His adjungenda: 21) A *bile*, in qua, obſervante SYDENHAMO, inteſtina ſubinde quaſi faſcia conſtringi videntur. 22) Ab induratis, & cum inteſtinis fere concretis, excrementis. 23) A *mæconio*. 24) A *coloſtro*, aut *pulticulis*, in inteſtinorum tubo remorantibus, corruptis. 25) A *metaſtaſi*. 26) A *calculis hepaticis*; nunquam non mala, ſubinde cum morbo nigro juncta. 27) A *ſpaſticis nervorum vitiis*. 28) Ab anomalia febris intermittentis. 29) Ab *cauſtica ranceſcentium pinguium acrimonia*; quam paſſim prætermitti video. 30) Ab *adcumulata terreorum ſaburra*; quam etiam negligunt nimium Practici. 31) A *variolis*. 32) Ab *hypercatharſi*, *remediiſque draſticis*. 33) *Arythmia*, *vaga*. &c.)

De

De colica biliosa, nephritica, Pictonica, herniosa, menstruali, hæmorrhoidali; hic non agam: quum suis in specie locis tractetur: („de colica menstruali & hæmorrhoidali, HAENIUS ait, plus dicitur, quam verum est." — Erraret autem, qui eam prorsum vellet negare.)

Colica in primordiis suis sæpe curanda brevi feliciterque, modo causam veram indagare, debellare, quis noverit: neglecta, inveterata, ad ileum sæpe viam sternit. (Vix morbus est, in quo sæpe graviterque adeo, agyrtarum, muliercularumque maximam partem ex consiliis, peccetur, quam quidem in colica; dum, abs omni causæ disquisitione adhibentur remedia, & in colica v. c. sanguinea &c., ubi maxima jam inminet, vel adest, inflammatio; interne externeque adhibentur calentissima carminantia, spirituosa, aromatica, ætherea; quibus plurimi aut occisi, aut ad orci limina deducti sunt, prudentiori medendi ratione servandi, faciliusve curandi.)

Medici ergo est, in causas inquirere, & si prædominantem acrimoniam quamcunque in corpore inveniat, obposito remedio obpugnet eamdem (Quod vero non abs prudentia fiat; quum v. c. remedia non ubique adhibere liceat, quæ tamen chemica ex doctrina e diametro obposita forent causæ morbi peccanti: de quo jam antea injecta mentio.) Quodsi malum adeo vehemens, ut inducias haud patiatur, conetur purgantibus, enematibus educere, oleosisve mitigare materiem ac postea emendare.

Si *inflammatio* accessit, ea sane est cura antiphlogistica debellanda; v. s., enematibus, diluente, calido, (subtepido,) emolliente potu, (stimulo salino non denuo irritante) talibusque epithematibus, balneis.

Si

Si a *vermibus*, cura in expellendis illis adhibenda, data in præcedentibus fuit.

Si a *copia glutinis*, adtenuandum illud, expellendumque eſt. Saponacea, aloëtica hic egregia.

Si a *ſuſcepto frigore*, fomenta calida, interna, externa, tepor lecti, enemata varia, balnea totius corporis tepida, promoventia perſpirationem.

Si ab *alimentis indegiſtibilibus*, ea arte quavis erunt educenda: juvant eo ſæpe balnea totius corporis, ſemicupia, ut cætera remedia felicius operentur.

Si a *fragmentis oſſium*, *piſcium ſpinis*, *nucleis*, *aciculis*, *fragmentis metallicis*, *nummis*, ut ſæpe in infantibus fit; oportet talia corpora blandiſſime tractare oleoſis, mucilaginoſis, ἀνὼ καὶ κατὼ diu multumque exhibitis; fortiori enim ſtimulo corpora illa altius quandoque infigerentur. Sæpe tamen tales cauſæ non cognoſcuntur, niſi a morte, ut caſus apud BONNETUM demonſtrant: vel, non cogitante Medico, ſponte prodeunt. *Egregius* SIMSONUS, Prof. Med. cum Societ. Edinburgenſi conmunicavit obſervationem hujuſcemodi notabilem. A ſex annis puella colica vexatur. Quum SIMSONO, irritis omnibus ſuis conaminibus, animus jam eſſet, a medicamentis abſtinere, vidit caſu puellam vomitu reddentem bilem obſcuram. Dedit aquæ tepidæ pintam iß, idque ſexies, ſeptiesve repetivit, putans in vomitum talem profuturam. Verum, ubi quinquies circiter vomuerat, alvo corripitur copioſa monetque, duri quidquam ſibi ano exſiluiſſe. Erat corpus fere quadratum, pondere quinque drachmar.; in ambitu 4. pollicum; durum, cruſtaceum: in medio nucleus prunorum, cui materies illa circumcreverat. Curata fuit omnino a ſuo morbo. Caſu porro talia deteguntur; nam poſt infinita purgantia & enemata quomodo augurari SIMSONUS tale quid potuiſſet? Sed

quando

quando ſcitur, poſſumus operari. Et tamen SIMSONUS, etſi rem ſciviſſet, non potuiſſet pluribus purgantibus & enematibus agere: nec curavit; ſponte enim cura facta eſt. — Hac in cauſa ſæpe etiam opio indigemus, ut ſedatis ſpaſmis, inteſtina ad tranquillitatem redacta, aliena hæc facilius ad inferiora amandent.

Si a flatibus; calida, diluentia, leniter carminantia, ore pota, ano inmiſſa, ventri inpoſita mire juvant. Flores chamomillæ in omni colica fere ſpecifici; ut apud BAGLIVIUM habetur. GALENUS *c. ult. Meth. med.* in colica a flatibus, ſi præcedentia non juvent ad dolores ſedandos, cucurbitam magnam umbilico adplicat laudatque, quod quaſi incantamenti inſtar dolores tales ſopiat. — Si a flatibus fruct. horræor. &c., ſpiritus acid. foſſilium in aqua, vel ſola, vel cum carminantibus aut purgantibus, conveniunt.

Si *a debilitate inteſtinorum;* cura roborans, ex prioribus repetatur & adplicetur.

Sunt homines ſæpe colicis obnoxii doloribus, qui mox pacent illos, affatim epota gelida. Venerandus Profeſſor meus *H.* OOSTERDYK-SCACHT ſic ſe ſolebat curare. Certe, ſi acrimonia adſit, aqua multa diluit illam; ſi inteſtina debilia, gelida roborat & auget contractiones. His rationibus prodeſſe poteſt: unde TRALLIANUS *l.* 10. *c.* 1., aqua frigida curaſſe ſe colicos dolores adfirmat, ſi cauſa ex calidis bilioſis humoribus. Videbimus poſtea in *Ileo* curam NABOTHI cum HOFFMANNO ope aquæ gelidæ; unde HEISTER, & Alii, gelidiſſima herniam incarceratam curare volunt. Cæterum anceps remedium, colicis potius creandis, quam curandis aptum: certe vidimus colicam ab aqua frigida natam —

§. 814. DIARRHOEA *eſt frequens & copioſa per alvum egeſtio excrementorum liquidorum; ſive ex cibo*

potu-

potuve, ſive ex humoribus quibuscunque, undecunque delatis in inteſtina, exorta fuerint. Διαῤῥοεῖν, *perfluere; Diarrhœa, perfluxus*: atque eo nomine donatur ille perfluxus, ubi citra notabilem dolorem, citrave ullum, contigerit.

Materies autem hujus diarrhœæ eſt 1) illa, quæ titulo alimenti, potulenti, ore ingeſta fuit: 2) illa, quam omnes fere humores corporis noſtri, ſive naturales, ſive præternaturales fuerint, ſubpeditent.

Sæpius jam Vobiscum conſideravi, in inteſtina ſe poſſe exonerare omnium viſcerum liquores, tum & illam materiem, quæ in horum viſcerum obſtructione, inflammatione, ſubpuratione, diſpoſitione grumoſa, calculoſa, amurcoſa, ichoroſa, gangrænoſa, nata fuerit.

Si enim 1) obſervata practica aliorum, ſi mea propria, revolvam, conſtat liquido, hepar ad inteſtina amandaſſe bilem, ſabuloſam materiem, calculos, pus, ichorem, amurcam bilis atræ; ſplenem itidem ſuam materiem amurcoſam, purulentam, ichoroſam, ſanioſam, gangrænoſam: viam noſtis cognito ſyſtemate venæ portarum; niſi quis vellet ſtatuere, ex ſplene retrogrado motu per vaſa brevia infundi in ventriculum materiem poſſe. Omentum ſubpuratum, gangrænoſum, ut & meſenterium ipſum, poſſunt ſe per hepar in inteſtina evacuare. (*)

Sed

(*) In Vetulis ſæpe RUYSCH, *Dec.* 3. *p.* 23. invenerat in ſpatio palmæ manus vix 2. 3. parvas glandulas. Putat & glandulas has ætate deleri, ut totam mammarum molem, cujus nil niſi papilla ſupereſt. Sed quid tum chylo accidit, qui ſolebat has glandulas ſubire, ut dilueretur, ut humore

inqui-

Sed si major est resistentia ad hepar, mesenterium novit se heterogeneis, quibus scatet, alia via in intestina evacuare.

RUYSCH enim, *Adverf. Anat. Dec.* 2. *p.* 2. inplevit venam mesentericam, & materies effusa visa est in intestinorum cava; quod commode factum, quia venæ mesentericæ *humanæ* valvulis carent. RUYSCHIO *ibid. p.* 18. *Dec.* 3. *p.* 23. videtur, per has venulas in cavo intestinorum hiantes, pars chyli tenuior absorberi & versus hepar duci & cum sanguine venæ portarum circuitum obire. Aureæ *tabulæ* EUSTACHII hoc demonstrant; v. *fig.* 2. & 4. *tab.* 27.

2) Ipse pulmo in hecticis videtur se exonerare in intestina; nam pus verum, subpresso sputo ejus ex pulmone, pervenit ad intestina, & diarrhœa colliquativa finivit vitam hominis. Pus tale videtur in sacco hæsisse & venis in sacco bibulis absorptum, in cor sinistrum venisse & ex aorta in art. mesentericam inmissum. Ita uterus & omnia viscera subpurata.

3) Quotiesne visum, ut aqua hydropicorum, sive illa in universo panniculo adiposo effusa fuerit, sive in corporis collecta cavitatibus, per alvum educta fuerit? Si ergo per artem hoc fiat, videntur per hydragoga reme-

---

inquilino mistus animalior fieret? Caret certe hoc usu. Sed, an homo debet mori, si aut lacteis transitus denegatur ad conpressas & evanidas has glandulas; aut, si mesenterium scirrhosum iter inpediat chylo? Non: putat RUYSCHIUS, chyli semper aliquid resorberi a venis mesenterii; unde, si non per lactea, resarcitur utcunque damnum per has.

remedia venæ bibulæ depleri, evacuarique; inde necessario contingere, ut ex adcumbente sibi lympha denuo exsugant tantum, ut iterum repleantur.

Nonne sic bene dixit HIPPOCR. *Aph.* 6—14. „ Ab hydrope detento si aqua secundum venas in alvum fluxerit, solutio fit?" Sane aptius nihil ad hanc nostram explicationem dici potest.

4) Dictum alio loco, ad §. 774., de quadam diarrhœa, sæpe serosa, deque ejus causa; nempe ex nimia secretione salivæ, succi pancreatici, gastrici & enterici orta; ut & de ejus effectibus, debilitate, siccitate, atrophia.

5) Tandem ipse sanguis potest se effundere in intestina per venas mesentericas, si majorem resistentiam offenderit; sive versus hepar, in quod sanguis a mesenterio pro bile conficiunda paratus, refundendus est; sive versus venam cavam, in quam sanguinis mesenterici ea portio redit, quæ nutriendo mesenterio inservierat.

6) Immo ruptis aut dilatatis vasculis ventriculi aut intestinorum, potest sanguis copiosissimus hac via sese evacuare. Ab ipso hepate videtur sanguis posse in intestina amandari.

7) In vulneribus & contusionibus, ubi in cranio, thorace, abdomine, sanguis, ichor, pus, effusum; unde lethalis apoplexia in capite, suffocatio in thorace lethalis, corruptio viscerum in ventre orirentur; *cura* BOERHAAVII *revellens* magnam materiæ partem intestinis expellit.

Igitur territorium diarrhœæ videtis esse quam latissimum. Conprehenditis, cur materies intra paucos dies prodiens, situlas integras quandoque inpleat? Conprehenditis, quantum sæpe boni adferat, si sit moderata, quamque tunc inutilia sæpe & noxia de cor-

pore auferat? Quam vero cito ſubitoque totam compagen ſolvere, corii inſtar aridi totam emaciare deſtruereque poſſit? Quam ſæpe ante mortem penitiſſimam viſcerum corruptionem prodat? Redeamus nunc ad textum!

Ejus vero cauſa eſt vel acre inteſtina irritans, humores exprimens, ex hepaticis, pancreaticis, meſentericis, inteſtinalibus vaſis; dum ſimul ora venularum meſentericarum & lactearum obſtructa; vel laxitas ingens fibrarum inteſtinalium; denique aliæ excretiones inpeditæ. Quid, & quale acre ſit, quod hic peccare poſſit, toties jam Vobiscum diſſerui de *varia acrimonia* agens: unde repetenda hæc ex ipſis fontibus. Qualiscunque autem illa acrimonia ſit, inteſtina irritat: ex illa irritatione neceſſario ſequitur humorum adfluxus, ut ab omni irritatione acris, v. c. ſabuli in oculo, ſit. Porro, quæ cum inteſtinis inmediate fere communicant viſcera, ut hepar, lien, ventriculus, pancreas, meſenterium, ipſaque inteſtinorum vaſa, ea præcipue, ſic irritata, ſuos exprimerent humores.

Sed, cur in diarrhœam millies non incidimus in vita, ubi vel aquoſis vel vinoſis liquoribus corpus ita inpleverimus, ut forte nunquam in diarrhœa adſit copia materiæ tanta?

Cauſa eſt, quod in diarrhœa triplex vitium recenſeatur; quod, quum in ſanitate abſit, diarhœam producere non poteſt.

Vel 1) eſt *obſtructio venularum meſentericarum & lactearum;* ut in hominibus admodum glutinoſis, in aphthoſis, in febribus ardentibus, in quibus hæ venulæ præ ardore exſiccantur, vel viſcoſa putrida iisdem innaſcuntur, vel adnaſcuntur.

GALE-

GALENUS notat etiam, magnis longisque exulcerationibus inpervias cicatrices reddi, & hinc lienteriam vel diarrhœam; nam nec agit ibi inteſtini pars, nec abſorbet. CHARTER. *Tom. V. p.* 386.

Vel 2) *laxitas ingens fibrarum inteſtinalium*, ita quidem, ut hæ contrahere ſeſe nequeant, ſed jaceant inertes. In hac laxitate fibrarum advertendum præ cæteris, quid differat ab illa laxitate in lienteria obſervata, quæ ideo morbum lientericum conſtituebat, quod

1) ſola laxitas adeſſet ſumma ventriculi & inteſtinorum;

2) humorum in ventriculum & inteſtina fluentium inertia;

3) reſpiratio interim ſatis fortis.

In diarrhœa vero illa laxitas ſubponit ſimul humores acres potius, quam inertes; ventriculum haud ita debilem, quam in lienteria, ſed adhuc quid in alimenta agens: denique ponit adfluxum humorum corporis verſus inteſtina, quæ in lienteria non habebatur.

In ſtatu ſano non tantum eſt motus periſtalticus, ſed & antiperiſtalticus, ut ex WEPFERI *c.* 20. patet: hinc retardantur contenta & ad ora lacteorum chylus adplicatur. In diarrhœa vel laxitas cum aliquo motu periſtaltico aucto, vel inteſtino licet non laxo, tamen ſolo motu periſtaltico, ſine ullo antiperiſtaltico, poteſt diarrhœam facere.

Vel 3) *aliæ excretiones inpeditæ.* Miram noſtram machinam ſæpe mirari oportet. Deſtinatis ſuis quisque locis evacuantur ſuperflui nociturique humores. Vidimus antea, eumdem omnino humorem eadem natura per deſtinatum ſuum locum effluere inpeditum, per alias vias iter ſibi pandere. Ita v. c. menſtruus ſanguis, ubi per uterinam anaſtomoſin inpeditur de corpore ef-

fluere; idem ille sanguis, ut sanguis, per vomitum, per pulmones, per nares, per oculos, per digitos, per hæmorrhoides aliave corporis extrema, prodit. At vero, exerceat se femina illa validius, quam antea, mollemque corporis conpagen in rigidiorem mutet virilemque: mox illa, quæ sanguinem ad libram mediam quovis mense, citiusve, utero emittere solita erat, jam vix menstrua videt, & tamen vivit sanissima. Quid ita? Ille sanguis jam consumitur, & mulier suo motu continuo, aucta insensibili transspiratione, superfluum de corpore eliminat. Hic vero cernimus in diarrhœa excretiones alias suo loco inminutas, per intestina amandari. Dum infans gingivas inflammatas habet in dentitione, ex magnis suis salivalibus glandulis incredibilis copia salivæ excernitur in os, ut inflammatum hoc humectetur, ut partes tensæ laxentur. Pars extra os infantis effluit, pars magna deglutitur efficitque diarrhœam, quæ plerumque viridis; ob quam causam vero viridis fit, fere ignoramus; sed saltem capimus causam diarrhœæ.

Consideravimus in Αἰτιολογία, si salivales ductus in ore obstructi essent, aut si saliva ad glandulas oris non secerneretur, pancreas forte duplo, triplo copiosiorem humorem, salivali similem, secernere; unde tunc serosa diarrhœa nasceretur.

Sunt homines fere toto anno catarrhosi, ingentem limpidi humoris & muci copiam naribus ac faucibus quotidie emungentes & exspuentes: a frigore suscepto inpediatur ad nares & fauces fluere materies; mox fite diarrhœa talis.

Verum solemnior ad diarrhœam dispositio videtur esse nulla, quam quæ inpeditæ Sanctorianæ, perspirationi debeatur. Quæ causa? Quia sic facti sumus, & sane beneficio summo nostro! Lethales sæpe forent excre-

cretiones inpeditæ, maxime Sanctoriana, si non alia via, licet morbosa, posset amandari.

Hæcque forte alia est soluti problematis, cur a pedibus cruribusque frigidis dolor ventris & sæpe diarrhœa? Ita, ut homines, diarrhœis ab hac causa obnoxii, mox a frigore inferioribus, quod præ negotiis suis evitare sæpe non possunt, suscepto, in colicas & diarrhœas relabantur. Antea, in *colica*, dixi, a nervis forte derivandam causam; quia crurales & ischiadici communicant cum intercostalibus: EUSTACH. *T.* 18. *f.* 2. Si jam 2) consideremus repercussam perspirationem a cruribus & pedibus vi ruere ad intestina, intelligimus alteram hujus phænomeni causam.

Sequitur *curatio* diarrhœæ.

1) Ortam ab *acrimonia* quacumque sanat cura acrimoniæ in genere, aut specificæ: hæc petenda ex *doctrina generali*, toties data. (*)

 2) Si

(*) Acre epidemicum ex natura epidemiæ cognoscendum. Ita SYDENHAMUS advertit, curam universi epidemici poscit; hinc varium id vario tempore. In febribus aliquando oritur a radiis inflammatoriis ad intestina inversis, SYD. p. 164. 168. 170. — In febribus continuis ex neglectu emetici, ubi in principio morbi vomendi propensio adest, excitari solet 55 ad 73. — In febribus inflammat. emetico tantum non inpeditur, sed quandoque creatur, 74, ita in febri ann. 1665.

Dysenteria & diarrhœa una cum febri variolosa regnantes erant v. s., regimine frigido & frigida diæ-
ta.

2) Si *glutinosa diathesis* obsederit oscula venarum lactearum & meseraicarum, solvendum est gluten abigendumque per saponacea & purgantia. Hic iterum verum est, purgationem nimiam purgantibus curari, *modo talibus*. Ex signis antea datis noscitur talis dispositio. Juvant enemata ex sapone veneto; v. g. sap. veneti ℥j., mellis ℥iß, decoct. rutæ ℥x. aliquoties inmittendum. Juvant hic & pilulæ paratæ ex gumm. ammon. ʒiß.

Sap. venet. ʒiv.
aloës ʒß.
terr fol. tart. ℈ij.
thereb. q. f.

Ut sumat quovis bihorio pilulas duas cum vino helenitit. absinthit. &c. Frictiones adhibeantur interea & motus corporei, ut Sanctoriana perspiratio augeatur.

3) *Si crusta aphthosa*, in pueris sæpe, in adultis nonnunquam, inpediat transitum chyli in lactea enormemque diarrhœam faciat, egregium est abstergens decoctum raparum:

℞. ra-

---

ta curandæ, ut ipsa febris variolosa. — Pag. 199. superveniens morbillis, v. f. curanda.

Ad acre laudavit GALENUS sevum caprinum, vel ceratum rosatum in enemate: DEGNERUS ceram albam, lacte calido liquefactam. In nosocomio nostro pluries oleo lini ore & per alvum exhibito, cataplasmate emolliente & opio dysenterias curavimus.

Boli armenæ ℥j. in aq. meliss. simpl. ℔j., cum syrup. diacod. ℥ij egregie acre involvit.

HIPPOCRATES milii decoctum in eumdem scopum laudat.

℞. rapar. non excorticat. tyrocnesti, sive radula. rapsatar. ℥iv.
ebull. c. s. q. aqu. per $\frac{1}{2}$ hor. vase clauso.
colat. fortit. express. ℔j. adde
mell. rosac. ℥j.
ut quavis hora ℥j. sumat.

Mox vero, ubi culparent signa solutæ crustæ in excrementis copiosa, pergente diarrhœa decoctum cort. peruv. detur.

℞. cort. peruv. optimi ℥j.
coque bihorio c. s. q. aquæ.
colat. lib. j. adde
syrup. diacod. ℥j.
sumat ℥j. omni hora.

Notandum simul hic, corticem peruvianum semper diu coquendum, alias vis in decocto pauca.

4) Si *ab exsiccatione febrili* diarrhœa oriatur, cura morbi principis erit & hujus cura. Curatio enim febris continuæ restituit perspirationem in cute, tam interna quam externa. Balnea hic prosunt.

5) *A sordibus biliosis* in acuto morbo ibi collectis, morbus ortus, curatur a natura crisin per diarrhœam moliente, donec omnis materia expulsa sit: si non satis natura id faciat, vel si ab incœpto opere desistat, adjuvanda erit. — Omnia acida sunt obposita acrimoniæ putridæ & sistunt demum eam in acutis; quandoque serum lactis tamarindinatum sistit.

℞. seri lactis tamarind. ℔ij.
sum. omni hora vasculum.

Hoc, vel tale, repetatur, prout symptomata docent requiri: si enim natura adjuta deinceps pergat per se alvum critice solvere, sufficiet.

6) Si *a dentitione infantum*, paratur remedium tale:

℞. ſyrup. violar. ℥iß.
ſucci ſempervivi major. ℥ß. m.

Penicillo, aut molli digito, gingivis dolentibus continuo adplicetur: leniſſima paregorica ſubinde dentur; v. g. infanti 5. 6. menſium, dentire incipienti, omni veſpere poſſunt dari ʒij. ſyrupi diacod., & ſi ſymptomata nimium urgeant, prudentis Chirurgi lanceola gingivæ aperiantur ſecundum latitudinem dentis; (melius ſectione decuſſata; linearem ſiquidem ſæpius repetendam novi, coëuntibus denuo gingivis, etſi ſectio non præmatura facta fuerit: in decuſſata vero amplior patet tranſitus prodituro denti & laciniæ gingivæ facilius dehiſcunt. Sectione gingivæ tumentis unice nonunquam infantes morti queunt eripi, convulſionibus ſæviſſimis alias pereuntes, quum nullo remedio adplicato eo deduci potuerit gingiva coriacea, ut debite cederet coronæ dentis. Nec in ſolis adeo infantibus eam requiri, experientia didici,) modo dens ſatis alte eminuerit ex alveolis. Moneo id contra temerarios Medicos, aut Chirurgos, qui in omni rudiori dentitione id faciunt: fit enim ſæpe, ut, ſi dens tam alte non proceſſerit, ut poſſit aperturam gingivæ inplere & apertam tenere, gingivæ perſciſſa concreſcat, callum formet, poſthac a dente vix perrumpendum & laborioſe perſcindendum. (Aſt, nec nimium differatur, convulſionibus jam ad ſummum deductis, aut gingivam, prius inflammatione maxima adfectam, nunc gangræna prorſum devaſtante). Sed præ omnibus v. ſ. conducit, & multos infantes a morte præſervat.

(In diarrhœa a dentitione pulcerrimos effectus etiam edidit *ſalep*, & *orchis morio*, ſeu *ſalep* ſuecicum. *V. act. acad. reg. ſc. Holm. T. XXXIII.*)

7) Si *fabricæ inteſtinalis nimia laxitas* ſit adcuſanda, ea ex toties data doctrina roborantium emendanda eſt : ſed peculiaris cura inteſtinorum ſic inſtituatur.

℞. cort. ſimarub. (*) ℥iv.
ebull. bihorio c. ſ. q. aq., colaturæ pintæ adde
ſyrup. diacod. ℥j. ſumat quovis trihorio ℥ij.
℞. cort. ſimarub. ℥ij.
laud. puri gr. iſs. M. f. pulv. No. vj.
ut ſumat omni quadrihorio pulverem.

Quod ſi forte homo vermes habeat in inteſtinis, ſimul illi prodibunt ; ut caſu aliquoties detexiſſe me Vobis in hiſtoria vermium expoſui. (Contigit non-

(*) Adnotavit hic in margine *Codicis* Haenius ſequentia : „ Simaruba cortex arboris americanæ, anno 1713 adlatus eſt Illuſtriſſimo Pontchartrain, Regi Galliæ a ſecretioribus ; qui illum mox dedit Clariſſimo Medico regio Fagot : multa hic inde experimenta non fecit, parvam modo ejus copiam nactus : quum tamen in Galliis anno 1718 dyſenteriæ, notis fere omnibus remediis rebelles, orirentur, ſimaruba præſtantiſſima inventa eſt. Ubi ſcilicet dyſenteriæ materies prius probe eſſet expurgata, nec adeſſent ulcera inteſtinorum : aliter enim veneni inſtar eſſet. Etiam in nimio uterino fluore laudatur ; vide *Mem. acad. reg. ſc. Paris.* 1729, *Commerc. litter. Norimb.* & Degnerum *de dyſenteria bilioſo-contagioſa anni* 1738, qui tractatus integer habetur in *Act. phyſ. med. N. C. vol. V.*

nunquam, ut diarrhœici aut dyfenterici ægri mirarentur præfentiam vermium prodeuntium; quum nunquam antea fefe illis domicilium in inteftinis præbuiffe rati fuerant.)

Lyfimachiæ, ex *Tom. III. & Tom. IV. Rat. med.* drachm. j. fcrup. iv., mane & vefperi, purgante ex rheo &c. præmiffo, fi nullum ulcus, fi fordium nihil præfens, eft præftantiffimum remedium.

Frictiones tunc abdominis totius crebræ inftituantur. Diæta ex ficcioribus fit, carne alba, affa, fine oleribus: jufcula meraciora, multa oryza cocta; vitatis, inquam, oleribus & fructibus horræis, tam crudis, quam coctis, aut elixis; quia laxant & flatus gignunt; unde expandunt debilia inteftina. Cydonia, poma cum faccharo bene elixa, corna bene parata, berberis leviter ftringens, mefpila immatura faccharo bene condita, ex confilio P. FORESTI, defperatam dyfenteriam fic fanantis, convenire poffunt. Vitetur nimia humiditas aëris; unde dormiat habitetque æger in elatiori ædium contignatione: motus in aëre ficco, ambulatione, vectione, equitatione exerceatur. Cortex peruvianus & martialia etiam tales morbos curare poffunt.

PRINGLE fpecificum in omni dyfenteria ait vitrum antimonii ceratum. Vehementer movendo, maxime furfum, juvat, ubi emeticum juvat, ut ante dixi; fed mortem infert, aut periculofum morbum facit (hæc omnino non fat exacte determinata; unde faltem: *abs prudenti circumfpectione fi adminiftretur*, addendum). In noftro exercitu occidit quodam tempore omnes, quibus datum. (Id fane omnibus vix non remediis proprium, ut jam plus jam minus noceant, dum ceu euporifta & panchrefta adhibentur: ideo vero culpa in ea minus redundat, quam in medicinam facientem; qui adtendere debuiffet, quid, cui, quibus fub conditionibus, quo anni tempore, qua in epi-

demia,

demia, quo ſub climate, qua in regione, quibus antea factis aut omiſſis, quibus morbo principi accedentibus morboſis adfectionibus aliis, quo in morbi ſtatu, &c. exhibeat? Ab uſu ſane vitri antimonii cerati, legitima hac medendi ratione, & refracta potius doſi, propinati, tot bonos effectus productos ipſe novi, ut injuſtus omnino forem, ſi illud in univerſum, aut & maximam partem, nocuum eſſe, adſererem. Id autem veriſſimum, melius longe eſſe, hujuscemodi remediis plane non uti unquam illos, qui methodum, qua demum adhiberi, ut profit, debeat, aut neſciunt, aut non capiunt.)

Quæritur, num aluminoſa balnea hic quoque non convenirent? Forſitan, ſi non plus ratione aquæ laxent, quam aluminis vi ſtringant; id quod a balneis haud raro obſervatur. (Quin, ſi nullum adſit acrimoniæ ullius indicium; id vero antea cautiſſime explorandum, nec prætermittendum; ſi ſola laxitas & atonia cauſam mali præbeat, prudentiſſima doſi & methodo exhibitum alumen votis pulchre ſatisfeciſſe, hic monere queo. Medicis vero nonniſi veris rationabilibus hoc medicinæ genus reſervatum ſit.)

8) Si *perſpiratio introverſa* adcuſetur, ea promoveatur leniſſimis diaphoreticis, tepore lecti, motu corporis, frictionibus. Si homo habeat omnino perſpirationem inpeditam a longo tempore;

℞. rad. ſcorzoner. ℥ij.
lign. ſaſſafras raſ. ʒij.
trium ſantal. aa ℥ß.
liquirit. recent. ℥ß.

Scorzonera prius coquatur per ½ hor. aqua pura, tum reliqua addantur & ſtent per horam in fervida infuſione, vaſe clauſo: colaturæ pintæ j. adde
ſtib. diaphoret. ʒj.

Sumat

Sumat quavis hora ℥ij. calide, tempore matutino, vacuo corpore; institutis primum per quadrantem horæ frictionibus corporis, maxime ventris. Ubi sic per trihorium sub stragulis jacuerit æger, repetantur frictiones. Prandium sit Sanctorianum, ex lacticiniis, carnibus albis &c. Si vires fortunæ id ferant, hora ante prandium carpento vehatur; aliter corporis motum exerceat ambulando, vel operando. Si sero, pomeridiano tempore, is motus repetatur, eo rectius. Cœna, vel nulla sit, vel ex lacte (bono cum successu exhibui infusum theæ, cum lacte pro cœna & jentaculo), & ex coctis, aut elixis, radic. scorzoneræ, paucis carnibus.

Si talis methodus per octiduum continuetur, eritis quandoque felicissimi in curatione inveteratæ diarrhœæ, ab inhibita & introversa perspiratione ortæ.

9) Sed sæpe oritur diarrhœa & *ab introversa perspiratione* & *a summa intestinorum laxitate*. Eo in casu nunc illico præscripta methodus non satisfaceret scopo, vel saltem tantum pro parte. Ergo tunc cura instituenda ita, ut perspiratio non tantum promoveatur iis, quæ directe in eam restituendam agant; sed & iis, quæ, vires corporis potenter restituendo, motum humorum, aucto vasorum tono, ad corporis determinent peripheriam:

℞. cort. peruv. ℥iij.
limat. ♂ non rubig. ʒvj. M. f. pulv.
No. xxiv.

Sumat quovis trihorio unum ex aqua, & bibat intermedio quovis tempore haustum lactis: frictiones, diæta, exercitia, adhibeantur, ut prius.

10) *Diarrhœa* & *dysenteria puerperarum* mala, si cum virium projectione & malis symptomatibus: est enim aliquando bona: uti, cessantibus nimis cito lochiis,

mate-

materies ad inteſtina defertur & femina fanefcit; ita, vice verſa *Epid. V. p.* 1161. „ uxor EPICHARMI laborabat ante partum dyſenteria: dolor vehemens aderat; alvi recrementa aliquantulum cruenta, mucoſa: τεκὲστα παραχρῆμα ἴαϑη." AMATUS LUSITANUS, *Cent.* II. *curat.* 51. ſimile exemplum habet, & ſic etiam explicat; *diverſionis forte ratione*, inquiens.

Communis diarrhœa a crudis, ab *horræis fructibus* &c., curatur rheo & theriaca.

Communicavi Vobiſcum, AA., nunc talia, quibus, Deo dante, fortunatus ſæpe fui, curans talia, quorum curam alii fruſtra tentaviſſent. (*)

Ex

(*) Adferre hic etiam juvat, eruditionis ſaltem gratia, ex margine codicis, *ſpecifica* in hoc morbo *decantata:* exhibeo ea ipſis verbis *Cel.* AUCTORIS, nec pluribus, quæ jungi poſſent, augeo. „ 1. Ipecacuanha — 2. Vitrum antimonii ceratum — 3. Simaruba — 4. Lyſimachia — 5. Meſpyli inmaturi — 6. Cydonia — 7. Milium 8. Oleum — 9. Cinnamomum — 10. Bolus armena — 11. Lapis hæmatites — 12. Opium — 13. Lac coctum — 14. Lac ferratum — 15. Priapus ceti, cervi, tauri — 16. Cranium, oſſa, ſuſpenſi — 17. Uſnea e cranio ſuſpenſi — 18. Venæ ſectio; ſerum lactis frigidum bibendum, & frequens enema ſeri lactis tepidi. Poſt 3 4 paroxyſmos ſanguis non ultra aderat (in dyſenteria), & tunc calore lecti per ſerum lactis excitabatur ſudor 24 horarum. Sic *D.* BUTLER in Africa, & SYDENHAM in Anglia, feliciter omnes curarunt."

Ex data doctrina incipiemus nunc intelligere sensum *aphorismorum* HIPPOCRATIS *de Diarrrhœa* agentium: eos igitur ordine recenseamus.

Aph. 3—21. „Æstate - - - - diarrhœæ.“ Quia & perspiratio, & sudor æstate tantus est, oriuntur plerique tunc morbi, vel ex humorum exsiccatione, vel ex perspirantium & sudantium retropulsione, suscepto frigore. Ex hac ultima causa sunt diarrhœæ æstivæ frequentes.

2) Æstate homines bibunt multum, adeoque, si frigore suscepto perspiratio introvertatur, non est mirum, humidi abundantiam in intestinis esse, & diarrhœam facere.

3) Æstate homines edunt horræos fructus, qui in excitandas diarrhœas proni sunt, si non multum doloris faciant; si vero copiosum gas sylvestre producant, proferunt choleras & dysenterias.

Aph. 3—25. „Ad dentititionem accedentibus gingivarum pruritus, febres, convulsiones, diarrhœæ; & maxime, ubi caninos dentes producunt; & iis, qui inter pueros sunt crassissimi, & qui alvos duras habent.“

Plerosque, non tamen simul omnes, adficiunt hi morbi infantem. Sunt infantes, qui incisores citra dolorem fere adipiscuntur; sunt, qui pauco cum dolore incisores: at vero multi inde magnopere dolent & periclitantur.

Canini dentes habent radices longiores, & superficie mucronata & curva (obtusa, conoidea, in corpus crassius mox abeunte) magis scindunt gingivas; hinc ad illorum eruptiones infantes maxime laborant; (ideo major ab iis fiet dispansio partium ambientium, nec tamen facilius penetrabit tumens corona.) Primo fit pruritus, tunc dolor, a dolore inflammatio, ab inflammatione febris, simulque, a nervis quinti paris adfectione

con-

convulſio. Tum, quia enormis fit ſecretio humorum in ore, ut locus tenſus laxetur, humectetur, oritur diarrhœa, quum magnam horum copiam infantes deglutiant; & quia a febri læditur eorum perſpiratio, poterit ea introverſa augere diarrhœam.

Sed difficultatem facit, quod addat HIPPOCRATES, talia maxime fieri illis pueris, qui 1) ſunt craſſiſſimi; 2) qui alvos duras habent: ſic & *libro de dentit. n.* 9. ait: " quicunque dentientes bene habiti manent, & altiori ſomno premuntur, periculum eſt, ne convellantur."

Reſp. Pueri craſſiſſimi habent plurimos humores; adeoque, febri nata, violentius circumducuntur copioſiores illi, & cor atque arteriæ eo validius laborare debent. Ergo febres hac ratione majores; & quia raro infans multum febricitat, quin convellatur, totus nervoſus, hinc convulſiones eo majores.

Sed, ſi infans idem humoribus plenus ſimul alvum duram habeat, erit conditio ejus eo & pejor; nam manet obrutus ſuis humoribus: tum & perſpiratio in illo inpeditur, adeoque infans quaſi ſuffocatur.

Alia res eſt, ſi infans habeat diarrhœam: nam humores per illam evacuantur, ita ut moles movendorum minuatur multum. Si copioſa ſaliva deglutita, ſi humores perſpirabiles introverſi alvo exeant, mitiora cætera fieri poſſunt ſymptomata. Unde HIPPOCRATES alio loco, *lib. de Dentit. n.* 8. explicans hunc Aphoriſmum ait: „ quibus in dentitione alvus amplius ſubducit, minus convelluntur, quam quibus parum."

Duo corollaria practica hinc deducere vellem:

1) Infantes in difficili dentitione ſæpe non minus indigere v. ſ., quam adultos in magnis doloribus inflammatoriis. In plenioris habitus infante moles movendorum infinite ſuperat movens momentum; ita, ut

infe-

inferius inde sæpenumero submergatur. suffocetur. Si diarrhœa enematibus excitari nequeat, vel excitata non juvet, religio est, v. s. negligere. Vix dicere possum, quoties hinc infantes servatos viderim, quamvis in prima praxi multos obloquentes haberem. Nam, ut ante Vobis dixi, non semper dens patitur perscissionem.

2) Errare tamen summopere Medicum, si ex hac doctrina HIPPOCRATIS, tum in *hoc aphor.* tum ex *libro de Dentit.*, concluderet, rem in vado esse, modo infans habeat diarrhœam. Minime gentium! Diarrhœa mutatur ipsis tandem in dysenteriam; eo, quod omnia in corpore acria fiant a febri ex convulsione; ita, ut infans, alvo diffluens, pereat; ut infinities in praxi contingit. Tamen vocatur modo diarrhœa, quia, quod ejulet diu noctuque infans, adscribitur dentium, sive gingivarum, dolori.

Ergo moderata cum diarrhœa infans, cæteris paribus, mitius habet, quam qui alvos duras habet; maxime si infans sit humoribus plenus; sed non, si evacuatio illa nimia sit; nam debilitate perit.

Aph. 3—16. „ Morbi autem in pluviosis plerumque fiunt, & febres longæ, & diarrhœæ, & putredines &c. " Toties hæc dicta sunt in exponendo aëre humido: introvertitur perspiratio; febris non curatur, nisi perspiratione restituta: ergo febres longæ in aëre diu humido. Diarrhœa ab introversa perspiratione non curatur, nisi ea restituta: ergo & difficilius curatu eo tempore. Putrida semper fit introversa materies, tot actiones corporis jam passa: ergo disponuntur humores ad putredinem.

Aph. 5—12. „ Quibus tabe laborantibus, capilli de capite defluunt, hi, *alvi fluxu*, [diarrhœa] superveniente, moriuntur. "

Aph.

Aph. 5—14. „ A tabe detento diarrhœa ſuperveniens, lethale. "

Aph. 7—16. „ A puris ſputo tabes & fluxus (ῥύσις) ; poſtquam vero ſputum retinetur, moriuntur. "

Aph. 7—78. „ A ſanguinis vomitu tabes & puris purgatio ſurſum : a tabe ῥεῦμα ἐκ τῆς κεφαλῆς, fluxus ex capite : a fluxu alvi profluvium, ſive diarrhœa : a diarrhœa inhibitio purgationis ſurſum : ab inhibitione mors : a ſanguinis ſputo puris ſputum, & fluxus (ῥύσις) : poſtquam autem ſputum inhibetur, moriuntur. "

In omnibus his aphoriſmis alvi fluxus deſignat ſummam omnium humorum corruptelam. Homines phthiſici vel habent pulmonem pure plenum, thoracemve; vel habent ſanguinem purulentum, qui ſe continuo per pulmonem liberet a ſua materie purulenta : ſic enim oportet ſtatuere ex data olim de pure doctrina. Aperui phthiſicos pulmonales, qui thoracem pure plenum habuerunt ; alios, qui vel ambos pulmones, vel alterutrum, vel ſaltem plures in eo vomicas. Aperui & quosdam Vobis coram, phthiſi pulmonali mortuos, quorum in pulmonibus pus non invenimus.

Igitur dico, phthiſici habent pus vel in pulmone, aut alicubi in thorace, quod ſe per pulmonem evacuet ; vel habent ſanguinem purulenta materie onuſtum, quam ſanguis per pulmones excernit. Quacunque ergo ratione phthiſici ſint, vitam trahunt plerumque, quamdiu illa materies ſputis excernitur. Sed, ſi vel pulmone contentum pus corrumpatur, & incipiat a ſanguine abſorberi ; vel purulenta ſanguinis ipſius diatheſis adtenuari & putrefieri, tunc perit omnis vis balſamica, plaſtica ſanguinis, fit ille acer, & quamvis a longo retro tempore pinguedo corporis ſen-

ſim abiverat, tamen nonnulla reſidua fuerat, v. g. in tunica celluloſa capitis, in qua folliculi oleoſi, quibus inplantatæ capillorum radices.

At vero, ſanguine jam ſolutiori facto incipiunt tum defluere crines. In laudatis *Aphoriſmis* HIPPOCR. aliquando expreſſe dicit capillifluvium; aliquando tan tum dicit ῥύσις, ῥεῦμα, a ῥέω *fluo*; ſed ex ordine ſymptomatum recenſendorum deſignare videtur ſemper capillifluvium. Ita *aph.* 5—12. „Ὁκόσοισιν ἂν φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν: ergo ῥύσις & ῥεῦμα idem ſignificant.

Subſequitur tunc diarrhœa: onuſtus enim ſanguis acri adtenuataque tali materie exonerat ſe ab illa per arteriam meſentericam in inteſtina. — Ergo ſputa ſubſiſtunt: nam, ſive ſanguis ſolebat ſe per ſputa pulmonis exonerare, ſive pulmonis pus adtenuatum ſanguine abſumitur; ſanguis pure onuſtus, eoque adtenuatiſſimo, ultra non per pulmones, ſed per inteſtina evacuat hanc materiem; unde nil ultra per pulmones.

Cur vero, ſi pus copioſum in pulmone ſubpurato contentum a morte inventum, ſaltem ſputis non exſcreatum fuit? Cur, etſi tanta copia adſit, tamen ſputa ſubpreſſa fuere omnino?

Reſp. dum ſanguis ſemel id adtenuatum pus ad inteſtina derivat, paucæ, quæ ſupererant, vires mox concidunt; debilitas oritur ſumma, ita, ut nullæ vires amplius thoraci maneant, quibus tuſſim promovere poſſet.

Cur tunc demum mors?

Quia a tali diarrhœa purulenta, ut dixi, omnes vires pereunt. Sanguis paucus in corpore manet, ut ad cerebrum adpellere vix poſſet; vel, ſi adhuc adpellere poſſit, caret materie pro ſpiritibus generandis.

Adde,

Adde, quod plerumque a tali colliquante diarrhœa intestina gangrænescant,

Verum nonnulla hic advertenda:

1) Capillifluvium frequentius in Asia debuisse esse, quam in Europa; vel saltem olim, quam nunc, frequentius. Tot enim phthisicos vidi morientes, & paucis contingere vidi defluxum capillorum, quotiescunque, ejus rei avidus, ægros interrogaverim: ergo non est generalis ubique regula.

2) Non omnino omnes diarrhœa perire phthisicos: erravi initio praxeos ea ratione quamdam incurrens infamiam, quum brevi instantem mortem negassem phthisici, quoniam nulla plane diarrhœa adhuc adesset; occubuit tamen citra diarrhœam: quumque posthac semel iterumque idem viderim, putavi meo experimento Vos prudentiores esse oportere, ne absolute ideo instare posse mortem negetis, quod diarrhœa necdum ulla adsit. (*) A multis enim causis possunt mori. Vel a frigore suscepto inpediatur modo sputorum evacuatio. Materies spissa, acris, absumta intra sanguinem potest cerebrum petere idque obstruere. Aliquando in finibus arteriæ mesentericæ potest esse nimia rigiditas, ut pus per illos in intestina venire non possit: ita, ut materies in sanguine maneat, adcumuletur, adtenuetur, & ineptus factus ad spiritus gignendos mortis causa fiat.

(*) Vidi in nosocomiis, alibique phthisicos omnino multos; non omnes autem diarrhœa perire adeo verum didici, ut nonnunquam ῥύσις, antea præsens, aliquo ante mortem intervallo subsisteret. Pariter, etsi res periculosissimæ plena aleæ sit phthisicorum diarrhœa, tenendum tamen, non inpossibile ex integro esse, ut tales restituantur; dummodo non diu valde morbus duraverit, vires omnes exhaustæ, vel intestina gangrænosa. *de W.*

3) Mirum videri posse, diarrhœam vocari hunc phthisicorum alvifluxum, quum materies ejus acerrima, venenata, sæpissime gangrænosa intestina faciens, dysenteriam potius quam diarrhœam facere dici deberet. Dysenteriæ enim materies est longe acrior ea quæ facit diarrhœam. Diarrhœa non solet vocari, cujus materies talis, ut gangrænam creet.

Est denique 4) advertendum, capilliflavium non phthisicis modo, verum & aliis in morbis contingere, nec malo signo: in locis, ubi homines plurimi proprios crines gerunt, id in acutis observatur: ita ut reconvalescentes debeant comam factitiam gestare, donec pili recreverint. Est forte ab eadem causa, unde phthisicis, a consumto omni pingui corporis, etiam ad capillorum bulbos, illa absumta pinguedine, pili cadunt. Hic non est signum malum, quando alia signa bona adsunt; in phthisi est malum, quia sanguis acer, nec materiem spiritibus necessariam habet.

Tamen ubique sapiens HIPPOCR. practicorum hic meretur suffragium. Sumsit ille differentiam minus a materiæ natura, quam ab adficiundi modo. Diarrhœam intellexit esse, quæ vel nullos, vel non magnos comites dolores haberet; dysenteriam, quæ magnos & multos. Hinc alvifluxum phthisicorum modo vocavit diarrhœam, quia licet acerrima materies, vita tamen parva horum hominum, ingensque nervorum atonia in causa est, ut a materia tam venenata vix ultra adficiantur, quam sanissimi hominis intestina a blando, aut vix acri humore. Tamen aliquando unum alterumque vidi, qui præ doloribus ejularet: ibi vera dysenteria dicenda erat: sed sunt rara exempla, & a communi & quotidiana observatione debuit HIPPOCR. exempla desumere, & definitiones condere.

Aph,

Aph. 6—16. „ A pleuritide aut a peripneumonia detento, diarrhœa ſuperveniens malum. “

Detento, id eſt, *vigente morbo*; eſt enim tunc ſymptomatica, debilitans naturam, ne coctioni ſufficiat. Crudus ergo manet morbus & pro reſolutione ſæpe in pus vel gangrænam abit. Immo obſervatur eo in caſu tanta aliquando debilitas, ut homo vix tuſſiendi vires habeat, atque ita materie pulmone contenta veluti ſuffocetur.

Hinc ſi rogemur, cur excipiat hic HIPPOCR. hos binos morbos, quandoquidem in omni morbo crudo inflammatorio ſymptomatica dejectio alvina mala ſit; reſpondemus, quod præter communia omnibus morbis mala diarrhœa talis id peculiare habeat, ut vires demat pectori expurgando: id quod tamen quo crebrius, commodiusque, eo rectius. Licet enim poſthac maturo morbo diarrhœa poſſit prodeſſe, tamen ſemper etiam ex pulmonibus quædam fiat per tuſſim expurgatio neceſſe eſt.

Maturo coctoque ergo morbo ex ipſius HIPPOCR. doctrina & exemplis conſtat, ſalutarem diarrhœam eſſe poſſe, differuntque in eo nationes & regiones. Rarius apud Batavos vidi criſes in his pectorum inflammationibus per alvum, quam in noſocomio hic Viennæ.

Aph. 6—15. „ A diuturna diarrhœa detento ſponte ſuperveniens vomitus alvi profluvium ſolvit. “ Explicui in vomitu.

Aph. 6—17. „ Ophthalmia laborantem a diarrhœa corripi bonum. “ Fit enim ſic revulſio. Obſervatio enim docet, in ophthalmiis omnia quæ derivent a capite, bona eſſe; epiſpaſtica, pediluvia, diureſin, diarrhœam præprimis: tum, quod hinc impetus humorum a capite avertatur, tum, quod ſerum acre multum inde eliminetur: quod ipſum frequentiſſima

caufa ophthalmiæ, odontalgiæ, otalgiæ, kephalalgiæ: vide CAR. PISON. *de coll. ferofa.*

Aph. 6—32. „ Balbi diarrhœa diuturna maxime corripiuntur. " Non dicit omnes, fed balbos effe, qui maxime diuturna diarrhœa corripiantur. Ratio videtur manifefta, quum multis eorum falivæ fecretio & excretio in ore fit tanta, ut inter loquendum ex ore diffluat. Hinc coguntur adfiduo, illam deglutire. Porro, toties jam vifum, diarrhœas oriri a nimia falivæ excretione. Forte in hifce etiam, ut falivæ, ita & fucci pancreatici & enterici eft multa fecretio. (Vix id adfumi poffe videtur; quin potius pluribus inftantiis conmonftratur, fecretionem, in univerfum loquendo, eo effe in uno loco parciorem, quo in altero fuerit auctior.)

An vero balbuties fit vitium in linguæ mufculis, an nimia falivæ copiâ homo inpediatur bene uti lingua? Refp.

1) Balbos & blæfos videri plures effe mera imitatione aliorum; unde vitium originale in his ex neutra hac claffe petendum, fed ex prava confuetudine natum. Unde in familia numerofa fæpe vitium commune; eo, quod invicem omnes infantes converfari parentes permiferint.

2) Balbos effe & blæfos ex vitio linguæ etiam, adparet ex inpoffibilitate abfoluta hominum illorum, qui quovis auro redimere vellent debitum linguæ ufum. Lingua balbutienti minus conprimit exitus ductuum *Bartholinianorum* & *Rivinianorum*; unde falivæ liberior adfluxus fit, augens linguæ balbutiem.

3) Balbos & blæfos quoque videri effe a nimia copia falivæ in os adfluentis: id enim experimur omnes in nobis; dummodo in os nobis faliva copiofius effluit, producit balbutiei fpeciem; ita, ut fi recte veli-

velimus enunciare, cogamur aliquoties deglutire. Quibus igitur balbuties a copiosiori saliva, his videtur diarrhœa longa consueta, de qua *Aph.* agit.

Aph. 7—29. „ Si a leukophlegmatia detento vehemens diarrhœa superveniat, morbum solvit. "

Aph. 6—14. „ Ab hydrope detento si aqua secundum venas in alvum fluxerit, solutio fit. " Habemus hic duas hydropis species alvo curatas, leukophlegmatiam & asciten. Rationem exposui initio hujus §phi Novit naturam in hisce imitari Medicus, hydragogis datis; modo prius bene noscat, viscera corrupta nondum esse; alioqui eductis forte aquis eo citior mors.

Aph. 8—5. „ Ex morbo diuturno alvi defluxus, malum. " Tunc scilicet, quando naturæ effœtæ vires omnino demittunt retinenda: alioqui non malum est, ut ex historia hydropis patet.

Aph. 7—30. „ Quibus spumosæ egestiones in diarrhœis, his de capite pituita defluit. " Utut velimus hæc exponere sano sensu, ingenue præstabit fateri, hæc & similia V. V. dicta deberi ipsorum opinioni de catarrhis; quæ, ob ignoratam circulationem sanguinis condonanda illis; immo quæ, eo tempore ingeniose excogitata, tamen circulationis legibus eversa fuit.

§. 815. *Dysenteria est diarrhœa cum dolore notabili; cujus materies eadem, quæ diarrhœæ, sed acrior, & præterea ergo bilis, seri &c.*

Expositione diarrhœæ præmissa, magni laboris non erit, exponere dysenteriam. Est enim fere morbus idem; sed, tum gravioribus de causis ortus, tum effectibus stipatus perniciosioribus. (Verissimum equidem est, dysenteriam ex diarrhœæ historia multum inlustrari; interim tamen eam, ejusque species omnes,

& formas, & medendi rationes diverſiſſimas nonnunquam, jam ſalutares, jam, ſi alio in caſu adhiberentur, deleterias; hinc magnum morbi, nomine ejusdem, indole intercedens diſcrimen deſignantes; hæc, inquam, omnia adtenta mente ruminanti obſcurum, crediderim, eſſe non poſſe, ex cognita licet, ſi tamen & cognita undique ea ſit, diarrhœa, non planiſſima ideo jam omnia in ipſius dyſenteriæ expoſitione haberi. Copioſa ad hoc caput jungere potuiſſem, in *Hæniano* textu, hic ſane breviſſimo, neutiquam conprehenſa, dummodo limites non reſpicere debuiſſem operis, ejusque ſcopum. Spem interea certiſſimam alo, nullum fore Medicorum, qui, præter *Zimmermannianum de dyſenteria* germanico idiomate editum tractatum, non legerit pulcerrima illa, quæ cathedræ medico-practicæ Vindobonenſis decus & ornamentum, Vir vere *Hippocraticus*, *Inl.* STOLL, circa morbum hunc denuo diſſeruit in *T. III. Rationis medendi.* Ob morbi frequentiam & malignitatem illorumque dignitatem, in linguam germanicam verſa, & animadverſionibus MAGNI AUCTORIS ornata mox prœlo dabo.)

Diarrhœam definivimus, eſſe frequentem & copioſam per alvum egeſtionem excrementorum liquidorum, humorumque in inteſtina delatorum, cum dolore vel nullo, vel non magno. *Dyſenteria* vero, dicta a δυς & ἔντερον, quaſi quis diceret *difficultatem inteſtini*, cum dolore notabili fit. (*)

Hæc

(*) HIPPOCRATES quidem pluribus in locis intelligit dyſenteriam pro alvo torminoſa, cruenta, ulceroſa: tamen etiam hinc inde dyſenteriam intelligit ſine ſanguine. Sed quid illi *dyſenteria* *ſine*

Hæc definitio, contraria illi, quam multi Practici dederunt, ac si dysenteria esset fluxus alvi cum permisto sanguine, diarrhœa autem fluxus alvi sine sangui-

 ne.

---

sine dolore. Epid. 2. *p.* 1056. „ Ileus morbus, modicus solvitur frigido vino multo & meraco, quantum secundum rationem expedit, dato; donec somnus, aut crurum dolor, obortus fuerit. Solvit quoque illum febris & dysenteria sine dolore. " Ileus morbus, ut antea dictum, HIPPOCR. est colica, quæ, si non solvatur, in ileum nobis dictum transit. Colica ergo incipiens frigido solvitur vino, quod intestina stimulentur ad excretionem. Somnus vino inductus solvit spasmos, hinc alvus liberatur in colica spasmodica. Crurum dolor, colicam solvens, forte metastasin materiæ colicam facientis denotat : vel solvitur diarrhœa, sive dysenteria sine dolore. Certe credo, HIPPOCR. non veram dysenteriam intellexisse. Ecquidem in *A. N. C. ann.* 2. *n.* 43. WEDELIUS putat, de vera dysenteria illum hic loqui, quum dysenteriam sine dolore epidemicam viderit, a qua peribant omnes. Causam putat, 1) malignitatem materiæ ; 2) gangrænosam intestinorum constitutionem, citam adeo & virulentam, ut sphacelum illico inducat ; 3) aliquando etiam mentis absentiam. Verum HIPPOCRATIS dysenteria ἄκοπος non est ea WEDELII, quum *Hippocratica* benigna & critica esset. Ergo intellexit diarrhœam, ubi ait dysenteriam sine dolore. V. V. (vid. GORRÆUM) dysenteria erat omnis materies, & sanguis, & pus, & ichor, & pitui-

ne. Sed, quid opus, artis confundere præcepta? idque citra ullam omnino neceſſitatem, immo cum diſcentium detrimento.

Eſt præterea, ut *textus* ait, in dyſenteria acrior materies; adeo, ut mucum inteſtinalem auferat, inteſtina inflammet, eadem in ſubpurationem vertat; vel etiam, illa corrodendo, producat materiem ichoroſam, una cum fibris atque membranulis ipſisque glandulis ſæpe caruncularum formâ prodeuntibus. Ergo cauſa ejus quidem ſimilis illi, quæ diarrhœam fecit, ſed ita illa violentior, ut inteſtina adficiat inflammatione, abſceſſu, ulcere, gangræna, ſphacelo. Præterquam quod viſcera dentur, quæ ſeſe ſua putrida colluvie exonerant in inteſtina, totaque fere exeſa huc prodeant & vitam ter-

---

pituita, quæ cum dolore evacuaretur magno: id ſemper ab exulceratione deducebant inteſtinorum, in tenesmo a recto: ſed HIPP. ut vidimus, vocavit etiam dyſenteriam ſine dolore, & *libr. de artic.* CHART. *T. XII. p.* 452. loquitur de ſanguinis per inteſtina excretione ex plethora, & vocat dyſenteriam: GALENUS in *Comm. IV.* ad *hunc libr.* ait, bene diſtinguendam hanc ab ea, quæ fit ab exulceratione. Jam vero ſenſu BOERHAAVII alvus ſanguinea ſine dolore eſſet diarrhœa, quum dyſenteria dolorem notabilem ſubponat. *V. Inl.* PRÆSID. *T. II. p.* 374.

In dyſenteria ſolvuntur *ramenta* dicta HIPPOCRATI, ſunt villi inteſtini, decidentes ad fundum matulæ, v. *Aph.* 7—67. 2) Ipſa tunica exulceratione perit; unde ait GALENUS, lienteriam oriri. TULPIUS ſic ſecedentem vidit, *v. l.* 2. *c.* 17. integram recti tunicam. *de H.*

terminent. Alia vice monui, atram bilem cum foluto hepate vafisque aliis abdominalibus & vifceribus alvo prodire. Præterea fcirrhus, cancer, ulcus malignum, dyfenterias putridas perpetuas facit.

Cura ergo, fi curabilis, eadem, quæ diarrhœæ, cum adcurata adhibita diftinctione caufarum. Præterea, fi caufa talis, ut creet inflammationes, quas dolor magnus febrisque indicant, v. f. requiritur, iteranda, quoties vis mali pofcit. Decocta emollientia, mucilaginofa, antiphlogiftica, multumque oleofa: enemata talia, ter, quater, quinquies, fexies de die exhibenda. Epithemata, cataplafmata, ejusdem generis, ventri toti obvolvenda. Remedia illa hic non eft neceffe repetere, quum habueritis omnia præfcripta in cura diarrhœæ & choleræ. Prudenti paregoricorum ufu vis moderanda dolorum, refrænandusque inpetus fanguinis. In *cap.* 1. *part. alt. Rat. medendi* paucis differui fuper cura dyfenteriæ, & confirmatam rem confpexiftis in nofocomio.

Si fero vocemur, vel malum remediis majus in apoftema vergat, quod figna generalia apoftematis nafcentis ac nati docent; emolliendum illud eft, & corpore oleofis inpleto, ruptura acceleranda; agitatione corporis in lectica, vehiculo leni portatili, carpento, curru; ea fpe, ut introrfum rumpatur. Sed, ut in abfceffu pulmonis poteft quandoque ulcus extrorfum rumpi & cadere materies contenta in cavum thoracis; ita & hic poteft extrorfum rumpi, & in cavitatem abdominis pus cadens acre fieri gangrænamque inducere inteftinis, peritonæo &c. Eft tamen hic non metuendum a fubita ruptura introrfum; in ruptura autem fubita interna pulmonis abfceffus, tantum fubinde fpatii interni aërei pus occupat, ut homo fuffocetur.

Notan-

Notandum hic, inflammationem inteftini poffe ileum facere, poffe dyfenteriam; ita ulcus non apertum inteftini inter utriusque caufas recenfetur. Si inteftinum inflammetur, aliquando conftrictio; & tumor fimul tantus, ut occludatur via & ileus fiat: verumtamen inflammatio quoque acris eryfipelatofa inteftini poteft inflammationem facere, in qua undecunque humores adfluunt ad acre diluendum.

Si ulcus apertum, pus eliminandum ex inteftinis: unde detergentia atque balfamica mitiora multa hic adhibenda: pilulæ v. c. ex

Balf. peruv. ʒj.
maftich.
olib. aa q. f.
ftyrac. calam. ʒß f. pil. gr. iv.

Quarum duæ fumantur quovis bihorio, fuperbibendo vafculum decocti fequentis:

℞. Fol. virg aur.
veronic.
alchemil.
bellid. pratenf.
folidag. faracen. aa Mj.

Ebull. c. aq. per ½ hor., tum adde
hyffop. rec., fi tempus anni ferat, Mij.
glycyrrhiz. recentiff. ℥j.

Infund. per horam vafe claufo: colat. pint. ij. d. uf. — Interim diæta tota lactea fit, & bibat æger lac cum melle, quantum poffit. Nil eft tali diæta præftantius.

Ulcus inteftinorum potus aquarum fpadanarum cum lacte abftergere forte etiam poteft.

Si gangræna jam adfit, conclamata res eft, oleofis & paregoricis pallianda.

Si atra bilis in caufa eft, profecto bono opus Palinuro eft, qui talis navis præfit gubernaculo: fi enim non fatis prodeat, homo præ anxietate perit; fi nimia, debilitate moritur: ergo in moderamine fummo aliquando adhuc falus.

Si fcirrhus & cancer; oleofa, mucilaginofa, paregorica, palliativa remedia tantum profunt.

Ex diarrhœa & dyfenteria fic medice confideratis, videtis, quantus hominum numerus quotannis manu Medicorum pereat. Nam plerisque methodus una, curam adgrediundi. Emeticum, vel purgans primo dant, deinde exhauriunt pharmacopœam electuariis opiatis & claffe tota adftringentium; fi pergat dyfenteria, denuo purgant; feu potius, irritando novam creant; donec, vel homo robuftus & morbum vincat & perverfum Medicum; vel fato fuccumbat. Felix, qui rerum poteft cognofcere caufas! Plerumque hoftis inclufus infert mortem.

In dyfenteriis pravum, ait HOLLERIUS, in *Schol. ad cap. de dyfenter.*, fi cibi fuperveniat faftidium; quia malum jam conmunicatum cum ventriculo ab inteftinis; fectione cadaverum demonftravit veritatem obfervationis. Unus horum moriebatur 9. die; ipfe œfophagus jam fphacelabatur: alter interiit 20. die; ulcus prope pylorum exulceraverat omnes ventriculi tunicas.

Tandem locus, ubi caufa dyfenteriæ hæret, examinandus. Is varius; poteft enim in craffis effe, poteft in tenuibus: uti fiquidem colicus dolor falfo creditur femper in colo effe, quia caufæ ejus in ileo æque poffunt obtinere; ita & hic. Revera multi in medio colo videntur doloris acerbitatem deprehendere & mox materiæ decurfum per colon ad rectum, verum alii remotiori in loco. In mea dyfenteria Dec. (1756) ad-

adverti manifesto, sedem maximi doloris esse circiter pedis distantia a valvula in ileo: immo flatus copiosissimi ibi loci dolorem magnum excitabant & pergere advertebam ad cœcum & sic per totum colon transire.

Aphorismos HIPPOCRATIS *de dysenteria* nunc examinemus.

Aph. 3—11. De temporibus, „ siquidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluviosum & australe, æstate necesse est, febres acutas fieri, & ophthalmias, & dysenterias; maxime autem mulieribus & viris natura humidis.“ Dictum *ad* §. 747. fuit, quæ fiant hyeme sicca, aquilonia: quæ etiam tum quiescentibus tum validius motis corporibus accidant. Porro mulieres & viri natura humidi, eo tempore sunt illi, qui maxime quiescunt, in torporem & otium maxime proclives. — *Ad* §. 748. demonstratum, quod si corporibus ita constitutis contingat ver admodum pluviosum australe, ergo humidum, calidum, idque per totum fere decursum duret; tunc fibras laxari, debilitari, perspirationem prohiberi, citamque nasci putrefactionem. Ergo mulieres & viri natura humidi, qui jam hyeme acrimoniam magnam adquisiverant, eam tum adquirunt multo vehementiorem, & perspirabile, per hyemem defectu motus acre factum & restitans in corpore, vere hoc adhuc ita manet: ergo augetur dispositio ad putredinem. — *Ad* §. 746. contemplati sumus effectus aëris calidi, sicci, æstivi, qui omnia exsiccando tandem disponit ad putredinem.

Adplicemus tria hæc de aëre observata nostris nunc descriptis mulieribus & viris natura humidis: certe hi, ad putredinem jam ante magis dispositi, nunc tali æstate, aquosiori sanguinis parte adhuc difflata, acrioribus unice replebuntur & putredine diffluent. Ergo, præ-

ter

ter alios putridos morbos dysenteria putridissima erit apud illos celerrima, periculosa.

Aph. 3—12. „ Si vero hyems australis & pluviosa & tranquilla sit, ver autem siccum & aquilonium; mulieres quidem, quibus partus in ver [incidit], ex omni occasione abortiunt: quæ vero pepererint, infirmos & morbosos pariunt pueros; ita, ut vel statim illi pereant; vel tenues & morbosi vivant. Cæteris vero mortalibus dysenteriæ & ophthalmiæ siccæ fiunt; senioribus vero catarrhi, brevi perimentes.“ *Ad* §. 748. constitit, aëra humidum, tepidum omnia laxare & debilitare: ergo gravidæ mulieres in laxitatem pronæ, ita nunc possunt laxari, ut fiant debilissimæ; nam perspirationis materie tali aëre inhibita onerantur, & omnia solida laxantur.

Si jam fiat ver siccum & frigidum, non emendantur illa corpora, immo pejus habent: nam status corporis non permittit motum multum; adeoque in aëre frigido, sicco, corpore non moto, perspiratio inhibita fit acris magis doloresque & scorbutum creat: *v.* §. 747.

Quid nunc naturale magis, quam ut, si eo vere partus instet, a minimo terrore aut lapsu abortum patiantur? Debilissimæ namque sunt & acri humore plenæ? Quid mirum, etsi adhuc aliæ pepererint, infantes vel brevi mori, vel languide vivere? Passim etiam videmus, ex debili matre debiles gigni infantes; ab humoribus acrioribus matrum & infantum humores infici.

Quibus circa mulieres consideratis, videndum, quid cæteris hominibus in tali anni constitutione contingat. Ab inhibita in hyeme perspiratione & acri facta hi quoque laborabunt, dum acres movebunt humores; erant primo corrigendi & præparandi: jam vero eos non correctos, non præparatos, movent; ergo

acrio-

acriores reddunt, & difflant adhuc ſubtiliora: quin in motu quieſcentes, aëre ſicco, frigido, repreſſam habent transſpirationem.

2) Retenta materies gradum acredinis adquiſivit; unde, quia & copioſa & acris eſt, morbos creare poteſt, ſi moveatur.

Quia nunc in putredinem vergit diu ſubpreſſa perſpirabilis materia, & tam facili negotio verno tempore frigido mota retroprimitur, dyſenterias inde oriri, obſervationes docuerunt. Unde & ophthalmiæ fiunt ſiccæ: nam aër talis ſtringit poros cutis & ora exhalantium vaſorum. Si jam homo ſe movendo agat materiem ſemiputridam, tamdiu in corpore retentam, verſus cutim, facile ſicca ſit tunc ophthalmia.

Senes vero, qui hyeme laxiſſimi & pituitoſiſſimi facti erant, hac vernali ſiccitate frigida magis adficiuntur. Nam motum exercere non poſſunt: ergo acris facta materies perſpirabilis, miſta cum humoribus glutinoſis & a quiete in aëre frigido adhuc acrior reddita, cauſa eſt, cur incipiant catarrho pulmonum laborare, brevi lethali. Glutinoſi namque humores in pulmone, juncta acrimonia magna, faciunt brevi peripneumoniam ſenilem, lethalem; quia aër ſiccus frigidus ſimul vaſa conſtringit.

Aph. 3—16. „ Morbi autem in pluvioſis quidem plerumque fiunt, & febres longæ, & diarrhœæ, & putredines, & epileptici, & apoplectici, & anginæ: in ſiccitatibus vero tabidi, ophthalmiæ, arthritides, ſtranguriæ, dyſenteriæ.“ Duas cauſas morborum ſtatuit HIPPOCRATES, ex variis conditionibus tempeſtatis. — Prima claſſis eſt morborum, qui oriuntur ex putredine humorum, nata ab introverſa, & acri facta perſpiratione. Tales Vobis deſcripti ſunt §. 748. — Altera claſſis morborum eſt, qui oriuntur ex putredine

humo-

humorum nata ex ſanguine exaſſato, omni aquoſo perſpirabili depauperato; hinc concreto & poſtea ſenſim exaltatis oleis ſalibusque, adtenuato, & ad putredinem diſpoſito. Tales Vobis deſcripti *ad §.* 746. In prima claſſe diarrhœæ fiunt, ex leviori gradu acrimoniæ alkaleſcentis: in ſecunda claſſe dyſenteria fit, a majori gradu alkaleſcentis acrimoniæ.

Aph. 3—22. „ Autumno autem.“ Mirus in ſua praxi fuit HIPPOCRATES. Examinavit 1) morbos dependentes a vario aëre: humido, frigido; humido, calido; ſicco, frigido; ſicco, calido. 2) Morbos natos a varia ſucceſſione aëris diverſi ſicci ad humidum, humidi ad ſiccum, calidi ad frigidum, frigidi ad calidum &c. 3) Tranſit ad morbos, qui ſolemnes ſunt certis anni temporibus. 4) Ad morbos, quibus una ætas hominum, ſexusve, præ alia ætate, aut ſexu, obnoxia hæreat.

Bina priora examinata vidimus jam. Sequitur tertia claſſis morborum in hoc nunc ultimo laudato aphoriſmo, qui certis obtinent anni temporibus; non conſiderata qualitate aëris per ſe, ſed quatenus certis anni temporibus ſolent eſſe.

In hoc anno conſiderat morbos autumnales ortos a ſanguine exaſſato quaſi per calores æſtivos. Aſt non omnes hi morbi tunc oriuntur; ſed, prout autumnus fuerit vel humidus, vel ſiccus, vel calidus, vel frigidus, effectus erit varius ejus in ſanguinem illum æſtivum, craſſum. Si humidus & calidus, neque tunc homo perſpirare poterit; craſſus ſanguis incipiet humiditate calida ſolvi, ut ex chemicis patet, & fieri tunc poterunt dyſenteriæ putridæ.

Aph. 3—30. „ Ultra juvenilem ætatem &c.“ Quatuor morbis inteſtinalibus obnoxii dicuntur ætatis ἀκμὴν adepti: diarrhœæ diuturnæ, choleræ, dyſenteriæ,

riæ, lienteriæ; ſi nempe excretiones naturales, quibus illa ætas maxime abundat, ſuo loco inpediantur: retroverſa materies vel caput, aut pectus adficiet, ut initio hujus aphoriſmi dicitur, vel ventrem: quum etiam homines hi in media ſua actuoſa vita maxime obnoxii ſunt maximis aëris mutationibus & injuriis, hinc a nulla re plus patiuntur, quam ab introverſa perſpiratione; ex qua toties jam vidimus, oriri dyſenterias, &c. Hi juvenilem ætatem transgreſſi, non creſcunt amplius; ergo plethoram adquirunt, quia pergunt bona viſcera ſanguinem conficere, ut quando adhuc creſcebant: hinc etiam patiuntur morbos plethoræ. Sed 2) hi maxime ſunt, qui omnia munia gerunt, reipubl. belli &c.: ergo, antequam adſueti ſint omnibus aëris mutationibus & curis anxiis, morbis multis obnoxii hærent a perſpirabili introverſo, & a copia nimia humorum. 3) Tum ob belli munia, itinera, curas alias graves, minus erit ordinata diæta; alimenta ſæpe prave præparata, ſæpe fames, ſæpe abundantia. Ab his vero cauſis etiam patientur longas diarrhœas, ſi minus acris materies; dyſenterias, ſi acrior.

Aph. 4—24, „ Dyſenteria ſi ab atra bile inceperit, lethale." Si diarrhœa eſſet, notaret adhuc materiem non nimis acrem, adeoque ſpem daret, fore, ut evacuata atra bile partes integræ ſupereſſent: ſed ſi atra bilis mota mox facit dyſenteriam, notat acrimoniam ſuam, cui ſuſtinendæ pares non erunt tenellæ fibræ, papillæ, villi inteſtinorum: unde gangræna nata inteſtinorum homo peribit.

Aph. 4—26. „ Si a dyſenteria detento veluti carunculæ ſeceſſerint, lethale eſt." Primo dico, inflammationem inteſtinorum in tunica celluloſa obtinentem ſæpe poſſe adficere villoſam internam eamque purulenta diatheſi ſolvere & ſic integras membranas ſpiſ-

ſas,

ſas, Peyerianis glandulis refertas, quæ dorſo villoſæ adjacent, educere. — Dico 2), poſſe tamen homines ad vitam ſanitatemque redire, quibus hoc contigerit; teſte GALENO, qui tales curatos ſalutaverit, & ARETÆO CAPPADOCE, qui *lib.* 2. *de m. diut. c.* 9. *p.* 61., hunc membranarum ſeceſſum vere anatomice deſcribit & curatos declarat homines. — Dico 3), rem tamen periculo non carere, etſi multi inde non moriantur: nam aliis id lethale; alii ulcera chronica, morte pejora, inde conſervant. Sunt equidem alia bene multa, quæ periculo pleniſſima ſunt, e quibus tamen omnes non moriuntur, & poſt quæ aliqui in ſanitatem redeunt. Vidimus ſæpe homines in febribus acutis, difficile coquendis, habere ſigna multa lethalia, tamen ſaneſcere. Lethale eſt, poſt magnas hæmorrhagias convelli, tamen plures novi, quibus poſt talia ſanitas redierit. — Dico 4), HIPPOCRATEM hic reſpicere hominem, cui talia contigerint, adhuc acri & rodente dyſenteria manere adfectum; adeoque, ſi maneat illa dyſenteria, conſolidari tam magnum ulcus nequit, acrimonia indies magis magisque margines depaſcitur, & ſi hoc ita pergit, eſt θανάσιμον. (*)

L 2 *Aph.*

(*) Scripta *Hippocratica* aliorumque V. V., cum ipſa morborum natura exactiſſime conferenti adparebit omnino, verba: θανάσιμον, θανάτωδες, κακὸν, ὀλέτριον, rem quidem periculoſam & in anguſtis poſitam, non tamen *ſemper* ac *indiſcriminatim* omnium poſſibilium peſſimam, periculoſiſſimam & lethalem deſignare, etſi quidem θανάσιμον, generatim loquendo, *lethale* ſignificet. Id vero non omnes reſpexerunt. *de* W.

Aph. 5—65. „ Quibus tumores in ulceribus adparent, non valde convelluntur, neque insaniunt. His autem ἐξαίφνης *derepente* disparentibus, quibus in postica quidem parte [fuerint], convulsiones, tetani; quibus vero in antica, insania, aut lateris dolores acuti, aut subpuratio, aut dysenteria, si rubicundi fuerint tumores." Textus explicatu difficilis: confert intellectui hujus idem HIPPOCRATES *Epidem.* 2. *sect.* 3. His omnibus simul consideratis patet, esse doctrinam utilissimam, maximique in praxi momenti.

Vult quippe HIPPOCRATES, ulcera nonnulla consideremus tanquam cloacas, in quas sordes corpori noxiae futurae deponantur & evacuentur. Quamdiu ipse sanguis ab his sordibus mundari nequit, vita dependet a jugi depositione harum sordium in haec ulcera.

Si jam, vel arte praepostera, vel sponte, subito siccentur illa ulcera, sordities conmoratur in sanguine, corrumpet illum, disponet in putredinem; ita, ut si sanguis feratur ad cerebrum, poterit adficere prima stamina nervorum in sensorio communi & insanias facere; vel adficiens nervorum origines convulsiones efficere & tetanos; si ad pectus, saevissimas pleuritides; si per art. mesentericam ad intestina, crudeles dysenterias.

Sed addit: „ Si rubicundi fuerint tumores;" incertum, num haec verba pertineant ad dysenteriam tantum producendam, an ad omnes jam enarratos morbos producendos. *Rubicunda ulcera* videntur intelligi, vel quod ignis sacer, simileve quid, ibidem adsit certis quibusdam temporibus; vel quod materies effluens rubicunda, sive ichorosa sit; adeoque maligna admodum videretur esse. Potest ergo hoc de quocunque morbo intelligi producendo tunc, quando ichorosa materies nec ultra per ulcera non exeat.

Gene-

Generalis regula in morbis, ubi quis habet ulcus in corpore antiquum, vel fonticulum, vel setaceum: si in morbo siccescat plane, olim pulcre fluens, mali semper ominis est.

Quod autem ulcera sedem habentia in postica parte corporis, potius convulsiones & tetanos, in anticâ autem, potius pleuritides ac dysenterias faciant; id explicari non potest, sed totum ab observatione pendet, quam HIPPOCRATI haud defuisse, plus quam probabile; quum & observando totam ætatem triverit, atque id hic tam diserte adfirmet.

Aph. 6—43. & 48. Exposui in *Lienteria*.

Aph. 7—5. „ Ab insania dysenteria, aut hydrops, aut mentis emotio (ἔκστασις), bonum.“ Mentis illa emotio docet, mutationem jam esse factam in sensorio communi, & statum omnino alium ab eo, qui in insaniente fuerat: ergo, quia differentia jam in cerebro observatur, spem esse, fore, ut insania cesset. Hydrops in corpore serosæ colluviei & acrioris natus, docet, acrem serosam materiem, insaniem facientem, a cerebro derivatam nunc esse in alia corporis loca. Verum, quod ad rem nostram hic proprie pertinet, insanienti hic dicitur dysenteria; quippe, ob similem derivationem acriorum humorum a capite per venas cerebri in sinus, in venas jugulares, in cor, pulmones, cor sinistrum, aortam, arter. mesentericam; ita ut, si vera fateri velimus, arter. renalis & mesenterica videantur esse duæ magnæ cloacæ, per quas cerebrum & sanguis totus sese noxiis rebus expurgent. Oportet in insanientibus has naturæ vias nosse, ut aliquando imitemur.

Narravit mihi nobilis matrona Anglicana miram curam insaniæ amici cujusdam sui in Anglia ante xx. & plures abhinc annos. Amicus ille per inter-

valla mente captus, artis opem fruſtra diu expertus, fama BOERHAAVII permotus, ex Anglia Lugdunum Batavorum venit acceſſitque illum. Melancholicum hominem contemplatus adtente BOERHAAVE, ſuadet, maturorum eo tempore ceraſorum copiam comederet, quantam poſſet. Abiit Anglus ad ſuos, conqueriturque, ſe ludibrio habitum a BOERHAAVE, iratus ſummopere. Voluit tamen adhuc ſemel cum illo loqui; quum nunc ſerio rogaret BOERHAAVE, ut per 14 dies experiri vellet, tandem Anglus obaudivit, ac in tantum ventris dolorem demum incidit, ut objurgaret magnum virum ineptiſſime. BOERHAAVIUS natam inde dyſenteriam ita ſapienter moderari novit, ut Anglus millenas gratias ipſi agendas haberet. — Non mirabar hanc hiſtoriam, quum ſcirem eccleſiaſticum virum Leydæ ab eodem magno viro ita curatum eſſe. (*)

Aph.

(*) (Tutior hâc nonnunquam vix cura melancholicorum, epilepticorum, maniacorum ipſorum; quando ſcilicet ea morbi princeps eſt origo, quæ tali ſolventiſſima conmotione penetrari, fundi, expelli queat. Fit hic vix non idem, nonniſi ſecurius, quod V. V. perficiebant per *helleboriſmum;* qui fors inmerito nunc expulſus a longo jam tempore ex praxi medica; quum, ſi præſit vir cauſarum gnarus, effectuum providus, qualeque remedium in quali ægro tentet, nunquam non adtendens, exſpectare liceat & nunc felices nonnunquam, in deſperatis ſaltem aliunde, nec ulli alteri remedio cedentibus, adfectionibus, ab helleboriſmo effectus. Quid ſperare queamus ab univerſa corporis conmotione in morbis pertinaciſſi-

Aph. 7—75. „ Ab diarrhœa dyſenteria.“

Aph. 7—76. „ A dyſenteria lienteria ſupervenit.“ Facile intelligitis ex præcedentibus, a diarrhœa continua, quæ paucam quidem, aliquam tamen, habeat acrimoniam, abradi, temporis tractu, inteſtinorum mucum; & ſic fieri diarrhœam valde dolorificam, i. e. dysenteriam.

A diuturna autem dyſenteria ſanguis, tenuiori parte ſenſim orbus, ſpiſſeſcit; unde, ab hac ſpiſſitudine gluten naſci poteſt, cruſtæ in modum inteſtina tandem obducens. Vel a dyſenteria ſolida debilia & fluida vappida ſunt; hinc non ſtimulantur fibræ inteſtinales ab inerti humore gaſtrico, enterico. Si reſpiratio ſat valida ſit, oritur lienteria.

Aph. 7—23. „ A meraca ἀκρήτῳ dejectione dyſenteria, malum.“ *Meracum*, ἄκρητον, apud HIPPOCRATEM deſignat ſincerum, vix miſtum alienis; v.

L 4 g. ſi

---

ciſſimis, nuper adhuc didici exemplo viri, qui, adultus jam, ob animi mœrorem, diætamque, quod ob munus, cui præerat, aliter fieri nequibat, ſumme abnormem, factus epilepticus; eatenus quidem, ut felix foret, ſi malum, nunquam non vehementiſſimum, una ſolum vice per diem ingrueret. Duravit ſtatus hicce triſtiſſimus per plures annos; incaſſum interea adhibitis decantatis quibusvis antepilepticis. Prehenſus demum febri acuta, hujusque violentia deductus ad limina Plutonis: emerſit nihiloſecius, atque ab eo temporis puncto ab omni hactenus, per multos jam annos, inſultu epileptico liberrimus. Inſtantiæ analogæ plures in Medicorum proſtant monumentis. *de* W.)

g. si alvus ita biliosa esset, ut excrementorum indicia vix adforent, ut diceremus, totam fere bilem esse; meraca (biliosa) est dejectio. Ubi alvus alba, aquosa ita, ut diceretis, merum esse succum gastricum, entericum, pancreaticum, salivalem; meraca (aquosa) dicitur. Non, quod excrementa non adsint, sed quod vel copia tanta meraci humoris est, ut illa in eo vix adpareant, vel chylus tam cito miscetur cum humore tali & tam parum a debilibus intestinis conpingitur, ut fæces vix inde formentur atque ita tanquam non figuratus, non coloratus, cum abundanti meraco humore alvo reddatur.

Quamdiu cum tali meraca dejectione diarrhœa tantum est, acrimonia vix adest, saltem non multa: sed, si sensim acrimonia adcrescit, & intestina diuturnitate temporis abraduntur; dejectiones illæ meracæ dolores creant, indies violentiores; ut tandem dira fiat dysenteria.

Mala porro talis dysenteria, quia meracæ dejectiones magnam debilitatem corpori conciliaverant, evacuando vel meram bilem, vel succum pancreaticum &c. Si corpori igitur, fere exhausto, adhuc dysenteria accesserit, malum omnino; nam, quidquid boni succi adhuc superest in tali corpore, quasi emulgetur per intestina, continuo illo stimulo dysenterico (indiesque augescit acrimonia; tractusque intestinorum obliniente, defendente, naturali lorica mucosa spoliatur.)

Est denique advertendum, quod dysenteria quævis sæpe comitem habeat *tenesmum*, qui est *dolens & tamen irritus desidendi conatus;* æque fere ac *stranguria*, quæ describitur esse *dolens & irritus mejendi conatus*. Tenesmus notat in dysentericis, inflammationem jam pervenisse ad intestinum rectum, vel saltem acrem materiem jam abstulisse pingue, quo rectum inlinitur. —

In

In India orientali terribilis morbus, quo Indi & Batavi noſtri cacaturiunt perpetuo, nil deponentes, donec gangræna recti pereant. Teneſmus iſte habetur tunc pro cœcis hæmorrhoidibus. Alvus eſt pertinaciter clauſa in utrisque: in viris utplurimum adeſt tunc etiam ſtranguria, quia veſicæ collum inteſtino recto contiguum eſt: fotus, vapores, balnea poſſunt prodeſſe, ſi ab inflammatione recti, non a dyſenteria, oriatur teneſmus; ut & potus multus oleoſus: ſed a dyſenteria magna ſæpe periculoſiſſimus eſt. HIPPOCRATES *de morb. c.* 2. meminit dyſenteriæ a teneſmo ortæ, quâ ſolvitur teneſmus, ſed id omne multum differt a caſu, de quo nunc agitur, nempe de teneſmo orto a dyſenteria.

Dyſenteriam alius teneſmus præcedit, alius ſequitur: ſi præcedat, malum; quia ſpecies quædam inflammationis a recto inchoat, & ſenſim cum colo communicatur (*Hippocraticus*, illico adductus, etiam præceſſit —): ſi ſequatur; fit ab acri materie, ſolvente recti mucum & rodente nudum inteſtinum.

Si abraſus ille mucus pinguis, continuo irritatur rectum ab acri materie, quæ ſtillat, poſt ultimam alvum, ex ſuperiore recti verſus anum: paucæ guttæ inde ſtillantes, regenerant teneſmum.

Ab hæmorrhoidibus, diſtinguitur examine tumorum, condylomatum &c. hiſtoria ægri.

(*Teneſmus ab aſcaridibus* diſtinguitur & periodico reditu, circa veſperam potiſſimum, & reptatus ſenſu: *teneſmum a calculis* prodit conatus mingendi cum aliis lithiaſeos phænomenis. Teneſmi gravidarum, nonnunquam ſat moleſti, vix obſcura ratio. Incommodus inprimis teneſmus ante legitimum partus tempus ingruens, quum abortum facile producere queat; unde & ocyus tollendus. *Teneſmum ab inflammatione recti*, hujus peculiaria ſigna do-

 cent.

cent. *Tenesmum ab ulcere*, & longius antea praegressa symptomata & nunc prodiens materies saniosa, purulenta, denotant &c. Quum diversa adeo causa tenesmi, denuo patet, pessime facere, qui unico solum alterove remedio omnibus tollendis sese pares abunde credunt: quis v. c. in tenesmo gravidarum tentet muriam salis, qua ex consilio jam HIPPOCRATIS probe utimur in tenesmo ab ascaridibus? Quis solutionem aloës, qua denuo fugantur ascarides, adhiberet in tenesmo ab enteritide?)

Legendus, ad finem demum capitis hujus *de dysenteria*, *beatus* HAENIUS ait, SYDENHAMUS in cura dysenteriae. Diaeta analeptica & liquore cardiaco curabar.

§. 816. ILEUS *vocatur rejectio violenta per os eorum, quae cibi, potus &c.*

Ileus vel ab intestini nomine, vel ab εἰλεῖν *coarctare*, vel ab εἰλεῖν, *contorquere*, *convolvere.* Hic teterrimus ille morbus, polyonymos, frequens, maxime lethalis, cujus ut adcuratam ideam habeatis, omni adnitar ope.

Ilei symptomata, textu enarrata, habent multa communia cum symptomatibus nauseae & vomitus; ut est violenta rejectio per os eorum, quae cibi, potus, medicamenti titulo adsumta; aut chyli, bilis, succi enterici, gastrici, pancreatici, bilis atrae, muci, puris, ichoris; nam demonstravi Vobis, totum corpus exhauriri posse per vomitum, materiemque non evacuari (solum) tunc praesentem in intestinis, sed in longe dissitis haerentem regionibus. Verum additur in *textu*: in ileo adesse ipsarum faecum intestinalium & clysmatum per vomitum rejectionem. Horribile symptoma! Quod ut intelligatis, en quid sentiam.

In

In vomitu vidimus alternam diaphragmatis & abdominalium musculorum actionem jam combinari, synchronam fieri: vidimus hinc, ventriculum & a postica, & a superiori, & ab anteriori parte premi: vidimus ex observatis Peyerianis & Brunnerianis constare, quod peristalticus intestinorum motus, tum non naturaliter deorsum, sed præternaturaliter sursum feratur, isque ita contenta in intestinis versus ventriculum adigat.

Hanc peristaltici motus inversionem negavere quidam, interque illos HAGUENOTUS in *act Paris.* 1713. *p.* 470.

1) Negat veritatem experimentorum PEYERI, BRUNNERI, WEPFERI centenorumque aliorum, qui eodem modo hæc experimenta fecerint. Vera omnia esse, quæ magni illi tres viri scripserant, confirmaverunt testes autoptæ. Nec negat omnia tantum illa experimenta vera esse, sed experimentis propriis contraria evincere conatur.

2) Putavit, se rem intelligere exponereque hoc modo posse. Vis diaphragmatis & musc. abdominal. & motus naturalis fibrarum intestinorum determinant materiem intestinis contentam versus eum locum, ad quem resistentiam minimam invenerint: ita fit in statu naturali excretio per anum: sin vero obex in via hac nascatur, quiescit motus fibrarum intestinalium, sed pergit tamen actio diaphragmatis & musculorum abdominalium; unde tunc determinatur materies hac actione versus ventriculum.

3) Ut autem explicet, qua ratione excrementa, immo ipsa subpositoria, in hoc morbo sursum pergant, statuit in eo intestinum rectum semper inflammari irritarique per enemata & subpositoria; hinc convelli, propagari ileum versus inflammationem, & sic tandem rectum intestinum claudi: clausa hac via, adeoque resi-

stentia

ſtentia majori hic nata, vim diaphragmatis & muſculorum abdominalium tandem cogere contenta in inteſtinis, ut ad ventriculum pergant.

Verum gallico more nimis propere inconſideranter, petulanter, inpudenterque (*) agere viſus eſt hic auctor, negando fidiſſima & millies repetita experimenta, ut modo ſuum phantaſia conceptum ſyſtema firmaret.

2) Anatome toties detexit, cauſam ilei in tenuibus; via ad inferiori liberrima, aperta, non inflammata.

3) Frequentiſſimus foret morbus, ſi talis cauſa vera eſſet.

Miror, *Cel.* HALLERUM hanc differt. inſeruiſſe *Tomo I. theſium medicar. p.* 483. licet fateatur, ſe ejus theoriam non amplecti. *D. de St.* ANDRE in *ſocietate anglicana* idem conatus eſt negare. Verum ſufficit, exerimentis innumeris convictos eſſe, ut ſyſtematum fabris

(*) Candide adſero, ſententiam *Haguenotianam* mihi haudquaquam probari, atque ut *Haenianam* præferrem, ſufficientia ſane argumenta habui, & in animantibus, & in tot iliacis, quos, ſi nullos alios vidiſſem, in noſocomio practico examinandi tum vivos, tum, malo nonnunquam omni arte ac remedio majori, defunctorum cadavera luſtrandi pulcerrimam occaſionem habui: interim tamen acrius juſto omnino invectus hic fuit *Cel.* HAENIUS in univerſam nationem gallicam: cui tamen egregia, tum in medica, tum in cheirurgica &c., doctrina deberi inventa, inficias ire non poſſumus; ut adeo, mitius ſaltem, vitia carpenti auctoris cujusdem ſpecialis, de gente ampliſſima pronuntiandum videatur. —)

fabris cum omnibus ſuis ſyſtematibus valedicamus. (Syſtemata plane rejicienda denuo ſane non erunt; utut nimium plerumque diducta fuerint, atque ea ratione adornata, ut non ex natura ſponte demum fluxiſſe cernas, verum naturam illis, ceu mancipium, ſubditam, pro cujusvis conditoris lubitu. Caſto ſenſu *ſyſtematis* voce nonniſi ordinem intelligas & harmoniam in diſciplina quadam tradendorum; tum inter ſeſe, tum cum ipſa natura rei, cujus ea exponit ac interpretatur phænomena. Quo purius hoc fit, quo integrius, quo minus coacte, aut detorte, eo melius. Exponens HAENIUS *Inſtitutiones* BOERHAAVII, an non expoſuit *ſyſtema*?—)

Ad oculum res demonſtrata eſt in vivis animalibus; ita, ut dubitandi locus ſuperſit nullus. In brutis etiam non modo, ſed & in vivo homine conſpexit *Joh. Jac.* WEPFERUS *de cicut. aquat. c.* 24., dum portio inteſtinalis, quæ ab annis nuda extra abdomen hæſerat, *ſurſum* aut *deorſum* movebatur; prout ipſe illam vel in ſuperiori, vel in inferiori parte leviuſcule pungeret.

Verum difficultas ſupereſt ingens in explicando hoc morbo; qua nempe ratione fæces âlvinæ ex craſſis inteſtinis ſuperent firmiſſimam clauſuram valvulæ Bauhinianæ: nam certe videtur fere inpoſſibile, ſi & ſtructuram ejus & experimenta in cadaveribus facta conſulamus.

Sed ſecundo, cur periſtalticus inverſus motus non incipit modo inverti a loco obſtructionis: v. c. ſi ſit obſtructio in ileo medio, cur non ab illo medio ileo incipit verſus ventriculum, & motus ordinarius non pergit a medio ileo verſus anum?

Ad ultimam hanc quæſtionem reſpondeo, cauſam aliam non adparere, quam quod totus tubus inteſtinalis videatur unus modo eſſe, a ſummo pyloro ad anum usque; adeoque fibræ inteſtinales, ſemel ſtimulatæ alicubi

cubi in motum contrarium, per totum tubum inteſtinalem hunc motum adfectant, propter ſui continuitatem. Verum, dicetis mihi, tunc in vomitu protracto tandem ſequeretur brevi vomitus excrementorum; nam & WEPFERUS vidit, in vomitu a duodeno jam fieri motum inverſum periſtalticum, ventriculum verſus. Ergo, ſi ideo fiat hoc, quia unus modo canalis, motus antiperiſtalticus obſervatus a duodeno in vomitu verſus ventriculum, brevi faciet per totum inteſtinorum tubum inverſum hunc motum: adeoque in vomitu omni protracto deberent tandem prodire excrementa, æque ac in ileo. — Revera ita fieret, ſi vomitus, & continuus & enormis duraret diu: nam etiam in ileo morbo non fit prima, ſecunda die, ſed tertia, quarta, quinta, quando mors brevi aderit.

Ad primam omnino quæſtionem de valvula Bauhiniana, oportet valvulam hanc bene conſiderare anatomice.

Poſt GALENUM dixerant eſſe talem valvulam, ſed poſthac iterum neglexerunt. BAUHINUS neglectam reſtituit; brevi autem alii iterum negaverunt. Denuo valvulam reſtituit TULPIUS: quod autem mirum, obſcurare eamdem nihilominus alii conantur: inter alios BIANCHI *Taurinenſis Profeſſor*, MANGETUS in *Theatro anatomico*. Sed patrocinium ſubpreſſæ valvulæ iterum ſtrenue in ſe ſuſcepit *Cel.* MORGAGNI, in *Adverſ. anat.* 3. *animadverſ.* 9—13.

Res autem ſic ſe habet. Eſt, quaſi ileon inteſtinum inſertum eſſet in colo, duabus lamellis intrans, quaſi duobus operculis; relinquentibus rimam ovalem, angulos habentem acutos: id nunc, quod in colo truditur verſus ileon, adprimit illa corpora duo, ſive opercula, ad ſe invicem.

MOR-

MORGAGNI docuit, l. c. marginem foraminis hujus musculo circumdatum esse: vocat hunc valvulæ habenas, quæ habenæ angulo utrique aperturæ inferuntur. Est enim, ac si ileon intra colon insereretur. Intus inspiciendo in colo adparet, quasi procurreret ileon intra intestinum colon. Intelligitur, quod viam faciat iis, quæ ex ileo in colon, viam præcludat illis, quæ ex colo in ileum transire conarentur. Hoc de solidis non modo, sed & de liquidis, de aqua, immo de aëre verum esse, omnia experimenta docent in cadaveribus.

Quæ, quum ita clare se habeant, mirum videri potest, quod & præcedenti sæculo, &, ut mox dixi, hodiedum adhuc, sint, qui talem valvulam negent dari. HEISTERUS, MORGAGNI, ALBINUS V. V. sententiam contra hos R. R. egregie tuiti sunt. Demonstraverunt rem, ut dubium supersit nullum: verum etiam novit *Cel.* ALBINUS, rem tam artificiose præparare, sine ulla læsione, aut ablatione partium, ut valvulæ nullæ adpareant; unde ratio patet, cur viri clari decepti fuerint.

In recenti cadavere ileon adparet lata semicirculari superficie adnatum colo: ubi exsiccatur, duæ membranæ cernuntur, non ab ileo solo ortæ, sed partim ab ileo, partim a colo. Membrana hinc crassior adparet, a coli & ilei membrana utraque.

Ergo adest valvula, haud quidem ita præcise, ut V. V. volebant, sed quia latera ambo utriusque intestini quasi adglutinantur. In recenti intestino possumus separare, & tandem adparet orbiculus crassior: ita BIANCHI fecit. Si adhuc magis separetis, & ipse annulus tandem disparet.

BIANCHI ergo effecit sic, ut valvulæ evanescerent; sed id fecit, rem permutando. Ait, tandem orbiculum adesse: verum, si sic pergamus, ut ille fecit,

cit, efficere poſſumus, ut & ipſe, quem ſolum admittit, orbiculus evaneſcat, & rotundum tantum foramen adpareat. Hinc alii plus, alii minus, alii nihil, huic loco tribuerunt; prout plus minus ſeparaverant.

Habenæ Morgagnianæ ſunt a contracto colo. Foramen in recentibus non eſt rotundum, aut ovale, ſed ut os clauſum. Si vero aëre illud os diducamus, vel ſi exſiccemus partem, tunc fit ovale. Intelligitur ita, cur nil incluſum poſſit redire: nam aqua immiſſa a parte coli os illud plus claudit: apertura debuit non magna eſſe, ut videtur, ne materies fæculenta ex fine inteſtini ilei cito in colon tranſeat, ſed lente.

Simul detegimus infinitos villos, quos RUYSCHIUS papillas dixerat. *V.* MORGAGNI *l. c.* TULP. *l.* 3. *c.* 21. HEISTER. *comp. anat. T.* 2. *c. explicationibus.*

Quodſi itaque hac ratione ſe habeat hæc valvula, quî fieri poteſt, ut vis antiperiſtaltica vincat tantam reſiſtentiam, ut & fæces, craſſis contentæ, ut enemata, ut peſſaria, vomitu rejiciantur?

Habet ſane res ſuas difficultates, & miræ circa hæc hiſtoriæ narrantur: ſic SENNERTUS refert ex MATTHÆO DE GRADIBUS ſingularem obſervationem, ubi non tantum clyſmata, ſed & ſubpoſitoria, filis licet fortibus quatuor extra corpus ligata, ore ejecta fuerint, una cum filorum abruptis fragmentis; puella illa duodecim annorum tamen curata fuit. Citatur etiam GUAINERIUS, *tract.* 5. *c.* 2. ſcribens, & ore ſubpoſitoria in ileo prodiiſſe.

Sed mirum 1), quod SENNERTUS, homo tantæ praxeos, nullum a ſe viſum exemplum narret; ea enim, quæ ad probandum profert, aliena ſunt, nulla ſua.

2) Mi-

2) Mirum, prudentes Practicos talia quoque non adnotasse in suis scriptis, nec testari saltem, talia se vidisse. Ego fateor, me ileos vidisse, eosque & teterrimos & lethales, sed tales nunquam:

3) Cum *Cl.* MORGAGNI adverto, illos duos testes, J. MATTH. DE GRADIBUS, & ANT. GUAINERIUM, rem retulisse, non vidisse.

4) etiam clausa valvula *Tulpiana* posse stercoracei quidquam vomitu reddi, probatur examine materiæ illius, quæ ad finem ilei ante colon hæret: ea enim fere semper quid stercoracei incipit habere, ut plus simplici vice vidi & olfeci in hernia incarcerata ilei prope colon elapsi extra abdomen:

5) tamen negari omnino non oportere, quod casus unquam exstiterit: docent *Comment.* ILL. BAR. *ad §.* 960. *Aph. B. T. III. p.* 167. „Clysmata injecta vomitu excussa fuerunt, uti certissime in ileo factum novimus; nam & probatissimi autores hoc observaverunt, & ipse manifeste *vidi.*"

Communicavit mecum casum mirum Archiater cujusdam in Germania Principis, qui filio suo, puero quinquenni, contigit: cui certe & fæces & enemata, evidenti experimento, ore exiverint. Dico: *evidenti experimento*; nam & electuariorum odor, & muriæ salis marini, clysmate injectæ, sapor, ore & naribus percepti manifeste fuere, & cum his omnibus fœtor stercoreus: *v. p.* 193.

Concludimus ergo, 1) casus plures narrari, qui ulteriori examine indigeant; 2) plerosque Practicos necdum vidisse; 3) plures deceptos fuisse odore stercoreo, qui in fine ilei adest; concludentes inde, ex crassis intestinis prodiisse, quæ stercora spirarent; 4) datos nihilominus fuisse casus, ubi revera res constitit sic se habere, ut enemata, exierint ore.

Ex omnibus his concludimus, vim antiperistalticam aliquando tantam esse, ut urgeat excrementa ex crassis intestinis in tenuia; ita dilatando forti adpressione excrementorum hanc valvulam, ut dilatetur, elongetur, distendatur, ipse annulus, antea descriptus, pereat, fiatque ibidem loci talis conditio, ut BIANCHI, MANGETUS, aliique, valvulæ præsentiam certo negarent; uno verbo, ut fieret de hac valvula id, quod dixi, quadam præparatione fieri posse, qua ita ad demonstrationem paretur, ut valvulæ officium huic loco plane denegaremus.

Si vero hoc acciderit, casus desperatus videtur omnino. Ita saltem *Cl.* MORGAGNI censuit contra MANGETUM; ita etiam *nobiliss.* BARO *l. c.* „ Sed notandum, quod stercoraceus ille vomitus soleat fere tantum contingere, dum in pessimo statu versatur æger, & gangræna jam adest, vel saltem brevi sequetur: notum est autem, partes inflammatas tensissimas flaccescere, dum inflammatio in gangrænam mutatur: unde HIPPOCRATES & GALENUS in locis modo citatis monent, raro, vel nunquam, emergere ileo correptos, si stercus evomuerint. "

Igitur, ut monui ante, exemplum, quod ab omnibus Auctoribus narratur, ex MATTHÆO DE GRADIBUS, ubi etiam adnexis quatuor filis subpositoriis vomitu rejectis sanitas restituta est, suspectum videtur: neque etiam MATTHÆUS hoc, nisi ex relatu videtur habuisse.

Hinc etiam, quæ exempla quandoque leguntur in chirurgicis, curatarum operatione herniarum, postquam homines stercoraceam materiem jam evomuissent, videntur talia esse, ubi materies, quæ ad ilei finem stercoracea incipit fieri, vomitu prodit.

Quo

Quo ecquidem in caſu prudentiores Medici & Chirurgi ſolent disſuadere operationem, nec faciunt, niſi juſſi: quum, qui emergant, rariſſimi ſint. Ubi enim ileus morbus adhuc in ſuperioribus maxime conſiſtit, ſpes ſupereſt; quo diutius duraverit, eo videtur inferiora magis urgere, ut ea, quæ prope colon in fine ilei hæreant, non niſi pauco ante mortem tempore vomitu prodeant.

Motus hic inverſus periſtalticus videtur ventriculo vel toti, vel parti ejus, communicari. Ex WEPFERO antea jam vidimus, conſtitiſſe per aperta viva animalia, ab inteſtinis hunc motum communicari cum ventriculo. Sed *egregius* HOFFMANNUS *Med. Rat. ſyſt. T. IV. ſect.* 2. *c.* 4. exemplum habet viri herniа magna divexati, qui aliquoties omnia fere, quæ ante 3 vel 4 dies adſumta eſſent, evomuerit; intus remanentibus, quæ in prandio 3 vel 4 ante vomitus inſultum horis comediſſet. Unde videretur concludi poſſe, ſuperiori duntaxat ventriculi regione in conſenſum adducta, arcum ventriculi majorem, ſive fundum ſiniſtrum, pacatum relinqui. — (*) Tamen rari caſus qui exstant curatorum hominum poſt excrementi vomitum, fuere illorum, qui non ex colo, ſed ex ileo prope colon, talem materiem haberent. GARENGEOT ſic unum exemplum habet hominis hernioſi, per operationem curati; & BONETUS, *Med. ſept. l.* 3. *c.* 3. homi-

(*) Adnotavit *Cel.* HAENIUS circa hanc hiſtoriam ſequentia: „ Si HOFFMANNUS hiſtoriam hic relatam ex hominis narratione habet, non eſt, quod multum aut eidem fidamus, aut explicandæ incumbamus. Videretur potius inpoſſibile. “

hominis curati poſt epotas libras ſex ſucci pomorum Borsdorfenſium putridorum: ſed ſunt ſane rariſſimi.

Proxima igitur *cauſa ilei* expoſita, *cauſæ* ejus *remotæ* nunc explicandæ.

Remotior omnino eſt inflammatio. Inflammata pars contrahit ſeſe, eoque magis, quo ſenſibilior eſt: ſunt autem inteſtina ſenſiliſſima, quod enim ab acribus adſumtis ſemper non doleant, mucus obliniens internus facit: abraſo autem eo dolor inmanis.

Porro inflammationi ſenſilium nervoſarum partium comes ſpasmus. In ſæviſſima pleuritide non videtur ex ſimplici inflammatione, initio parvum tantum locum occupante, dolor excitari tantus, niſi pleura adeo nervoſa, ſimul ſpasmodice contraheretur. Si, inteſtinis nondum inflammatis, acria intus adplicentur, ea mox ſe contrahunt, ut acre eliminent; ut in diarrhœis & maxime dyſenteriis vidimus. Si his jam inflammatio acceſſerit eaque ſe contrahant, nervi vicini comprimuntur, contrahuntur, convelluntur, ſpasmodice agitantur & cavitas arctatur inteſtini.

2) *Volvulus*, ἔιλεος, χορδαψος, dictus HIPPOCRATI: (*) an quia ileon ſæpenumero occupat? Ieda

(*) Χορδαψος, tumor tenuis inteſtini, ut videatur ad chordæ ſimilitudinem involutum, ut ſcribit GALENUS *l. 6. de loc. adf. c. 2.* Sic derivatur a χόρδη, ut *inteſtinum tenue* vocant, & ἅπτω, *necto, adnecto, adligo*, ἅπτομαι, *tango, adtingo.* — ARETÆUS vero *l. 2. de ſign. acut. c. 6.* derivat ab ἕψησις, id eſt μάλθαξις & χόρδη, quod eſt *inteſtinum tenue*: ἕψησις ſignificat *coctionem, elixationem.*

Secun-

Idea hujus mali inperfectior olim, quum cogitatum sit, inteſtina quaſi convolvi & contorqueri ad ſe invicem, immo aliter fieri non poſſe. Longe tamen alia ratione res ſe habet.

Morbus ille, ſive *volvulus*, dicendus eſt „ mutuus inteſtinorum ingreſſus, ſive intraſusceptio, " obtinetque, quando tubi inteſtinalis pars in vicinam partem, quacunque de cauſa ampliatam, inpellitur, in ea abſconditur atque ab eadem firmiter conſtringitur.

Sunt, qui diſtinguant in *ſuſceptionem perfectam* & *inperfectam* : primam dicunt adeſſe, quando in hunc mutuum ingreſſum portio meſenterii quoque trahitur; inperfectam, quando ſuſceptio dorſalem tantum inteſtini partem occupaverit, libera parte ea, quæ reſpicit meſenterium.

Fuere, qui ex fabrica meſenterii & inteſtinorum dicerent, talem intusſuſceptionem eſſe inpoſſibilem; quos inter *Theod.* CRAANEN, Leydenſis olim Profeſſor. Quin & in cadavere eamdem producere vix omni induſtria poſſibile eſt. Verum multa nobis *ἀδύ-νατα* olim putata, effectu demonſtrantur poſſibilia eſſe & revera exiſtere ; id quod de ea, quam agimus, quæſtione veriſſimum.

 Immo

Secundum GALENUM *l. c.* ſic explicatur, quod ileum ab inflammatione, aut materia dura natum credat.

Ex HIPPOCRATE certum non eſt, quid proprie ab ileo diſtinctum velit.

DIOCLES CARYSTIUS apud CELSUM vocat *Chordapſon* tenuioris, *ileum* plenioris inteſtini morbum.

Immo frequens adeo malum, ut RUYSCHIUS illud familiarissimum vocitet, ac, uti refert in *Adversf. decad.* 3. *p.* 17. in quatuor cadaveribus sectioni successive adhibitis illud detexerit, & amicissimus mihi Vir, *Corn. Henr.* VELSE, optimus Medicus Haga-Batavus, in *dissertatione* sua egregia *de volvulo*, septies sibi contigisse narret, spatio paucorum annorum, ut volvulos tales detexerit; semel in adulto, in infantibus sexies. (*)

Doctiss. KUHNIUS 1702 *Leydæ dissert.* edidit, ubi casum in cadavere visum describit & depinxit; una cum simili casu a præceptore suo RUYSCHIO olim secum communicato.

Patet ex OLAO BORRICHIO, endemium morbum apud JAMAICENSES esse, immo ex BONETO, ne bruta quidem esse ab illo inmunia (inprimis venenis enecata, quod & in hominibus verum.)

In intestino ileo observatur sæpe, sed non semper. RUYSCH. *observat. anat.* 91. susceptionem hanc invenit in jejuno; in ileo observata ab eo sæpissime; sed & in ipso colo, *Adv. anat. decad.* 3. *p.* 17. *Doctissimus*

(*) (Notandum vero hic duco, quod ab auctoribus prætermittitur, nec ab *Cel.* HAENIO monitum, non omnem volvulum, in cadavere post mortem inventum, extra controversiam ponere, eumdem jam diutius nonnihil ante obitum adfuisse: nam sub ipsa mortis lucta demum introsusceptio hæc mutua nonnunquam accidit; quod in infantibus præcipue, convulsionibus aliunde jam obnoxiis, sæpiusque antea tentatis iisdem, verum. Hac vero ratione decrescit nonnihil frequentia hujus feralis morbi.) *de W.*

mus VELSE fcribit, fe in adulto homine fufceptionem hanc inveniffe in magno coeci facco, fcilicet in averfa ejus a mefocolo plaga, eamque valide concretam. Immo BONETUS meminit fufceptionis in inteftino recto. FABRICIUS HILDANUS, *cent.* I. *obf.* 61. detexit faccum coeci, arcte contractum, ingreffum effe in ipfum inteftinum ileon; ita, ut ileo fiffo demum eximi potuerit.

Sufceptio hæc fimplex aliquando, gemina quoque, tergemina, quadrigemina obfervata fuit, in eodem cadavere. Duplicem vidit BLASIUS, *obs. med p.* 3. *obf.* 3. — Triplicem defcribit PEYERUS, *Parergor. primo de gland. inteftin. c.* 9. — VELSE triplicem in puero quadrimo — RUYSCH quadruplicem, immo quintuplicem, in *Thef. anat. X. No.* 62. — Septemplicem referunt *Eph. N. C. dec. II. ann.* 8.

Latitudo fufceptionis varia eft admirandaque; PEYERUS *loco* mox *cit.* ad 4. transverfos digitos obfervavit; — SMETIUS, *Mifcellan. l. X. p.* 579. narrat, portionem, quæ vix fesquipollicem longitudine æquabat, dum involuta effet, poft evolutionem duos ferme palmos inpleviffe. — COLUMBUS l. IV. *anat.* invenit ad digiti longitudinem, ante ducentos annos.

Sufceptio hæc fæpemunero ita fit, ut plaga inteftini fuperior detrudatur in inferiorem; verum adfunt plura exempla, partem inferiorem fuperiori intrufam fuiffe; ita BLASIUS in *obf. anat. Ephem. N. C. ann. I. obf.* 126.; VELSE femel aut bis idem vidit.

Si in cadaveribus fufceptio adeft, ea fæpe facili contrectatione digitorum folvitur poft mortem, quando fpasmis ceffantibus omnia flaccefcunt. Unde forte evenit, ut Anatomici, de fufceptione nil fufpicati, dum contrectant & movent inteftina, eamdem, fi adfit, folvant; fæpius eam inventuri, fi præfentiam fufpicati

fuissent. Verum etiam quandoque fortiter quasi coalitæ partes dimoveri se ab invicem non patiuntur.

In volvulo perfecto tali semper mesenterii pars major, minor, intestinum involutum, sive intrans, sequitur: ita VELSIUS constanter rem invenit; immo observavit, ipsam portionem mesenterii corrugatam inque tuber magnum quasi conplicatam, multum obplevisse aream intestini involventis, sive suscipientis.

Causæ volvulorum talium: 1) inregularis spirituum motus, producens inæqualem intestini contractionem; ex qua intestina, a contentis suis conpactis, hinc inde in saccos distenduntur. PEYERUS, *de gland. intestinal. exper.* 1. *c.* 9. in rana detexit, stimulatis intestinis natisque hinc per diversa loca eorum dilatationibus, iisque onere superius memorato repletis, constrictionibus autem evacuatis, arctiores partes in sinum tumentium ingressas fuisse.

Vel 2), ex SYLVII sententia, nascitur, detumescente subito intestinorum parte tumente & coarctatam vicinam partem tunc conplectente.

Causæ susceptionis remotæ possunt esse corpora dura, conpacta, inmobilia fere, hærentia in intestinorum cavis; ut vermes eorumque glomeres, (in ipsis introsusceptionibus nonnunquam inventi); inflammatio; subita adstrictio alvi post summas diarrhœas, aut dysenterias, aut lienterias; periculosa flatuum cohibendorum murmurantium necessitas; acrimonia quæcunque: tum nervorum motus inregulares in reliquo corpore obtinentes, tandem & ad intestina determinati: ut WILLISIUS *Pathol. cerebr. c.* 8. susceptionem natam docet in puella, febri acuta laborante, convulsiones aliarum partium primo passa.

Effectus susceptionis: 1) remora contentorum, inflammatio omnium partium totiusque ventris.

2) Ar-

2) Arteriarum ad illum locum, immo per tota inteſtina, obturatio, inflammatio, gangræna.

3) Frequens dejiciendi cupiditas, niſusque creberrimi; ſed vel irriti plane, vel pauca, diluta, cruenta, deponentes.

4) Conſtipata prorſus alvus, ut ne vel aër quidem tranſire poſſit.

5) Ad præcordia anxietates; anhelitus; reſpiratio laborioſa; jactationes; inſomnia; nauſea; ructus, vomitus; primo eorum, quæ ventriculo, tum eorum, quæ in ſuperioribus inteſtinis, tum illorum, quæ ad finem ilei, jam fœtentium, atque denique illorum, quæ in craſſis hærebant inteſtinis.

6) Debilitato corpore & via vires reſarciendi impedita, leipothymia, leipopſychia, ſyncope, convulſio, ſingultus, mortem præcedunt.

Hæc de volvulo, ſive ſuſceptione inteſtini, ut ilei morbi cauſa: in qua explicanda paullo longior debui eſſe, ut naturam ejus probe internoſceretis. Proſequamur nunc reliquas cauſas procatarcticas ilei.

Prima erat *inflammatio inteſtini*; 2) *volvulus*; 3) eſt *apoſtema*: narrabuntur ſcilicet omnia, quæ talem obicem ponere queant, ut via præcludatur chylo fæcibusque inferiora verſus, adeoque vel volvulum, vel motum inverſum periſtalticum efficere poſſunt.

Apoſtema inflammationem excipiens id facere poteſt: quod, ſi cito matureſcat, ſpes ſolvendi morbum adeſt: ſin minus, diſcrimen adeſt idem; nam poteſt cavitatem inteſtini minuere, occludere.

4) *Scirrhus*, *cancer*; qui diu hæſerant in inteſtini glandulis, difficilemque propterea atque dolentem, aliquam tamen, admiſerant alvum: ſi quacumque de cauſa violentius irritentur vicinosque nervos magis conſtringant, non raro poſſunt ileum producere.

 5) *Cal-*

5) *Calculus* major veficæ felleæ ad oftium in duodeno offendiculum tale reperiens, ut penetrare per illud nequeat, poteft tumorem talem ibidem efficere, ut via penitus occludatur. Calculus ulterius promotus in quacunque inteftinorum plaga idem poteft efficere. — Cafus notiffimus, quem *Sigifm.* KÖNIG Bernæ Medicus cum Societate *Anglicana* communicavit *Margarethæ* LAUWERINN, quæ, uti utero & vefica, ita & ano & ore multos calculos excrevit & iliacas paffiones fæpius paffa eft, ut cum calculo etiam enemata ipfa ore evomerentur: enemata porro ore rejecta fpatio quadrantis (horæ) ab injectione. Hoc duravit per 10 annos; SORBAIT calculum unum ex his habuit. — Scrupuli etiam, five lapilli, mefpilorum, lethalem fecere ileum. KALTSCHMIDIUS aperuit Jenæ 1. Oct. 1747 ac defcripfit ileum, prope colon fere abruptum, faltem tribus locis perforatum. Materies ftercoracea in cavo abdominis, quæ eluta dabat fcrupulos hos mefpilorum: ileum autem ad ulnæ longitudinem ab hoc loco infarctiffimum fæcibus duris ac fimilibus fcrupulis. (Patet fimul hinc, quantum nocere queat abfurda illa confuetudo nonnullorum polyphagorum, nucleos cerauforum &c. deglutiendi; qui tum volvulorum, tum obftructionum alvi indomabilium evadere queunt, fæpiusque evaferunt, caufæ.

6) *Hernia* facit prorfum idem; fed de illa fat fufe olim, T. I., egi.

7) *Convulfio*, ut in *volvulo* expofui.

8) *Fæx dura*, in hominibus, quibus alvus femper fegnis atque difficilis, nullis fere remediis aufcultans, producere hoc malum poteft. Cogitate enim, quæfo, ad finem ilei jam fæces colligi ex chylo exfucco, ut aliquoties vidi: cogitate, illas exfuccas fæces moram ad finem ilei trahere poffe; five, quod vis

peri-

periſtaltica ſit ibidem infirmior; ſive quod BAUHINI valvula a repletiſſimo cœci ſacco vehementer ita comprimatur, ut ex ileo vix in cœcum quid intret. A fæcibus induratis idem in colo fieri poteſt. — Cogitate præterea, aërem fæcibus intereſſe eumque ab illis ſeparatum inflare inteſtinum, ſacci ingentis in formam. Si tunc contingat, ab alterutra parte propelli ſubito fæces, propelli aërem; tunc fæx, in altera parte hærens, cum conſtricto ſupra ſeſe inteſtino in laxatam inteſtini partem ſubito intrare excipique ab eodem poteſt.

Excipio tamen alvum ſegnem eorum, qui eidem adſueti ſunt: novi homines, qui octava quavis die alvum deponant commode, inlibata ſanitate. Saniſſimum quem novi hominem, ab infantia ad ſexageſimum fere, quo nunc degit, annum, quavis tantum 10. vel 12. die alvum deponere commodiſſime. In *Epiſt. conſultat.* BOERHAAVII habetis epiſtolam Medici conſulentis B. ſuper tali alvo; reſponſio B. ſuadet, rem ſibi relinquendam, quum femina cæterum eſſet ſana. Videre caſus plures poteſtis apud SCHENCKIUM. Proſtat etiam exemplum ex VOLKHAMMERO apud BONETUM in *T. I. l.* 3. *Med. Sept. p.* 551., mulieris, quæ citra incommodum, omni 14. die alvum ſolvebat.

Duplex ergo ſegnis alvus; altera *naturalis*, de qua nunc dictum; ubi inteſtina adeo fortia, ut inde nunquam amittant vim; altera *morboſa*. In morboſa coacervantur fæces, ſive in ileo, [uti in noſocomio coram demonſtratum,] ſive maxime in colo; exſuccæ fiunt, indureſcunt, acrimoniam majorem nanciſcuntur, ſtimulare, inflammare inteſtinum poſſunt. Inflammatio talis, conſtringens ſeſe, facile locum claudit, & fit ileus.

Præ-

Præterea talis acervus duræ fæcis, licet non inflammet ſæpe, tamen extendit ſenſim ita inteſtinum, ut illud amittat demum vim contractilem. Hinc tales homines debent ſemper in egerenda rariori alvo vehementem conpreſſionem diaphragmatis & muſculorum abdominalium exercere, ut toto capite rubeant, fere ſanguinem ſpuant (hæmorrhagias inde experiantur narium, kephalalgias diuturnas, &c.), aut in hernias prolabantur; quia inteſtini ea pars non cooperatur.

Fæces tales induratæ præbent ſubinde mira & ſtupenda phænomena. Retulit RUTTY hiſtoriam de Medico, qui lithotomiam ſubiiſſet, ſi diutius vixiſſet: quum tamen a morte inventæ fæces induratæ in colo ſub ilei inſertione, ſeu in cœci ſacco; ita ibi fixæ, duræ, colon extendentes, ut, ſupra veſicam prementes, omnia ſymptomata calculi exhiberent, ac omnes fefelliſſent. Erat durities tophacea nata ab his fæcibus; unde ad catheterem reſiſtentia.

Qui itaque ſegniori alvo ita laborant, ut ſæpius male inde adficiantur ac doleant, colicisque etiam torqueantur doloribus; in his utique a tali alvo metuendum.

9) *Vermes: Joan.* DE MURALTO apud BONETUM, *Med. Sept. l.* 3. *ſect.* 15. *c.* 25., miram hiſtoriam habet feminæ, quæ in ileo jam alvi excrementa & clyſteres evomuerat. Tandem, incaſſum omnibus tentatis & morte propinqua viſa, ore & ano redditi fuere lumbrici complures vivi, & ſic morbus ſolutus eſt. Anthelmintica remedia, cum vitriolo parata, plures adhuc lumbricos ejecerunt.

10) *Caſeus:* SCHRÜCKIUS in *Schol.* ad HEDWIGII obſervata, BONETUS *Med. Septembr. l.* 3. *ſect.* 15. *c.* 25. *p.* 621., ac ipſe HEDWIGIUS, obſervarunt,

ab

ab inmodico usu casei masas generari in intestinis, quæ ea occluserint, & ex ileo mortem induxerint.

Ileus ex illis morbis est, qui, semel formati, indigerent Medico adsiduo, non abeunte fere. Nam anxietate & dolore pressus æger Medico suo requiem non concedit. Hinc promittat hic, se quidem alios visitare debere, sed tamen quovis bihorio, vel trihorio rediturum; ne omni momento inportune quæratur.

Quum dirus adeo morbus iléus sit, præ metu ejus, dum homo ab obserata alvo incipit laborare, omni ope adnitatur Medicus, inflammationem nascentem, si adsit, curare, tensa laxare, sopire dolores, alvum solvere.

Sedes mali ex loco doloris ac tumoris conspicua fit; nec non ex intervallorum spatio inter quoslibet vomitus, atque etiam ex ipsarum rejectionum inspectione. — Habita diagnosi acerba plerumque est prognosis.

Curatio ilei. Si temperies omnino non inpediat, incipiat Medens a v. s.; postea venter totus obvolvatur cataplasmate, cocto (in lacte cum aqua non nihil diluto) ex avena decorticata, fol. malv., parietar., flor. chamomill., sambuc., fomentisque similibus: aut semicupia dicta ex ejusmodi rebus parata fiant, ut illis insideant ægri ventre toto. Hac opera simul anus fovetur & laxatur. Enemata tunc injiciantur, quavis hora vel bihorio repetenda; ex emollientibus primo, &, si nullus usus sit, ex stimulantibus, sensim auctioribus; immo tandem ex succo, vel etiam fumo, tabaci; Auctoribus SYDENHAMO, DEKKERS, HEISTERO.

Enemata v. c. sint talia:

℞.

℞. Sap. venet. ℥j.
aq. comm. ℥xiv. M.

Mira tale enema præstat aliquando in obstinatissima alvo: sed copia major requiritur, ut multum inpleat intestina: idem de omnibus enematibus valet in hoc casu.

Muria salis marini quibusdam laudatur, ut egregium hic clysma. (Adhibendum præmisso uno alterove enemate oleoso.)

℞. Decoct. emoll. & carminant. ℥x.
syr. ros. sol. c. sen. ℥iij.
ol. lin. ℥ij.
sal. gemm. ʒiij. M.

℞. Decoct. emoll. & carmin. ℥x.
elect. diacathol. vel diaphœnic. ℥ij.
sal. ammon. ʒiij. M.

℞. Fol. alexandr. ℥ß.
flor. chamomill. Mij.

Infunde per horam vase clauso, aq. fervid. Colat. ℥xij. adde:

oxym. squill. ℥ij. M.

℞. Fol. alexandr. ℥j.
mann. calabr. ℥iij.
sal. ammon. ℥ß.

cum decoct. comm. carm. infund. per horam, fervide colat. ℥xiv. d. us.

Acre clysma *Mat. med. p.* 178.

℞. Pulp. colocynth. ʒß.
fol. tabac. ʒiß. ʒij. immo ʒiij.
aq. incoctis & ad ℥iij. colatis adde:
sal. gemmæ ʒij. M.

Vel denique fumus tabaci, machina ad id fabrefacta, ano inmittendus, [artificiosam machinam in nosocomio vidistis] repetendusque post aliquot horas, si non

non juvet. Verum sæpe clausura tanta, ut sypho inmitti nequeat: tunc oleis mollissimis, unguentis, balneis vaporum utendum, ut pars illa prius laxetur.

Dictum etiam antea, ex emollientibus adhibenda enemata: HOFFMANNUS sic curavit matronam cum incarcerata hernia iliacam, emollientissimo enemate, quovis bihorio injecto; pro potu dando aquam fontanam frigidam, aquæ menthæ mistam, cujus libræ cuique ℥j. sal. absinth. & succi citri ℥ß. adjecerat: post sextum enema tandem res in melius versa. — Verum, quod in hernia sæpe monui, id etiam hic moneo: non est, quod semper victoriam canamus ad visas post enemata fæces alvinas: sæpe enim bis, ter, quater prodeunt, nec tamen obstructio, ileum faciens, soluta est: vi enematum tantum educente materiem, quæ infra illam est. Sed eam saltem habemus consolationem, quod motus peristalticus non adsit adhuc, saltem non multus, inversus a loco obstructo ad intestinum rectum.

Intermediis porro temporibus inter enemata inponi subpositoria possunt, quæ solent ex melle cocto cum aloë parari, & quandoque, dum liquefiunt, stimulo suo irritant intestinum rectum, & communicata irritatione altius alvum feliciter promovent.

Sacculi etiam magni interpassati ex herb. emoll. discut., magnitudine abdominis faciendi duo ac in infuso florum sambuci (& chamomill.) omni hora, vel bihorio, calefaciendi & humectandi.

Quoad remedia ore adsumenda, ea sint primo oleosa, copiosa, ac emollientia, quatenus ferri queant; tum purgantia eaque validiora, — Verum homines sæpe ita vomitu torquentur, ut vix deglutita mox rejiciant. Eo in casu jubet SYDENHAMUS pluribus in locis, dandum paregoricum, ut desuescat ventriculus a vomitu: cessante eo, iterum purgans dandum; si vomi-

tus

tus redeat & purgans in corpore reſtet, iterum paregoricum exhibendum: quo operante, actio purgantis, ait SYDENHAMUS, quandoque felicior copioſiorque obſervatur, quam paregorico non adſumto.

Purgans tale SYDENHAMO eligitur, quod non ſit ex minimis, ſed ſane valide operantibus:

℞. reſin. ſcammon. vel
reſin. gialap. gr. xij.
calomelanos [merc. dulc. ſepties ſublimati] ℈j.

M. f. pulv. capiend. ex lact. vaccin. cochlear. j. ſuperbib. lact. cochl. j. ij. — Tale quid & in pilulis habet.

Verum, non dicit SYDENHAMUS, quid ſit agendum, dum purgantia adſumta etiam ſecunda vice vomitu expellantur.

Hinc quandoque effectum bonum vidi a remedio ſequenti:

℞. fol. alexandr. ℥iſs.
mann. ℥iv.

Inf. fervid. per horam (c. aq. comm.), colatur. pintæ d. uſ. Sumat quavis dimidia hora ℥ij.

Si aliquot vicibus ſemper poſtea vomitus ſequatur, aliquid ſaltem tranſivit forte, & paregoricum tunc detur: v. g. gutt. xx. laud. liquid. SYDENHAMI dentur c. aqua communi, vel vino: ſedato vomitu iterum infuſum purgans repetatur.

BONETUS, *Med. Sept. l.* 3. *c.* 31., deſperatum ileum ab hernia incarcerata ortum curatum refert a WEDELIO, opii largiori doſi, gr. ij. ſimul, exhibita, tuncque felicius effectus ſuos edidiſſe purgantia.

Memini, me ſummam laudem adeptum, curando domicellam a colicis dolentiſſimis clauſis, quas fruſtra per annos alii curare tentaverant. Notate omnino

non-

nondum ileum inde ortum, ſed metum ſemper fuiſſe, ne ſequeretur. Dederam huic poſtquam ſemel enematum & cataplaſmatum ope alvum ſolveram, pilulas ex opio & nervinis tempore pomeridiano; pilulas ex nervinis & ſcammoneo matutino tempore. Si nimis purgaretur, tota die dabam pilulas opiatas; ſi nimis parum, enemata injeci. Atque ita illa tandem radicitus curata eſt, ſpatio 3, 4 menſium. Vidimus hic in multis inteſtinorum morbis *Sydenhamianæ* methodi præſtantiam.

Joan. Spechtius, *Med. Sept. l.* 3. *c.* 32. *p.* 624., curam ilei cum vomitu ſtercoreo habet, quæ opio potiſſimum adſcribi oportere videtur.

Hic debeo Vobis communicare notabile obſervatum: Archiater Principis in Germania (Paſſavienſis) mecum communicavit hoc. Filiolus ejus, 5 annorum, ileo ita laborabat, ut & excrementa & enema ex odoriferis, & enema muriæ ſalis marini ore excerneretur, & ut tale viſu, guſtu, odore perciperetur. Mortem miſerrimam pater videns & paterna commiſeratione commotus, voluit per opium ſopire dolores & anxietates; ut, qui mori deberet infans, blandius moreretur. Dedit ergo cum aqua menthæ & ſyrupo menthæ guttas xx. laudan. liquid. Sydenhami, & trihorio poſt repetivit. Siluit vomitus, dolor, anxietas, ſed ſine ullo ſomno: ſequenti die alvus ſolvitur & intra paucos dies infans in ſanitatem reſtituitur.

Hic ſane incipiens gangræna ſolvit conſtrictionem inteſtini: relaxato inteſtino materies obſtruens primo per motum antiperiſtalticum, adhuc in inteſtino, non gangrænoſo, ſed gangræneſcere incipiente, ſuperſtitem remota fuit ex loco obſtructo verſus ventriculum, tumque & enemata & ſtercora ex craſſis inteſtinis libere

evomi potuere, continuante leviori antiperistaltico motu.

Videamus, quid nunc contigerit, opio dato ad blandiorem mortem. — 1) Loco blandæ mortis vomitus cessavit & dolor; 2) somnus tamen nullus; 3) sequenti die alvus soluta. Verum quomodo opium id fecit? Dosi liberalissima. Ut infans placide moreretur, parens dedit quadruplicem dosin: nam gutt. xx. l. l. SYDENHAMI continent $1\frac{1}{2}$ gr. opii; quæ pro infante quinque annorum quadrupla dosis; quodque notandum, eadem dosis trihorio postea repetita fuit. Est fere, ac si adultus intra trihorium sumeret octo grana.

Nonne ejusmodi casus infinitum usum habet in praxi? An Vos non semper docui, an non in *Rat. Med. I.* recte dixi, opii rite indicati dosin non esse pondere, sed efficacia, determinandam? Sane si infantem quadrupla dosis, eaque repetita, a morte vindicavit, cur adulto in tali casu non daremus gr. iv. & trihorio post iterum?

An probabile, sic omnes servandos? Non; sed aliquos & forte plures. Non servabuntur in vita, quibus jam perfecta gangræna nata est: servari poterunt, quibus, ut huic puero, ut in omnibus casibus ejusmodi, gangræna incipiens sistitur per quietem nervis inductam: ita ut, motu antiperistaltico sedato, jam circulatio suffocari cœpta in intestinis restituatur, & sensim motus bonus peristalticus reviviscat. Sed ponamus, multis gangrænam eousque provectam, ut mori debeant; opium semper solamini erit, si quid agat; si non agat, non nocebit.

An igitur, quæri forte potest, curationes SYDENHAMI aliorumque in BONETI casibus, non magis ab opio pendent, quam a reliquis datis? Res meditationem meretur.

No-

Notare oportet, aquam menthæ ejusque ſyrupum hic profuiſſe cum opio, quum ad vomitum conpeſcendum & aliis in caſibus optima medela ſit. Poſſumus id imitari: ſed dedit pueri pater quoque in decoct. flor. chamomill., quia Baglivius ut optimum remedium hos laudat *cap. de colica* cujusque ſpeciei; poſſumus & hoc imitari. (Unde &, quum præterea in tot caſibus utiliſſimos hoſce flores deprehenderim, præcipue in ſpaſticis feminarum colicis, abdomini inponendos ſacculos infuſo flor. chamomill. inprægnandos, antea præſcripſi: proderit etiam multum, ſi aquæ communis loco florum horum infuſum enematibus adhibeatur; theæ adinſtar ore ſimul hauſtum.)

Hæc circa caſum illum Archiatri. — Vidi etiam egregios effectus hac rerum conditione, a purgantibus opio miſtis, idque hoc modo, ut doſis purgantium eſſet longe validior, quam aliter requireretur, propter adjunctum opium; ſic opium conpeſcit vomitum & in ea tranquillitate large ſumtum purgans quandoque operatur feliciter: v. g.

℞. elect. caryocoſtin. ℥iß.
opii gr. j.
aq. menth. ℥vj. M.

Sumat ℥j. quovis horæ quadrante.

Electuarium hoc habet in libra j. mellis, coſti amari, ſem. cumini, zinzib. albi, caryophyll. aa ℥ß., diagrydii ſulphurat., oleo amygdal. ſubacti & hermodactylorum aa ℥j. Sunt ergo ſimul ℥xvj. Si igitur ſumo ℥iß hujus electuarii, habeo diagrydii & hermodactylor. aa gr. xlv. Dicetis xlv. grana diagrydii ac anatica doſis hermodactylorum, ergo xc. grana va-

lidorum purgantium in una miſtura, videtur nimium. Faciamus eapropter examinando periculum.

Sumo de induſtría hoc exemplum, ut diſceretis bene judicare de compoſitis officinarum: ſi enim iis velimus uti, oportet exacte noſcamus doſin purgantium in iisdem contentam, (ſingulorumque vires proprias, ac relativas, una cum indole peculiari, cui ingeruntur, ſubjecti): videbitis hinc, quam ſit neceſſe Medico, materiem medicam rite callere.

Dictum antea, ſi ſumam ℥iß illius electuarii, me habere diagrydii & hermodactylorum aa gr. XLV.; jam diagrydium valet tantum, quantum dimidium pondus ſcammonei, i. e. gr. XXII.; hermodactyli vero nihil purgant: quod enim obiter moneam, erramus omnes, dum purgantem, eamque hydragogam, vim in hermodactylis quærimus. Si velitis bonum & ſufficientem teſtem, audite PROSPERUM ALPINUM, *Rer. ægyptiar. l.* 3. *c.* 14. (*) Ille teſtatur, hermodactylos uſurpari quidem ab Ægyptiis in medicina ad podagricos dolores demulcendos, interno externoque uſu; ſed hermodactylorum duplicem ſpeciem dari; unam, quæ in podagricis ſummum adferat lenimen, atque ad Europæos

(*) Notate, PROSPERUM ALPINUM publico *Senatus Veneti* ſtipendio per aliquot annos in *Ægypto* deguiſſe, Medicinæ Ægyptiacæ addiſcendæ cauſæ, & ubi regnum peragravit, ut arbores, plantas quasvis, antiquitates ſtupendas examinaret, dein in maxima & populoſiſſima urbe *Grand-Cairo*, olim *Memphis*, habitaſſe, cum multis ibi Medicis, & rerum naturalium Curioſis converſatum eſſe & ipſum Medicinam feciſſe. *de H.*

pæos nunquam adferatur; alteram, quæ summo gratissimoque nutrimento inserviat, quamque mercatores Ægyptii Europæis mittant. Castanearum instar iis Ægyptii utuntur, maxime mulieres, apud quas nil tanti æstimatur, quam corporis pinguitudo: quam sane inde opimam adipiscuntur, continuo eorum esu. Hanc vocare, ait, Ægyptios *Chamiram*, nec esse mulierem, quæ vivere vellet sine *chamira*. Concludit tandem PROSPER ALPINUS: „ hinc nostri Pharmacopœi atque Medici intelligant, quanto errore has radices ad purgandum in usum accipiant & ad purgantium medicamentorum comparationes: unde & valeant ipsorum catapotia de hermodactylis, & majora & minora, quum nihil ab hermodactylis purgatoriæ facultatis habeant.“ — Loquitur etiam de radice colchici, quæ in quibusdam Italiæ calidis locis crescit, ac etiam parum aut nihil virium purgantium possidet; nam hermodactylos ad colchica revocat: aliam colchici speciem esse in Syria, *Sururgen* dictam, vehementer purgantem, quæ ad nos non adferatur: illam vero speciem, quibus nos pro purgante utimur, esse edulem, minime purgantem.

Quare & egregius HOFFMANNUS *Med. rat. syst. T. III. c.* 4. laudat hermodactylos in decoctis cum scorzonera, sarzaparilla, liquiritia, in doloribus podagricis; igitur non ad purgandum; deceptus tantum in eo HOFFMANNUS, quod credat, eos hermodactylos, quibus Ægyptii utuntur ad podagram, esse eosdem, quos ad nos mittunt, cujus obpositum ex illico adductis ALPINI verbis patuit (*). 23 anni sunt, quod

(*) Censoria virgula itaque notandi *Materiæ medicæ* SCRIPTORES omnes, qui ad differentiam hermo-

Inl. Baronem (VAN SWIETEN) in collegio *Mater. med.*, Leydæ habito, dicentem audiverim, de induſtria ſe hanc radicem ad iij—iv. ℥ manducaſſe, ſine ulla alvo mota. — In præſcripta itaque doſi electuarii caryccoſtini ſunt tantum gr. xxij. ſcammonei.

Si

---

modactylorum, ab ALPINO adlatam, non adtendentes, in genere iisdem vires purgantes, plus minusve validas adſignarunt. Inter blandiora purgantia illis locum eſſe, LIEUTAUD dixerat. — Recentes emeſi alvoque educere pituitam craſſam ac ſerum, ſiccos in cibum cedere feminis Ægyptiis; horum vim purgantem eſſe debiliſſimam, atque hinc maximam partem præſcribi, admiſtis aliis, v. c. aloë, colocynthide, mercurio dulci; GEOFFROY. — Sequutus hunc, etſi non adduxerit, videtur *Inl. L.B.de* CRANZ, dum dixerat: recentem bulbum & vomitum & alvum movere, adultiorem magis alterantem eſſe (quis autem hoc unquam expertus fuit diſcrimen ejusdem corporis; aut quanam ratione hic adſumenda diſcrepantia inter vim *recentis* & *adultioris?*); vim ad reſerandas obſtructiones in vaſis minimis celebrem; in rheumatiſmo, amauroſi, convenientem laudari; ineſſe etiam purgantem. (Ergo denuo credidit, diſcrimen totum abſolvi eo, an recens, ſiccave, ſed vox hæc ne quidem poſita, ſumatur radix; contra omnia ALPINI autoptæ obſervata) — Melius monuit *Cel.* SPIELMANNUS, „ quum ipſa vox, qua V. V. ſuas radices denominarunt, eas oblongas fuiſſe denotet, noſtra autem potius rotundæ ſint; nulla etiam fida obſervatio proſtet, noſtras

radi-

Si ergo habeo pro purgante gr. xxij. ſcammonei, quæ doſis facile a quibusdam toleratur, & addo adhuc gr. j. opii; purgans non nimis forte erit.

Poterit, ſi pilularum forma forte minores nauſeas creet, ſic parari:

℞. Maſſ. pil. extrct. cathol. ℈iß.
laud. puri. gr. ij. M.

F. pil. No. x.; ut quovis quadrante horæ ij. ſumat. — Extractum catholicum paratur ex colocynthidos ℥iij., agarici, ſcammonei, helleb. nigri aa ℥ij., aloës ſuccotrinæ ℥iv., quæ per aliquot dies macerantur loco calido ſpiritu vini, dein per inclinationem decantando; reſiduum exprimitur, ac a liquore filtrato ſpiritus abſtrahitur, remanentia l. a. inſpiſſatur demum in extractum. Tuto poſſumus proſequi uſum harum pilularum, ſi opium vim vomendi cohibeat: ſpes tunc eſt futuræ alvi.

---

radices alvum ducere, immo Alpinus teſtetur, mulieres Ægypti plures earum, in modum caſtanearum, ut pingues evadant, comedere ſine ulla alvi perturbatione; hinc male vires, quas V. V. hermodactylis adſcripſerunt, a noſtris radicibus nos exſpectare, jure vero ex indice medicamentorum eſſe delendos." — Patet hinc denuo, quam neceſſarium Medico ſit, quod quidem nonnullis vix perſuaderi valet, ut & hiſtoriæ naturalis teneant cognitionem, & Auctorum præſtantiorum, qui nobis obſervata circa res exoticas reliquerunt, in locis ipſis, ubi producuntur, captas, vel Itineratorum Celeberrimorum nonnunquam evolvant ſcripta. *de* W.)

Porro juvat, a principio morbi opiatum emplastrum ventriculo adhibere.

Monet RUYSCHIUS, in hoc morbo, etiam in infantibus, cathartica sat valida adhibenda esse, modo signa inflammationis magna non adsint.

Purgantibus incassum adhibitis, Practici ad alia devenire solent. Cucurbitæ adpositæ magnæ circa umbilicum, consilio GALENI; ut, excitato ibidem tumore, dolore, spasmo cessarent, inminuerenturve dolores ac spasmi interiorum, uti fere carminantia agere vidimus.

Deveniunt & ad corpora ponderosa; quæ, deglutita, pondere suo ad inferiora transeuntia, simul obicem solverent. Glandes ideo deglutiendas dedere plumbeas, argenteas, aureas; alii ex regulo antimonii paratas; alii plumbeas mercurio vivo incrustarunt (Amalgamate scilicet enato mercurii cum saturno. Plumbeas glandes nunquam, abs novi mali excitandi periculo, ingerendas censeo. Si rationem quis cupiat, legere poterit observata egregia Anglorum, inprimis *Inl.* PERCIVAL, ac ingentem copiam congestam in *Cl.* GMELIN opere: *de venenis regni mineralis*, lingua germanica nuper edito.)

Pondus autem glandis singulæ ad minimum statuerunt, esse oportere semiunciæ; quum, si leviores & graviores simul essent deglutitæ, graviores diu ano jam exivissent, dum cæteræ in corpore adhuc restitarent. [De glandibus plumbi, auri, antimonii reguli, ac mercurio *v.* STALPART VAN DER WIEL, *Cent.* II. *Obs.* 18. *in Schol.* De fumo tabaci *v. Rat. Med. T. I. & II.; Act. N. C. Vol. V. n.* 46.*;* peculiarem tractatum *Ratisbon. Medici* SCHÆFFER. An non penetrat

netrat per valvulam coli? *v. Tom. II. Rat. Med., cap. de Tympanit. sub fin.*]

Verum his (globulis) palmam præfert hydrargyrum ad ℥ij. iij. v. vj. una vice sumtum. Potatur forte innoxie, id quod expertus Centurio ille, qui, narrante *Henr.* AB HEERS *Obs.* 38., quum a Principe, in media conpotatione risum captante, inscius semilibram mercurii vivi ex capaci & operto poculo vini pleno ingurgitandam accepisset, illudque unico heroico, ut vocant, haustu evacuasset, præsentibus multis convivis, adhuc fere bibens, nec tempus secedendi habens, adsumtum pondus, largissimo cum pridianæ cœnæ fœnore innoxie in caligas reddidit; Principe & omnibus præsentibus in cachinnos effusis.

Metuunt nonnulli a specifico frigore argenti vivi; verum argentum vivum, licet quatuordecies gravius aqua, eumdem tamen gradum caloris cum aqua & omnibus corporibus in eodem aëre positis ad thermometron obtinet; licet forte parvo volumine (copia) adplicatum calenti sanguini, vel vasi sanguineo, in summo febrium æstu posset nocere, ut vel minori volumine (copia) idem aquæ pondus noceret, unde lotum illud & poris alutæ egressum, (qua vero sola depuratione admista, quæ fors fuerint, noxia, inprimis Saturnus, non exactissime tollentur: *vid.* quæ in *Inst. chem. T. II. P. 2.* circa adulterationes ac depurationes hydrargyri adtuli), copia non nimis magna simul, sed, per vices, ex oleo amygdalino, decocto mucilaginoso calido, jure carnium, pingui, calido dari potest: sic calorem suum ob densitatem diutius conservabit. (*)

(*) Sed, re bene examinata, frigore forte prodest, in margine HAENIUS ait, ac exemplum citat, antea

Ambrosius PARÆUS, *l.* 21. *c.* 46. laudat expertissimum Chirurgum, *Marinum Sanctum Baralitanum*, adserentem, se mulieri plus simplici vice dedisse libram, immo sesquilibram, argenti vivi; quod citra ullam noxam ano brevi effluxisset, multosque in passione iliaca servatos in vita se nosse, qui ad libras illud epotassent, aqua communi mistum. Hinc ipse PARÆUS catulo infudit in os libram mercurii, quæ innoxie denuo ano exivit: unde & homini in colica pertinaci dedit ℥iij.

Egregius HOFFMANNUS *Med. rat. syst. T. IV. P.* 2. *sect.* 2. *c.* 4. *§.* 8. ait: „ si malum omnibus jam laudatis & expertæ virtutis remediis resistat, ultimum, neque contemnendum, auxilium in usu argenti vivi repositum est; quo etiam ipse ego bis feliciter usus sum. Sic RHODIUS *obs. med. cent.* 2. *obs.* 8. testatur, hydrargyri ℥v. cum melle rosaceo solutivo haustas deploratum iliacum sanasse. Libram dimidiam inpune sumtam, illico alvum exonerasse, memorat *Henr. ab* HEERS *obs. p.* 56. qui plures morti vicinos hujus præsidio restituit. Quid quod integram ejus libram ZACUTUS LUSITANUS *prax. admir. l.* 2. *obs.* 35. cuidam Duci strenuissimo optimo cum eventu præscripserit.“ Sequuntur dein duo notabilia exempla, ubi ileus, & quidem unus cum hernia, epoto mercurio curatus est; licet suadeat, hernia incarcerata ileum faciente, curam incisione herniæ peragendam esse.

Morbi

---

tea adductum, HOFFMANNI, qui frigidam bono cum successu in ileo dederat; tum & inferius adhuc rediturum sermonem, de utilitate frigoris in hoc morbo; una cum *Comment. Ill.* VAN SWIETEN ad *§.* 964.)

Morbi nervorum insequentes suspectum fecere usum mercurii; ita, ut ex historia HOFFMANNI patet, post usum mercurii morbus nervorum ortus fuerit; prout iis accidit, qui mercurium tractando victum quæritant. — Sed forte oriuntur hi nervorum morbi, ut post colicam pictonum oriuntur. Est enim exemplum WINCKLERI apud BONET. *Med. Sept. l.* 3. *c.* 30. ubi homo, a vero ileo curatus sine mercurio, tantum per succum pomorum Borsdorfensium putridorum, ad ℔vj. potum, per 18 dein septimanas contractura membrorum laboravit, ab illa tandem etiam curatus; ergo posset duplici ex origine hoc explicari, quum toties videamus, morbos nervorum ortos post validos dolores ventris, etsi nullus mercurius datus fuerit.

Anno 1752. coquus excellentissimi Comitis DEHN, Regis Daniæ apud Belg. fœderatos Ordines Legati, intemperanter vivens, per octiduum nauseas patitur, segnem alvum, anxietates, prostratum adpetitum, meque inconsulto sumit emeticum, quod potenter operatum, crescentibus anxietatibus & torminibus alvi. Sequenti mane 14. die Legatus me vocari jussit. Febris nonnulla aderat; sed corpus plenum, ferocia dolorum inflammationem præsagiens, humores vino incensi, v. s. suadebant. Decoctum purgans præscriptum & enema, cataplasmate involutum totum abdomen. Quum repetita enemata nihil efficerent, vomitusque increbrescerent, anodynam misturam sub noctem dedi.

Post pessimam noctem enemata ea die quatuor injecta, purgantia data cum opio, scutum stomachicum opiatum, nihil opis adtulerunt. De nocte revomuit omnia: furibundum delirium; totoque corpore adeo convulsus, ut, stupentibus omnibus, totus quantus in aëra sustolleretur. Accessit, postquam delirium cessaret, perfecta amaurosis, ut, ne admota quidem luce, vel

hilum

hilum videret. Sunt certe ſymptomata, quæ in peſſima colica pictonum aliquando obſervavi, & quæ ab Auctoribus memorantur.

Quarta morbi die bina primo enemata injecta ſunt datumque copioſum oleum amygdalinum cum opio. Vomitus hinc fere ſedabatur, ſed venter inmaniter doluit, nec ulla alvus; flatuum murmur in eo ingens. Hinc, GALENI conſilio, cucurbita ventoſa ingens umbilico adplicata; poſt quam convulſio tanta orta, ut vix tres fortiſſimi homines illum tenere & gubernare poſſent; toto corpore perque $\frac{1}{4}$ horæ durans, epilepſiæ inſtar deſinens in ſomnum ſtertoroſum, cum ſudore algido, pulſu omni modo inæquali. Dum ſomnus ille fere apoplecticus finitus erat, denuo vehementer deliravit; dedi ℥iij. mercurii vivi: quo facto delirium mite fuit, ac tranquille deguit ſine convulſione, ſomnisque brevibus interruptus. Verum nulla hucusque alvus, nulla urina. (*)

Quinta

(*) Ratio, cur dederim non ad libram, vel ſemilibram unica vice, ut quidam ſupra laudatorum auctorum, fuit, quod forte a tam ingenti copia præ frigore metuerem aliquantillum: 2) quia RIVERIUS notavit, rem ſibi ſucceſſiſſe, dando ℥j. vel ℥ij.: etiam *Cl.* SYLVIUS DE LE BOE, *Ideæ Prax. med. l.* 1. *c.* 15. *ʃ.* 53. eamdem copiam teſtatur ſufficere: 3) quia ſuſpicio, ne mala, quæ poſt ileum ſolutum oriuntur, quandoque oriantur a mercurio; mala, inquam, nervorum, non abſimilia iis, quibus adfliguntur, qui mercurio fodiendo, depurando, tractando victum quæritant. Certe minus hæc timenda habemus a parva, ſed ſuffi-

Quinta die fummo mane enema, ut & hora 11ma & 5ta. Dedi tunc mercurii ℥iv; fed noluit ultra ℥ij. fumere. Vomuit parum, tranquille transegit noctem; fub auroram denuo male habuit. Sexta die, quum nulla alvus effet, reliquas ℥ij. merc. bibit; unde quædam iterum tranquillitas & nonnulla transfpiratio. Paullo poft enema repetitum. Alvus copiofa tunc prodiit, fine mercurio; ut & repetito, trihorio poft, enemate, alvus modica absque mercurio. Trihorio poft idem contigit ab enemate; doloribus interim crudeliffimis natis. Balneo calido emollienti infedit, ad jugulum fere, per $\frac{3}{4}$ horæ. — Alimenti porro toto morbi tempore ne vel hilum fumere voluit, præter frigidam cerevifiam; quam, fi guttatim biberet, non revomuit. Quartum enema purgans datum; unde alvus foluta quidem, fed fine mercurio; foluta alvo enema totum oleofum injectum eft, & oleum cum opio bibendum datum.

Septima die morbi, poft tolerabiliorem noctem, enema injectum; unde fæces multæ & prima demum vice pars prodiit mercurii. Prima adhuc enemata fine mercurio. — Octava die, poft enema, iterum mercurii pars; mens bona & quidam adpetitus, bonus pulfus. — Nona die alvus prima vice fponte foluta eft, cum maxima mercurii parte, non albi, naturalis, fed nigricantis atque corrofi quafi, nec tam facile in fe con-

---

fufficiente quantitate, quam a maxima. Dixi quidem mox, forte a doloribus violentiffimis manere adfectos nervos, non a mercurio: fed, fi poffumus minori copia idem efficere, quam majori; cur rem dubii exitus vellemus periclitari? *de* H.

confluentis. Diebus aliquot deinceps examinata alvus nil dedit ultra mercurii.

Corollaria hinc quædam deduco:

1) Colicam, procul dubio olim curabiliorem, intempeſtivo emetico tranſiiſſe in ileum.

2) Optima remedia, ſine intermiſſione fere renovata & variata, per totos quinque dies quovis caruiſſe ſucceſſu; ita, ut morbus indies ferocior redderetur: ergo morbum eſſe tremendum, formidandum.

3) Cucurbitam peſſimos effectus habuiſſe propter vehementiſſimas convulſiones, poſthac illico ſequuta: indicio, quod aliquando optima remedia, in deſperatiſſimis morbis, vel nullos, vel pravos ſortiantur effectus.

4) Convulſionem hanc veram epilepſiam fuiſſe totius corporis, terminatam in apoplecticum ronchum.

5) Graviſſimum ecquidem morbum etiam ideo fuiſſe, quod omnis ſimul urinæ excretio inpediretur: unde videtur tumor abdominis tantus fuiſſe, ut etiam renes, vel ureteres conpreſſerit.

6) Mercurium a principio aliquos bonos effectus dediſſe, poſt ſingulam doſin aliquod ſedamen adferentem; licet alvum nullam. Videtur ſuo pondere motus convulſivos ventriculi, & etiam ſuperiorum inteſtinorum, ſedâſſe.

7) Quamvis mercurius ſedamen adtulerit dolorum, & vomituum, quatuor tamen poſthac enemata data fuere, ſine ullis excrementis, ſine ullo mercurio; argumento, obicem fuiſſe pertinaciſſimum; ut mercurius, quamvis ſuo pondere jam ventriculum & inteſtina ſuperiora tranquilliora redderet, tamen per obicem obſtantem nondum potuerit penetrare.

8) Quater demum alvum ſolutam eſſe, quandoque copioſe citra ullum mercurium: argumento, quod vis mer-

mercurii gravitaverit in conpactas fæces, sed easdem non penetraverit, (nec sese subducere potuerit parietem internum tubi intestinalis inter, ac eum arctissime replentem, obpilantem fæculatam materiem): licet enim fæces liquidæ prodirent, id enemata fecerant. Sed semper conpacta moles hærebat, ad quam enemata pervenire non poterant & supra quam hærebat mercurius: ille enim non prodiit, nisi in quinta alvi dejectione. Quin & per vices exiens ostendit, sese variis in locis inpedimenta nactum esse in descensu.

9) Præstare forsitan, hoc remedium dare maturius, quam ego in meo, aut HOFFMANNUS in suis binis casibus, illud dederimus. Si enim mali quidquam facere non possit, cur non instituitur maturius, antequam homo ad mortis fere limina ductus sit? Sed in ejusmodi drasticis remediis Practici solent meticulosiores esse; ut raro dent, nisi tentatis incassum aliis. Tamen si res mihi reficienda foret, citius darem.

10) Amaurosin hic natam esse, quæ potissimum convulsioni adscribenda. Videmus rem eamdem quandoque in colica pictonum, dum validæ illæ torturæ & convulsiones diu obtinent. Vidit *egregius* HALLERUS natam ex convulsivo singultu, per dies durante. Verum amaurosin talem HALLERUS non formidabat, utpote nervis agitatis ortam; (uti & nonnunquam ab effectu venenorum adsumtorum orta); spe fretus, fore, ut pacatis nervis cessaret denuo amaurosis; id quod & probavit eventus. Etiam quos ego vidi amaurosi adfectos a colica pictonum, huncque pariter, de quo nunc ago, coquum, cessante malo in ventre convulsivo, liberatos ab amaurosi vidi.

Tandem sæpe patuit a posteriori, cur omnia talia molimina sint inutilia. 1) Volvulus, sive introsusceptio, potest esse tam magna & obfirmata, ut iners sit

in

in illam mercurii pondus. Ita PARAROLUS *Pentec.* I *obs. ult.* testatur, se in cadavere juvenis invenisse mercurium, hærentem ante susceptionis locum, quem reserare non potuit. Ita libra mercurii data homini, quem adfectum ileo nato ex obpilantibus intestinum mespilorum scrupulis antea dictum fuit; inventa illa supra locum obstructum ulnæ distantia a cœco.

2) SYLVII sententia est, mercurium non solvere posse susceptionem superioris intestini in inferiorem; sed quidem inferioris in superiorem.

3) Ileum ortum a vitiosa degeneratione intestini, post abscessus, aut aliunde nata, nulla remedia solvere possunt: ut vidimus in nosocomio in illo homine, qui iliacus periit, constricto intestino colo non procul a recto; probabiliter a prægresso abscessu, & nunc fere concreto.

Addamus modo, sumto mercurio posse inperari ægro ex consilio HOFFMANNI, ut aliquamdiu decumbat in latus dextrum; quo pronior sit in intestina transitus: tum, ut posthac, si vires ferant, levem ambulationem aut vectionem instituat; ut labile metallum suum iter citius perficiat: quod consilium in meo ægro sequi non potui, quia delirans, convulsus, furibundus.

Atque hæc sufficiant de cura per mercurium. Reliqua nunc absolvamus, quæ ad curam ilei pertinent.

HIPPOCRATES, *l.* 3. *de morb.*, laudat follem fabrilem, ano adaptandum, eoque flatum in ventrem inmittendum, qui angustata ab inflammatione intestina dilatet. RIVERIUS idem auxilium commendat ad ileum, natum non tantum ex intestinorum contorsione, sed etiam ad eum, qui fiat ex obstructione gravi & contumaci; „ quia, ait, dilatando intestina obstructionem solvit " v. *Prax. med. l. X. c.* 2. Prosequitur autem

his

his verbis: ,, AMATUS LUSITANUS, *curat. ult. cent.* I. teſtatur, ſe iliacum deſperatum hoc remedio curaſſe: tum etiam EPIPHANIUS FERDINANDUS in *Hiſt. med. hiſt.* 74. refert, Neapoli filium *Joannis* ALTIMARI, Medici expertiſſimi, qui ex colica & iliaca fere peribat, hoc eodem remedio ex orci faucibus fuiſſe revocatum. "

Alia occaſione ſcitis me Vobis narraſſe, quod in Belgio auſtriaco *ſacerdos empiricus* eſſet, qui hac ratione plures in Brabantia in alvo obſtinatiſſima percuraviſſet.

COELIUS AURELIANUS quidem, *acut. morb. l.* 3. *c.* 17. *art.* 156.; Edit. AMMAN. *c. n. ab* ALMELOV., invehitur maxime, pro more ſuo, in HIPPOCRATEM, quod tale conſilium dederit, quod vocat conſilium maximi peccati; quia aër frigore noxius eſſet in inteſtinis. Bene reſpondet RIVERIUS, *l. c.*, ſi quis timeret, ne aër noceret frigore, follem inpleat juxta focum, ubi aër calet: deinde, ſi æſtas eſt, non multum differet aër externus a calore humano; præterquam, quod frigus aëris forte non noceat, ut mox patebit.

Neſcimus, quid aliquando aër vi & iteratis conatibus inmiſſus poſſit, dilatando valvulam dictam BAUHINI: forte vi & copia adactus extendit ita cœcum, ut circulus ille etiam extendatur, unde naſcuntur valvulæ binæ; ſi ille circulus multum extendatur, duarum valvularum ora non amplius ſe tangunt, & aër, ante in ſacco cœci conpreſſus, & calore nitens expandi, vi irruit in ileum inteſtinum, agens violente in locum obſtructum ibidemque conſtrictum inteſtinum ita expandit, ut materies a ventriculo ad anum transeat. Præterea PEYERUS in *Parerg. anat.* vidit in laceſſitis ranis ſuſceptiones naſci easque reſtituta inteſtinorum actione

denuo ſolvi. Sic aër copioſus & vi irruens poteſt forte etiam, expandendo inteſtinum, ſusceptionem ſolvere.

Tandem, ut in deſperatis fit, deventum eſt ad auxilium incertiſſimum & crudele: nempe aperto abdomine gyros omnes inteſtinorum pervolvere, locum ſuſceptionis quærere, eamque ſolvere. Immo COELIUS-AURELIANUS narrat, *l.* 3. *acut. c.* 17. PRAXAGORAM conſuluiſſe, ut perſciſſis inteſtinis ſtercora eximerentur & inteſtina conſuerentur (*). Sæculo elapſo BAREETTE etiam in volvulo aperturam abdominis conſuluit; *Anat. pract. l.* 4. *c.* 1.

Cl. MANGETUS in *adnotat. ad ſepulchret.* BONETI, *T. II. p.* 228., Baroniſſam a LANTI narrat ſic in vita ſervatam fuiſſe a juniore caſtrenſi Chirurgo.

Cel. OOSTERDYK-SCACHT, venerandus meus in praxi medica Profeſſor, ſæpius nobis narravit varias audacesque curas *Cl. Ant.* NUCKII, in Anatomicis noti, Leydenſis itidem Profeſſoris, interque illas quoque, NUCKIUM, ſuum Profeſſorem, aperto abdomine quinquagenariæ mulieris inteſtina evolviſſe, morbum ſolviſſe feminamque hanc ultra 20 deinceps annos ſuperſtitem fuiſſe.

Verum 1) difficile ſæpe eſt, volvulum invenire; 2) ſi concrevit, non eſt facile, illum ſolvere; 3) ſi cauſa alia eſt, v. g. ſcirrhus, cancer, coarctatio invinci-

(*) VOSSIUS COELIUM vixiſſe putat primo ſæculo ſub TRAJANO & HADRIANO, una cum SORANO; quia laudare ſolet, ex quibus profecit, nec laudat GALENUM. Tamen barbaries, quibus ſcatent hi libri, potius ad V. ſæculum videtur hunc Auctorem referre. *de H.*

vincibilis, non poterit ſolvi. Hinc crudelis operatio raro ſuadebitur. Si tamen æger velit, poſſet inſtitui. — CELSUS *l.* 7. *c.* 16. loquens de conſuendo inteſtino craſſo vulnerato, „ latius, inquit, inteſtinum ſui poteſt: non, quod certa fiducia ſit, ſed quod dubia ſpes certa deſperatione ſit potior, interdum enim glutinatur. " Idem de hac ultima cura dici poteſt. — Certe, ſi aliquis talis audax adfuiſſet Chirurgus, ut ille, de quo MANGETUS, quando dives ille civis Antverpienſis, ileo laborans, octoginta mille florenos obferret illi, qui ſe curare poſſet, crudeli tali cura aperto inteſtino, exemtis fæcibus obturantibus, curam talem inſtituere potuiſſet: eſt HELMONTIUS, qui hanc refert hiſtoriam, *l. de flatibus* §. 30.

De cura per aquam frigidam jam dixi quædam in curatione colicæ. Plura videri poſſunt apud HOFFMANNUM: *Med. rat. ſyſt. T. IV. part.* 2. Miram curam ibidem in *obſerv.* 4. & 5. habet. „ In regionibus præcalidis, inquit, in Italia & præſertim Romæ, item in Hungaria, ſuperiori Auſtria, Moravia, ob abuſum vini generoſi, ſanguineæ & bilioſæ colicæ frequentiores ſunt. Neque ibi datur ad eas tollendas, præter uſum refrigerantium, & præſertim aquæ frigidæ, præſidium facile convenientius & efficacius; & ob hanc rationem non modo AMATUS, ſed & ZACUTUS, *Luſitanus*, colicam a bile factam aquæ frigidæ potu & nive curatam meminerunt. " Citat dein exempla multa ex *volum. A. N. C.*, addit demum: „ vidi quoque in paralyſi ab eadem cauſa exorta, balnea paullo frigidiora, plus efficaciæ, quam calida præſtitiſſe.— In paralyſi certe velle laxas fibras calida aqua curare, ſtultum eſſet. "

Narrat deinde *l. c.* HOFFMANNUS hiſtoriam feminæ, quæ ex menſibus vehementi terrore ſubpreſſis pateretur ſanguineam colicam pertinaciſſimam, cui ipſe cum egregio viro NABOTH adfuerit. Curata illa eſt, prius aliis incaſſum tentatis, duobus cyathis frigidæ aquæ, ſæpius de die ſumtis, tecto bene corpore pedibusque. Largus ſudor, placidus ſomnus, dolorum ceſſatio inde orta eſt; *v.* plura in *Comment. Ill.* BAR. *ad ſ.* 964.

Quid ad omnia hæc dicam? Fallacia ſi remedia ſint, ignominia mortis in nos cadit: adeoque circumſpecte agendum. Sunt etiam colici dolores, ita gelida curati, multum differentes adhuc ab ileo, in quo cauſa hæret pertinaciſſime: quamvis in meo ægro per mercurium curato conſtiterit, frigidæ cereviſiæ, guttatim ſumtæ, uſum per totum morbum malum exitum non habuiſſe.

In deſperatiſſimis caſibus monendi forent homines, curam talem admodum dubiam ſupereſſe, parum ſpei dare, tamen quandoque juviſſe: ſi nolint admittere, ſatisfecimus: ſi velint, præmonuimus illos incertitudinis, certæ mortis cæterum gnaros.

Monendi adhuc eſtis, ut in clysmatum uſu habeatis aliquam prudentiam. Cogitate, quæſo, ſitum naturalem ventriculi: 1) maxima ſui parte ab hepate incumbente tegitur: 2) lien illi a ſiniſtris incumbit: 3) adcumbit pancreati: 4) colon fundum ejus tangit. Conſideremus nunc capacitatem naturalem coli & recti, quæ forte cum toto cœco poſſit capere duas menſuras. In colo & ſacco cœci fæces ſunt ac aër. Hic nunc enemata inmittimus. Si illa tota exeant, aut ſola, aut quibusdam excrementis miſta, ſpatium eſt, ut novum enema injici poſſit. Verum, pono hominem vel retinere enema, vel mediam ejus partem, tertiamve dimit-

dimittere & tamen novum injici : nonne evidenter patet, extendi hinc multum craſſa inteſtina poſſe : & ſi magis magisque interceptus inter varia enemata & ſtercora aër rareſcat calore corporis, poſſitque in ſpatium 16plo majus expandi; nonne turgens vehementer colon premet flexu ſiniſtro lienem & ſic ventriculum? Nonne colon tumens hepar premet verſus diaphragma & ventriculum? Immo colon, naturaliter ventriculum adtingens, nonne tumeſcens ventriculum conprimet & irritabit, ut jam homini vomitus fiat indeſinens. Et quod plus eſt, nonne colon & cœci ſaccus vehementer distenta, non magis conpriment inteſtina tenuia, adeoque & locum principaliter adfectum?

Tandem, quod in hernia Vos monui, repetam: vane exſultare nos quandoque alvo prodeunte in ileo: nam 1) poteſt prodire, vi violenta enematum ſuperante motum periſtalticum inverſum, infra locum obſtructum: 2) a laxitate & reſolutione gangrænoſa inteſtinorum. Utroque in caſu nil juvat: nam in ultimo, mors adeſt præ foribus: in primo, cauſa morbi proxima eadem manet: in eo caſu remiſſio ſymptomatum debet nos certiores reddere. Hinc fieri poteſt, ut cauſa proxima ſæpe a morte non inveniatur: ſi v. g. coarctatio, inflammatio, vel ſpasmus adfuerit; vel a fæce indurata ſi in gangræna omnia laxantur, homo alvum deponet quandoque brevi ante mortem: tunc in cadavere poteſt jam abeſſe illa cauſa, quæ ileum fecerat. Certe, ſi fæces ex colo ore prodeant, oportet, ut obex, antea hærens in ileo inteſtino v. g., ſit ſolutus; alioqui non poſſunt ore evomi fæces, aut enemata. — HIPPOCR. *de morb. l.* 3. ait: „ ſi, remiſſo volvulo, febris illum prehenderit, deſperatus eſt, fortaſſis enim ſoluta alvus inferior interficiet. “ Quia a ſpaſmo inflammatio, ab hac gangræna: ſi tunc alvus

ponitur, notat mortua inteſtina omnia dimittere. Unde bene BAGLIVIUS, *Prax. med. l* 1. „ Gravi iliaco ſi ſuperveniat alvi fluxus, paucis poſt horis morietur; nam ſphacelata ſunt omnia, hinc lethalis fluxus; & ſi iliaco tumor ventris veniat, & flatus copioſi pedendo exeant, brevi morietur. " Quæſo, velitis legere pulcerrimum *cap.* 41. *l.* 2. *N.* TULPII, quo exemplo confirmat lethalitatem a tali alvo.

(Adhibuerunt etiam in ileo aurum fulminans; inducti ad hoc conſilium, quum præparatum hoc, expoſitum calori, vi maxima in ſubjecta ſibi agat, fore, ut etiam in inteſtinis fæces tubum obſtruentes loco pellat. Verumenimvero, & multum erratum fuit in analogia hac formanda; & alia longe ratio eſt, auri fulminantis ſicci & in aëre libero experimentis ſubjecti: præterea, etſi daremus, aurum fulminans unquam vim ſuam in inteſtinis etiam exercere potuiſſe; an præſtat ileo mori, an ob diſploſa, vi pſeudoremedii, demum inteſtina?)

Sequuntur diſcutiendi nonnulli HIPPOCRATIS, de ileo agentes *aphoriſmi.*

Aph. 3—22. „ Autumno.... εἰλεοι, volvuli. " In *dyſenteria* & *lienteria* explicavi hunc aphor.: conſtitit ibidem, HIPPOCRATEM hic recenſere morbos, quatenus orirentur ex incraſſatis & exaſſatis æſtivo calore humoribus & ingurgitatione fructuum horræorum. Ergo ileus facile potuit tunc crebrius ab illo obſervatus eſſe. Craſſi humores inplent ventriculi & inteſtinorum vaſa; perſpiratio inpedita autumnali frigore; fructuum horræorum actio flatulenta & acris, apta nata ſunt generando ileo.

Aph. 6—44. „ Quibus ex ſtranguria ileus ſupervenit, in ſeptem diebus pereunt, niſi, febri ſuperveniente, urina fluxerit. " RIVERIUS, *Prax. med. l.* 10. *c.* 2.

c. 2. „ Si ſtranguria, inquit, fiat ab humoribus craſſis & pituitoſis, qui etiam magna copia in inteſtinis & in venis redundent ; ſuperveniente febri, poſſunt illi concoqui, liquari, adtenuari, ac per urinam excerni: unde ſolutio ilei contingit. Licet GALENUS in *Comment. huj. aphor.* ſe ignorare adſerat, quæ HIPPOCRATES dixit in hoc aphoriſmo, eaque & ratione & experientia confirmari non poſſe. " — Videamus, an melius hic honorem HIPPOCRATIS tueri poſſimus, quam GALENUS.

Loquitur HIPPOCR. hic tantum de unica ilei ſpecie, quæ ſtranguriæ ſupervenit. Stranguria aliquando oritur a rebus abundantibus gas ſylveſtri, a cereviſia v. g. in actu fermentationis clauſa, ſubpreſſa. Sed ab eadem cauſa oritur colica flatulenta ; quæ, ſi non curetur, poteſt in ileum mutari.

Igitur, ſi ex ſtranguria, tali ex cauſa orta, naſcatur quoque ileus, denotatur præſentia magnæ hujus acredinis in corpore copiæ, binas has notabiles excretorias vias adficientis. Talis ileus diu non poteſt durare, quia aër ille elaſticus incluſus & acer continuo augetur, expanditur calore ; ita, ut inflammatio magna oriatur & ab extenſione vaſorum inteſtinalium, & ab inpedita primum ſecretione, deinde etiam excretione, urinæ. Nam, ſi ſtranguria duret, veſica inpletur, ureteres non poſſunt ſe evacuare in plenam veſicam, replentur pelves & conprimuntur renes. Hinc & renes inflammari neceſſe eſt, & acre lixivium urinoſum, in ſanguine manens, brevi producit ex acrimonia febrim inflammatoriam. Porro talis febris diu durare non poteſt ; nam, quia peracuta eſt, terminabitur intra 7 dies. — Sed, ſi tamen contingeret, ut ante 7. diem, vel circa, morbifica, inflammatoria materies febrilis ſanguinis concoqueretur, ſolveretur & vi atque copia

ab inflammatis tum renibus, tum inteſtinis, intra maſſam ſanguineam adſumeretur; tunc veſica urinaria, ureteres, inteſtina, inflammatione liberata, patula demum fierent & patulis his factis partibus, ſolutisque acrimoniæ ſpaſmis, ſanguis, materia morbi cocta onuſtus, poteſt ſe per arterias renales iterum expedire ab illa: ſi jam copioſa ſit talis urina, poterit ſalutari per urinam criſi omnis vis morbi auferri.

(Longam ſat denuo ſubjungit expoſitioni huic recapitulationem HAENIUS; quam, quum aut dicta jam, aut dicenda, maximam partem contineat, omittendam tuto cenſui.)

Aph. 7—10. „ Ab ileo vomitus, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum. " Explicui in *vomitu*; repetam quantum huc ſpectat. Mirabile videtur, magnum virum dicere, vomitum ab ileo malum eſſe, quum nos, ſecundum datam ilei definitionem, ignoremus ileum, cui vomitus non adſit. Sed reſpondeo, nos definiviſſe ileum, dum omnibus conſpicuis ſignis plane ſit palpabilis; HIPPOCRATEM vero, pro ſtupenda ſua ſagacitate, ileum hic conſiderare, dum in incunabulis adhuc hæret; necdum præſentibus ſignis illis, quibus nos indigemus, ut præſentem definiamus. Conſueverat ille, intentus in omnia, ex mali primordiis naturam morbi conjecturare notareque ſymptomata omnia, quibus adoleſcere ſoleat, & veros genuinosque demum morbi referre characteres.

Conſiderans igitur rem a principio, novit, quid primum obſervaretur in ileo, antequam vomeret homo. Tunc omnia ſigna colicæ clauſæ dolentiſſimæ aderant. Sed, cur tunc non potius dixit: „ ſi colica in vomitum prorumpens ileus fiat, malum? " Colicæ nomen & diſtinctionem eo tempore nondum inventam fuiſſe, Vobis in explicanda colica dixi: adeoque ilei generali

rali notione omnia conclusit, eumque morbum a primo gradu in ultimum descripsit, ac e singulo gradu adscensionis augmentum discriminis cecinit vates.

Si ergo ileus in principio, colica clausa, ad vomitus devenerit, *malum;* quia jam incipit motus peristalticus inverti. Si dein accedat singultus, denotat, inversum peristalticum motum jam materiem acrem, putridam trusisse ad ventriculum; qua irritatus ille mox in consensum rapiat diaphragma & musc. abdominales, ut nascatur singultus. Si tertio convulsio in aliis corporis partibus accesserit, signum est, convulsionem ventriculi & diaphragmatis in singultu jam motu convulsivo nervos octavi paris & intercostalis ad sensorium commune usque adfecisse; ita, ut a turbato illo sensorio communi turbatissimus fiat spirituum ad alias corporis partes adfluxus. Si jam quarto delirium oriatur, designat hoc, vel inedia diuturna deficere ultimum illud reficiens, nutriens, quo æquabilis spirituum secretio in cerebro fieret; unde delirium fit a *κενεαγγέια*: vel designat, convulsioni præcordiorum ad sensorium commune delata, totum cerebrum turbari & hinc nasci delirium: vel designat, violentia vomituum sanguinem raptum ad cerebrum, ut toties observavimus, obprimere cerebrum in aliquibus partibus, in aliis tanto inpetuosius fluere: vel denique notat, jam talem natam acrimoniam, ut cerebri tenella stamina destruantur.

Est certe alia causa lethalior alia: tamen in ægro meo coquo, cujus antea data historia, omnia hæc signa mala adfuere; nec tamen interiit. Quare HIPPOCRATES quoque in *aph. hoc* dixit, non *absolute lethale*, sed *κακὸν*, *male*.

§. 817. *Si autem generatio in inteſtina læditur &c.* — — — 1) Icterus ; *v.* in hunc locum *commentaria Haeniana* in *Tractatu de vermibus inteſtinorum & ictero*, Tomo ſecundo adnexo, *p.* 151.

2) Cachexia biliosa, (*v. l. c. p.* 152.)

3) Calculus, quem Chemia detexit corpus conpoſitum eſſe ex volatili ſpiritu, ſale, oleo, & ex terra hæc excipiente, certo modo unitis, & ſecundum Hales aëre copioſo. Non eadem principiorum proportione omnes in corpore humano reperiundi calculi conſtant. Notavimus enim alibi, calculos inventos eſſe ſaltem 25 variis in humano corpore locis. Sed alio at:ue alio in loco friabiliores. Urina conſtans maxime principiis oleoſis & ſalinis, quia eſt lixivium univerſale ſanguinem abluens a nocituris oleis & ſalibus, quoque habet calculos inreſolubiliores. Bilis quidem iisdem, ſed minus copioſis, principiis conflata, dat calculos minus inreſolubiles; glandulæ pulmonales, minus habentes oleorum ſaliumque, magis fragiles; colli & linguæ calculi fragiliſſimi. Sed ſunt tamen in ſyſtemate bilioſo frequentiſſimi, numeroſiſſimi. (*)

4)

(*) Circa totam hanc calculorum corporis humani, ſeu animalis potius, hiſtoriam phyſico-chemicam multa adeo forent adnotanda, ut omnino ſatius duxerim, ex meis nil prorſum, quam inperfecti quid, ex ingenti obſervatorum ac tentaminum ſylva hic addere. Inſtituta cum calculis, tum urinariæ, tum felleæ cyſtidis, experimenta, peculiari diatribe conprehenſa emittam in lucem. Obſervata autem practica in Celeb. Auctorum, tum

V. V.

4) Gypsus hepatis est pollen ille, qui medio glutine adunatus fecisset calculum. Dubitatur sæpe, an subtilissima terra, sive arena, quæ in ictericis alvinis excretionibus redditur, sit fusus calculus, an talis pollen?

5) Obstructiones. 6) Excrementa alvi alba &c. (*v. l. c. p.* 153.)

7) Adpetitus deletus. 8) Ciborum digestio inpedita. 9) Miscela inpedita &c. (*v. Tractat. cit. p.* 152—155.)

10) Tympanitis: (quum pauca circa eam Haenius monuerit, inserere ea nunc lubet; utut quidem in *Tract. cit. p.* 156., reservare peculiari hydropis contemplationi voluerim.)

En Haenianum *Commentarium.* — Occasione tympanitidis in nosocomio observatæ, statui, triplicem dari tympanitidem:

1) Ubi inter peritonæum & intestina cavum hoc totum aëre plenum. Ita observata res Helmontio; ita censent etiam: Ballonius, *Paradigm.* 141., Vallesius *Comment. in lib. de vict. acut. l.* 4.

2) Tympanitis in solis, mire extensis, intestinis obtinens. Ita Hildanus *cent.* 6. *obs.* 74., Smetius *Miscell. l.* 7. & 10., Platerus *obs. p.* 656., & maxime Littre in *Act. Acad. Sc. Paris.* 1713. Ita etiam vidimus in homine in nosocomio nostro mortuo.

3) Tympanitis ab aëre & aqua simul, in cavo ventre hospitantibus: adnotavit Bonetus *Tom. II.* Se-

---

V. V. tum R. R., passim occurrunt scriptis: maxima exemplorum copia in Schurigii *Lithologia* poterit inveniri. *de W.*

Sepulchret. p. 440., TULPIUS, *Obſ. lib.* 2. *c.* 35. & paſſim omnes: ita & BOERHAAVII ſententia erat.

Intelligimus porro, ubi bilis deficit, deeſſe primarium inſtrumentum chylopoëſeos, adeoque vitiata coctione prima, vitiari & reliquas. Unde ſanguis iners, vappidus, non bonus nutritius, oritur. Si bilis intra ſanguinem hæreat diu in ictero, ſane corrumpit eum ac diſſolvit, ut in aquam vertatur, (liquamen decompoſitum) eamque putridam. Si porro alicubi in cavis corporis effuſa talis putrida aqua hæreat, poterit aër inde factitius generari & hinc non mirum, quod ex perforato abdomine etiam aqua cum aëre exeat. Si bilis deficiat, non ſtimulat inteſtina in contractionem, neque ad fæcum excretionem: fæces ergo in inteſtinis non ſtimulatis adgregantur, putrent, aëra gignunt, inmaniterque extendunt inteſtina: ergo tympanitis triplex intelligitur hinc poſſe ac debere oriri.

(Hæc HAENIUS in ipſo *textu Prælectionum.* Adpoſuit autem ſecundis curis in margine ſequentia; quæ eo magis una cum prioribus addere volui, quum & ex cathedra utraque Vir CELEBERRIMUS protulerit; ſententiam mutans, dum meliorem ſeſe detexiſſe ratus foret; nec, ut nonnulli adſerere conabantur, per omnia ſemel ſuſceptæ abs diſcrimine tenax. —) De tympanitide, ait, *v. Rat. med. alt. c.* 5. *p.* 4. *c.* 3. Vix exempla adſunt, quæ aëra in cavo abdomine demonſtrent: neque vaporem. Exempla contraria multa ſunt, quæ in dilatatis inteſtinis extenſionem ab aëre doceant, & quæ aut aëra, aut vaporem in cavo ventre docerent, (*) ut *Paradigma* 141.

(*) Inmutata reliqui verba AUCTORIS, etſi quidem nonnihil clarius poni potuiſſent. Senſus tamen adtendenti inde eruitur: exempla, quæ pro demon-

141. BALLONII; ſed illud nihil demonſtrat: nam tantum punctura ventris facta eſt. Quis jam ſcit, an non inteſtinum pertuderint, indeque (ſeſe) proripuerit aër? Idem verum de caſu HELMONTII, *Tract. de ignot. hydrope* §. 43—44. *p.* 494. *&c.* „ Vir quidam, ſuaſu Medentium, paracenteſin a latere umbilici ſuſtinens, qui hydropicus cenſebatur, utque aquam elicerent: me juvene ſpectante, extracto Chirurgi phlebotomo repente ſidit abdomen, & quamprimum periit: editus autem flatus inmenſe putridus & cadaver olebat.“ HELMONTIUS inde vult concludere, aërem non in cavis inteſtinis, ſed in abdomine fuiſſe: ſed, an inteſtina turgentiſſima non potuere lanceola pertundi? Immo vix poteſt aliter, ut Vos vidiſtis in cadavere aperiundo tympanitici: vix poteſt evitari. Certe, ſi HELMONTIUS cadaver aperuiſſet, rem aliter, ac putat, inveniſſet.

BAL-

---

monſtratione aëris in ipſo abdominis cavo adferri ſolent, non ejus eſſe naturæ, ut rem extra controverſiam ponant. Legendum ergo fuiſſet: — — — *& experimenta, quæ aut aëra, aut vaporem, in cavo ventre docerent, ut* Paradigma 141. BALLONII, *ea nihil demonſtrant; nam in iis tantum punctura ventris facta eſt &c.* Sed correxit, quod hic ſimul monendum, in ipſa explicatione HAENIUS haud raro textum codicis, lentiſſime prælegere alioqui ſolitus: quod, verba *Celeb. Viri* adtenta mente excipiens, ruminans & cum codice jam conferens, eo certius ſcire ac adferere potero. *de* W.

BALLONIUS, *Paradigm.* 33. ait: „Filia *Bartholomæi* ROLAND ventris tormina questa est: vomitiones adsiduæ: dolor nulli cessit remedio. Dolore victa mortua est. Stylo abdomini inmisso, exiguo admodum foramine flatus erupit, & totum abdomen resedit.“ Videtur & casus fuisse, ut HELMONTII, a turgidis intestinis.

Tantum tympanitis in intestinis ab aëre invenitur, cum aqua in abdomine, ut sub finem anni elapsi intelleximus in illa femina, cujus granulosum hepar *D.* STÖRCK ad nos miserat. Sed tunc est morbus conpositus; sive quod hydrops jam ante adfuerit, vel ex debilitate & defectu bilis natus esset. Plura de tympanitide *v.* in *Rat. med. T. IV.*

11) HYDROPS; mox explicui. RUYSCHIUS Anatomen describit hydropici, in qua invenit vesiculam felleam maximam, in cervice obturatam calculo, plenissimam vero inodora, insipida, bile: ita & BIANCHI. Bilem aquosam, seu potius pro bile aquam multam, in infantis, acido, pituita vitrea, & viridissimis excrementis laborantis & inde mortui, vesica fellea inveni, gustavi.

Id tamen sæpe fallit, *v. Rat. med. P.* 4. *c.* 3; ubi plura exempla colligo, coram Vobis in cadaveribus demonstrata. Postea adhuc bis vidimus in hepate post hydropem & tympanitidem bilem paucam quidem, sed profunde tinctam. Immo vidimus tympaniticam & hydropicam tribus septimanis ante mortem profunde ictericam factam.

Pro causa agnoscit plerumque hepatis inflammationem, ut exposui; *exsiccationem*, ita, ut inpervia fiant vasa, subsistatque penitus bilis secretio; *obstructionem;* explicui. *Humorumve ejus & abdominalium viscerum inspissationem quamcunque:* totus quippe venæ portarum

san-

ſanguis, qui a ventriculo, pancreate, liene, meſenterio, omento, hæmorrhoidalibus, redux, ſi alicubi in viſcere, ex quo oritur, inſpiſſetur, vel in itinere; vel in his viſceribus detineatur; vel etiam, ſi a vena portarum exceptus craſſior ſit, quam ut per ejus fines ad ultimos in hepate acinos perveniat, ſecretio bilis inpedita eſt. Sin vero a ſpaſmo, inflammatione, ſubpuratione, thlipſi, calculo, via bili in duodenum præcluſa ſit, ea in inteſtina non excernitur. (Circa cauſarum theoriam *v. Tract. cit. p.* 119—150. Operæ pretium videtur, ut hic pro condimento adferam ex *Codice* hiſtoriam ſequentem, quam *Cel.* DE HAEN pro explicatione *textus Boerhaaviani*: „*Sunt denique venena icterum facientia*" de quibus in *Tract. cit.* jam facta mentio, retulerat.)

Humana, inquit, inhumanitas clanculum novit talia parare venena, ut homo, inſcius talia adſumens, languore diuturno miſeram primo vitam ducat, (antequam enecetur). Pudet tam horrenda referre; unum ſufficiet exemplum, quod veriſſimum. In vita HEURNII, primi in Medicina Profeſſoris Leydenſis, narratur, ictero laboraſſe Gubernatorem Provinciæ Ultrajectinæ, *Dominum* DE NOORTCARMES: conſilium illum convocaſſe multorum in Belgio famoſorum Medicorum; ſed noluiſſe, conſilium fieri una ſedentibus Medicis & de morbo differentibus; ſed ita, ut in privato cubiculo Gubernator ſingulos ſeorſim audiret differentes, a ſeniore incipiendo ad juniorem. Præcauturum ſeſe hac ratione confidebat faſtum ſeniorum, junioribus dominantium; vel privata odia, & bonam rejicientia ſententiam, quod prolata ab inimico eſſet; vel hominum, quibus volubilem linguam & vivum ingenium natura dediſſet, aptitudinem, ad trahendos aſtute & veluti inſcios in ſuam ſententiam etiam tales, qui præ ipſis ſa-

pe-

perent; unde tandem consilium formaretur, non quale ars in bonum ægri dictitaret, sed quale vel tyrannidi, vel astutiæ quorumdam placeret. Igitur seorsim audivit seniorem & sic perrexit ætatis ordine, donec ad juniorem deveniret, isque noster HEURNIUS erat. Lassus & defatigatus Gubernator a respondendo ad interrogata & ab audiendis orationibus pluribus plusquam cathedralibus, quas multi *Galenici* effutierant, juniorem HEURNIUM neglexit, nec rogatus respondit. HEURNIUS adstantibus Aulicis ait, se icterum natalem referre debere Italiæ, ex qua & jam recenter redux erat HEURNIUS, & in qua olim habitaverat Gubernator: *Italos* quippe venena habere, quibus iis, quos odio habent, icterum lentissimum, sed sensim lethalem, concitent; sibique videri ex auditis ab Aulicis symptomatibus Gubernatoris, icterum talem esse. Obstupuit Gubernator, bene gnarus, rem ita esse, & valedicens reliquis Medicis, quod vitæ reliquum sibi supererat, id uni commendat HEURNIO. Quæsivi in HEURNII operibus, an forte *Italorum* sui temporis venenum describeret, sed incassum. In genere tantum dicit, *Instit. Med. p.* 274., „vel [denique icterus fit], ex veneno; uti ex usu aquæ stagnantis & viridis & morsu viperæ, ut adnotavit GALENUS, in servo Inperatoris evenisse."

Icteri *curatio* pendet ab icteri variis causis. 1) Causa erat inflammatio. Cura igitur inflammatoria per v. s., enemata, epithemata, medicamenta acida, saponacea, nitrosa, solventia. Juvant porro in recenti tali ictero inflammatorio herbæ dictæ saponaceæ. (*)

℞.

(*) Agrimonia, alchimilla, bellis pratensis, borrago, cichoreum, hedera terrestris, primula veris, pul-

℞. Taraxac. cum tot. ℥vj.
acetos. hortens.
endiv.
lactuc.
portulac. aa Miij.
Ebulliant in s. q. aquæ per horam; colat. fortiter expressæ pint. iij. adde:
Syrup. fumar.
ʒ radic. aperient. aa ℥ij.
tart. vitriolat. ʒiß.
S. omni hora unc. iij., calide.

Si vero hepatitis talis, quæ icterum producit, aliquam viam adfectet, se evacuandi; tota icteri cura postulat, ut natura, quo vergat, eo ducatur.

1) Enim si alvus biliosa cum pauco cruore ante quartam diem, materies ergo, qualis initio omnium resolvendarum inflammationum, prodit; eo in casu epithematibus, clysmatibus, fomentis, potibus, victu, medicamentis, ea subministranda sunt, quæ diluant, resolvant, moveant, abstergant, leniter expellant, putredini biliosæ inprimis obsint. Decoctum mox præscriptum in hepatitide recenti, decocta parata ex omnibus herbis emollientibus & blandis fructibus horræis, hic juvabunt.

2) Si hepatitis & icterus solvatur urina multa, acris, crassa, rubra cum sedimento subalbo diu continuata, ante diem quartam; tunc Medici adponant fomenta

---

pulmonaria maculata, saponaria, scabiosa, tussilago, virga aurea, brassica rubra, chærophyllum, cucumeres, scorzonera, valeriana pratensis. *de* H.

menta renibus, peritonæo, hypogaſtrio; enemata blanda injici curent; decoctis in prioribus deſcriptis utantur; evitent ſudores.

3) Hepatitis & icterus ſolvuntur quandoque oborto mitiori dolore lienis, antequam tamen ſigna ulla ſubpurationis adſint. Primo ab inflammato hepate viſcera abdominalia, ad ſyſtema venæ portarum pertinentia, turgebant ſanguine distendebanturque, quia non poterant ſe evacuare: præprimis vero lien, qui tam inſignem venam ad hepar mittit. Jam ille, quia per venam non poteſt emittere, interea dum arterioſum ſanguinem admittere cogitur, ita distenditur, ut ſenſus ejus modicus ſuffocetur penitus. At vero incipiente jam ægro conqueri, mitiorem ſibi dolorem ad lienem naſci, ſignum eſt, tranſitum dari venoſo lienis ſanguini per hepar: reſtituentes porro ſe fibræ nimis distentæ dolent; ut in aliis quoque locis, ſublata preſſione fit. Eo in caſu, præter dicta remedia, lieni & hepati bona inponenda fomenta.

Si 4) ſolvatur per hæmorrhagiam largam ex nare dextra, quod, cur & quomodo fiat, rationem minus adſequimur, etſi experientia conprobet; tunc pergendo iisdem medicamentis, fluor ille incipiens externa adplicatione ſpongiæ aqua calida madidæ, interno vapore tepido aquoſo nare excepto, adjuvandus eſt.

Si 5) per ſudores, decocta ſimilia juvant; vitando enemata, vitando cataplaſmata & epithemata ad diureſin & addendo decoctis largam ſcorzoneræ copiam, corpore bene tecto.

6) Hepatis omnes morbi hæmorrhoidibus ſolvuntur ſæpe.

Icte-

Icterum natum a calculis veficæ, folvunt herbæ faponaceæ, falia neutra &c. &c., ut & reliquas hepatis & fyftematis venæ portarum obftructiones. (*)

P 2 v. g.

(*) Utut proftent exempla, ubi omnia hæc diutiffime largaque copia adhibita fuerint, incaffum, ne minimo inde nafcente bono effectu; cyftide, ejusve ductibus, poft mortem inventis calculis ultra omnem fere fidem repletis, obftructis. Plantarum faponacearum, folventium viribus vias expediri poffe prodituris calculis, admiferim; ipfos vero *illis* refolvi, decomponi poffe calculos, vix crediderim; (etfi aliis methodis, inprimis ubi remedii adhibiti elementum quoddam, cum elemento calculi hoc vel illo majorem habet adfinitatem chemicam, quam quidem hoc habeat cum reliquis calculi conftitutivis; nequaquam negarim) nec inter tot hunc in finem inftituta tentamina ullum mihi hactenus exhibuit diacrifin vel urinariæ, vel biliferæ, cyftidis, calculorum jam natorum: alia enim res eft, dum de præcavenda, illorum fuccorum ope, unione rudimentorum calculi agitur, ne veri fucceffu temporis nafcantur calculi: tum quidem fuccorum talium viribus multum in humoribus animalibus emendari poffe, haud omnino negandum. Liquida, quæ vera menftrua adpellari poffent calculorum, maximam partem ob diverfas rationes tuto exhiberi nequeunt: fi exhibeantur; aut vim fuam jam perdiderunt vix non ex integro, antequam ad lithophylacium adhuc deveniant; aut, fi quid agant, non levia fimul excitant incommoda, ut vix non optimum fit, illis

v. g. ℞. Rhei ʒiß.
sap. venet. ℥ß.
ol. 'stillat. puriss. thereb. q. s.
M. fiant pil. gr. v.

Sumat

---

illis abstinuisse. Probe quidem scio, post usum remediorum talium haud raro prodiisse calculorum fragmina minora; tumque triumphum clamari ab illis, qui remedium tale ægro proposuerant; verum enimvero, cur non advertunt, calculos biliares haud raro esse friabilissimos; hinc sub itinere, quod, laxatis, aut lubricis redditis, viis, ex cystide fellea ad ipsum usque recti sphinctерem emetiri debent, facillimo negotio in minora ramenta, quin decompositio accedat, disrumpi posse; uti, si comparatione hac uti liceat, durissimi silices adteruntur, minoresque redduntur in alveo fluminis, inpactu multiplicato solo, aqua non interrupto eos provolvente motu? Quodsi remedio ulli vires manifestiores adhuc adtribuere vellem, *aër* foret *fixus*, quum eo in meis tentaminibus talia effecta fuerint, quæ aliis omnibus negata erant. Fit tum vera decompositio calculi, elementorumque divulsio; quibusdam, uti videtur, cum substantia diacritica nova syncrisi junctis in corpus a priori sane diversissimum. Verumtamen nequaquam in mentem mihi veniet, ut illum ceu panchreston & catholicum lithiaseos universæ prædicem menstruum; quum nimii sint casus, ubi vel ad sedem mali devenire, vel vim decomponentem exserere nequit; vel ubi ne quidem eum in auxilium licet vocare. Præterea, non eadem

omnium

Sumat omni trihorio pilulas duas cum unc. iij. decocti ſequentis:

℞. Recent. gramin. c. tot. ℔iß.
taraxac. c. tot. ℔j.
rad. cichor. ℔j.

tuſa ebulliant in ſuff. quant. aq. commun. per $\frac{1}{2}$ hor; colaturæ prælo fortiſſime expreſſæ ℔ij. adde:

ſal. polychreſt. ʒij.
ſyrup. fumar. ℥iij.

Hac via ſæpe hepaticos & bilioſos calculos ſolvimus: arenarum inſtar per alvum prodeunt. Incredibi-

omnium calculorum origo, compoſitio, principia, principiorum ſyntheſis; hinc & non eadem in omnibus valet decomponendi methodus, au menſtruum. Vidi bonum ſucceſſum ab aëre fixo, vidi in aliis & a ſalibus alkalinis &c. Vidi, & examinavi chemice, calculos felleos, qui vix non ex integro abſolvebantur croco martis, cum pauco oleo animali, ſaleque ſaccharo lactis ſubanalogo, copiaque quadam aëris, cum reliquis nexi ac nectentis. Tentaminibus didiciſſe mihi videor, hominibus, qui ad lithiaſin diſpoſitionem, ut termino hoc utar, habent nonnihil manifeſtiorem, remediis martialibus abſtinendum eſſe; quum & in lotio, examini ſubjecto, calculoſa inde aucta magis deprehenderim rudimenta: ferri calce magnam eorum conſtituente partem. Sed hæc omnia in aliam differre cogor occaſionem. *de* W.

lem arenæ copiam ita per alvum eduxi, ut icterus totus abiret. (*)

Notandum; præstare tale decoctum succis expressis: (**) nam, si post succos expressos coquatur residuum,

---

(*) Ait HELMONTIUS *Tract. de ignot. hydrope §.* 12., „Vidi insuper, quibus lenta febris ultimum diem clauserat, in quorum hepate lapilli succreverant, non tamen hydropem monstraverant. Boum hepati familiare, scatere lapillis, licet continuo pascantur gramine. Unde saltem didici, radices graminis nequaquam tollere obstructiones hepatis.“ Male ratiocinatur; animalia non habent viscera similia: uni est venenum, quod alteri cibus. Aves rapaces carnibus victitant, aves domestici iis pereunt. Psittacis (& plurimis aliis animalibus, *v. Pandectas meas medico-physicas &c. §.* 11. *&c.*) amygdalus amara venenum est: gramen potest homini obstructa solvere, & non solvere bovi, ob varia viscera & naturam. 2) Boves, in lithiasin proni, forte perirent, nisi gramine uterentur; unde in paucis calculos hepar habet. 3) Sufficit experientia nosse graminis utilitatem in hominibus, licet idem non præstaret in animalibus. *de* H.

(**) Attamen id non abs distinctione accipiendum; quum valeat in plantis, quorum actuosa vis magis in fixa parte hæret: in aliis autem, vim præcipuam in volatili æthereo recludentibus, ignis actione plurimum ejus, vel omne fere, destruatur, fugetur. *de* W.

fiduum, habetur fere decoctum fimile priori; nam omnis fuccus non exprimitur, & manet in maffa, poft fucci expreffionem, faponaceum quid & amaricans; ut decoctum æque fere bonum fit, quam fi fuccos non expreffiffes. Quod poft talem decoctionem fupereft recentium herbarum, nil ultra virium habet.

Si renuant decocta

℞. Salis polychreft. ℥vj.
tart. vitriolat. ℥ij.

S. omni trihorio fcrupulum cum unc. iv. feri lactis.

Si ab hepate fenfim obftructo icterus nafcatur, fimilia folventia & lenes epigaftrii frictiones conveniunt. Commendantur hic, etiam a magno SYDENHAMO, martialia: fed, fi non folubilis admodum materies fit, mutatur obftructio in fcirrhum indomabilem: quapropter non nimis, aut cito, aut incircumfpecte, utamur Marte (quadrant & huc quodam fub refpectu, quæ paullo ante circa ufum ferri in lithiafi dixi): fi vero, a paucis incipiendo, prægreffis primo refolventibus, videamus naturam bene ferre, poffumus fenfim augere. Mars in fubftantia, in vinis medicatis, aquæ fpadanæ, pyrmontonæ &c. tunc conveniuut.

Ex *textu* noftro vidimus, bilis fecretionem inpediri & *hepatis exficcatione*. Raro hæc cognofcitur: fi figna adfint defectus bilis & fimul totum corpus exficcetur; fane concludi poterit, forte idem & in hepate fieri. Siqua medela fuperfit, ea eft in inpletione vaforum per blanda alimenta & medicamenta, clyfmata talia, humectationes totius corporis per blanda tepida, epithemata & balnea. (*)

P 4 Tan-

(*) *Nob. D.* STENGER ictero chronico & duro ac tumido hepate laborans, quum effet dudum multis

Tandem *textus* defectum bilis adscribit *inspissatis humoribus systematis venæ portarum*, unde bilis secernenda esset. Cognoscitur 1) omnibus signis, quibus bilis defectus cognoscitur; 2) tumore & gravitate ventris. Adtenuantia, saponacea tunc conveniunt.

℞. Aloës lotæ ℨj.
sap. venet. ℨvj.
gumm. ammon. ℨiij.
thereb. q. s.

M. f. pil. gr. iv. Sumat quovis bihorio duas cum aquæ selteranæ unc. iij. lentæque adhibeantur frictiones. Advertunt Auctores, defectum bilis cysticæ subpleri aloë; bilis hepaticæ, sapone veneto. Sic stimulus

tis septimanis usus variis, tum ecclesiastico agyrtæ famoso Detrepis se conmisit, & quinque septimanarum spatio in pessimum statum redigebatur. Concilium plurium Medicorum vocavit interque illos & me. Pro tumido hepate illud erat contractum & exsiccatum, ut & corpus universum: ictericus autem color profunde flavus: id Augusto mense. Primum dedimus ei pilulas ex sapone veneto, terra foliata tartari, gum. ammoniaco, mass. pil. Ruffi; cum decocto saturato graminis. Deinde, quum urina careret bile, color tamen ictericus adesset, dedimus ipsi pilulas, [quum alvus bona esset], sine mass. pil. Ruffi, decoctum anti-ictericum ex *Pharm. Vindob. p.* 46; aquas selteranas cum lacte copioso, frictione & equitatione quotidiana. Hac methodo adeo mutatus, ut mense Novembri icterus abfuerit, & iterum quædam torositas adfuerit, vires, sanitas. *de* H.

mulus fit in primis viis, dividuntur tenacia, fit melior chylus & vis horum medicamentorum, ſanguinem ingreſſa, ſimul ſenſim ſanguinem ſyſtematis venæ portarum adtenuat, ſolvit. (*)

Per Vos intelligitis, me in genere præſcribere, quæ proficua medicamenta ſunt; at vero Medici eſt, noſſe, an, quo tempore ipſi talis morbus curandus datur, eodem præſcriptæ herbæ proſtent; alioqui ſe Pharmacopœis ridiculum præſtaret; maxime ſi recentes præſcriberet, quæ certis tantum anni temporibus recentes queant haberi. Hinc debet quisque in ſua regione hoc examinare & notare. (*)

(*) Ad morbos hepatis aqua ſelterana, thermæ Carolinæ; & ubi viæ bene reſeratæ sunt, tunc aquæ ferratæ, non prius: martialia reddere inmedicabile malum poſſunt, ſi obſtructio nimis firmata. Non eſt hic ſequendus SYDENHAMUS. Frictiones ſummi uſus hic; equitatio, vectio, ambulatio. *de H.*

(*) Frequentes occaſiones ſunt, in quibus Medicus, praxin nunc primum adgreſſurus, ejusmodi errores conmittere valet. Sic vidi formulas v. c. pilularum, ex quibus quodvis potius remedii genus, quam pilulas, parare potuiſſet Pharmacopœus, niſi, præſcribente Medico peritior, pulveris cujusdam innocui additione miſcelæ fluidæ eum conciliaſſet ſoliditatis gradum, ut inde formari demum poſſent globuli. — Alia vice talia præſcribuntur, quæ, invicem miſta vel ingratum adquirunt colorem, uti adſtringentia cum vitriolo martiali; vel plane ſeſe mutuo decomponunt, uti v. c. acidum

Huic paragrapho de morbis hepaticis agenti commode ſubjunguntur *Aphoriſmi* de morbis hepaticis.

Aph. 5—58. „ Recto inteſtino inflammato, & utero inflammato, & renibus ſubpuratis ſtranguria ſupervenit: hepati autem inflammato ſingultus. "

Aph.

---

dum vitriolicum ſuperadditum miſturæ, nitrum tenenti, quod peccatum, legibus doctrinæ chemicæ adeo manifeſte repugnans, ac alibi jam notatum, tamen plus una vice commiſſum ſcio. — Sed & adtendere debet Medicus, an non remedium, quod præſcribit, ab ipſa morbum excitante cauſa adfici, atque tum vel ſcopo minus ſatisfacere, vel plane nova incommoda excitare queat. Sic ſæpenumero ſolutio mercurii ſublimati corroſivi ſymptomata iniqua excitavit, quod præſcriptum fuerit, ut ſimul lactis quædam copia ſuperpotetur, in ventriculo coagulanda & ob coloſtrum natum anxietates, vomituritiones &c. productura. Tutius etiam eamdem ob rationem, ubi venenum acre corpori ingeſtum fuerit, præſcribetur, ut, præcipue ſub initium, jura pinguia, olea recentia, mucilaginesque majori copia adſumantur, quam ut lac vocetur in auxilium: in coloſtrum id abire poterit, eoque venenum retineri potius eo diutius in ventriculo ac inteſtinis, quam hebes reddi ac domari, e. ſ. p. Patet inde ſatis, quam multum errent, qui generalium quorumdam præceptorum notitia obiter inſtructi ægrorum curationes adgredi audent agyrtæ; dum omni paſſu occurrunt, quæ ſummam requiri prudentiam, ſpecialiumque obſervationum ſcientiam, evincunt. *de W.*

Aph. 7—17. „ Ab hepatis inflammatione ſingultus, malum. “

Videtur Hippocr. hic a viſcerum aliorum cum aliis connexione inevitabilem ſympathiam deducere. In viris veſicæ collum cohæret cum inteſtino recto, in feminis uterus cum recto & cum veſica. Si ergo inteſtinum rectum in viris, uterus ejusque vagina in feminis, inflammetur, quid naturale magis, quam veſicæ collum irritari & inflammari; quæ cauſa proxima ſtranguriæ. Itidem, ſi renes ſubpurati ſint, etiam pus illud, vel acre factum in renibus, vel ſtagnatione acre factum in veſica, rodit, inflammat cervicem, quæ ſic inflammatione tumens ſtranguriam facit.

Hepar vero inſigniter inflammatum fit tumidiſſimum ac ponderoſum (*); unde pondere ſuo detrahit diaphragma, conſequenter distrahit œſophagi fibras. Porro vidi-

(*) Singulare id inprimis in hepate vi fabricæ, eſt augmentum & magnitudinis & ponderis; tum ex morboſa cauſa, tum polychylia, ut ſic dicam, in homine ex æquo oriturum. Ponderis augmentum excedens in ſcriptis Obſervatorum variis locis occurrit. — Palati gratia animalia nonnulla priſcis jam temporibus ſaginata fuerunt, eo inprimis fine, ut hepar in illis redderetur ſolito multo majus: anſeres præcipue huic operationi adhibiti, uti patet ex noto illo verſu Epigrammatographi:

„ Adſpice quam tumeat jecur anſeris, anſere majus. “

Ait *Cel. H.* Sander in *egregio libro*: über Natur und Religion &c. 2. St. S. 25. Die Leber

vidimus, caufam fingultus effe unam hanc œfophagi fibrarum distractionem: nam mox novo influxu fpirituum reftituunt fe, momento poft iterum distrahuntur, &c.

Etiam inflammatum finiftra parte hepar ventriculum deprimit: ergo elongantur iterum distrahunturque fibræ œfophagææ: ergo iterum caufa fingultus.

Singultus autem non adeft in omni hepatis inflammatione; fed, quando adeft, malum effe ait HIPPOCRATES; denotat enim magnam inflammationem & creat fymptoma, quod nervos totius corporis mire exagitat efficitque violentum hepatis reciprocum motum, inpedientem, ne benigne refolvatur ejus inflammatio. Hinc fubpuratio metuenda, fæpe adeo funefta, hepatis.

Aph. 7—45. „ Qui ad hepar fubpuratum uruntur, aut fecantur, fi quidem purum pus effluat & album, fuperftites evadunt: ipfis enim pus eft in tunica. Si vero effluat, velut amurca pereunt. "

V. V. Methodus erat, aperire cauterio, vel accenfis aliis rebus, vel ferro, apoftemata. Ignis in ejusmodi, multisque aliis cafibus, ufus hodiedum vulgatiffimus in Afia tota, ut & in Africa. PROSPERI ALPINI fcriptis id de Aegyptiis conftat: Itineratores omnes fcribunt idem de Afiaticis: *V.* KÆMPFERUM in *Hift. Japoniæ.*

He-

Leber kann vermöge ihres Gewebes bey vielen Thieren sehr groß werden. Gänse, die lange Gerstenschrot und Nudeln fressen, bekommen zuletzt eine fast vier Pfund schwere Leber. *V.* & Berlin. Samml. Th. *III.* S. 398. *de* W.)

Hepar vero uritur, vel secatur, quando ejus externa membrana concrevit cum peritonæo, ut in omnibus inflammationibus viscerum fit; pereunte illo rore, qui alias inpedit concretiones. Facta tali concretione pus facile sua, etsi levi, acrimonia, erodit membranam communem, ex membrana hepatis & peritonæo factam & ita tumorem facit externum in epigastrio. Si jam talis tumor aperiatur igne ferrove, pus album exit, vel amurca.

Etenim, si inflammatio & subpuratio occupet membranam externam hepatis, inque ejus determinetur substantia; vel si occupet folliculum & extendendo illum pus crescat in magnam molem, tunc illud continetur peculiari tunica. Si vero ipsum parenchyma hepatis; ipsa vasa ejus diversi generis cum sua substantia cellulosa inflammentur, & subpurentur, pus illud dispersum hæret, & omnia vicina adficiens, magnam hepatis partem occupat, adfluitque forte sanguis ex systemate venæ portarum bili parandæ destinatus per erosa vasa ad idem illud pus.

Hinc intelligitur, pro vario, quo colligitur, loco, pus varium esse, & quidem inmensum a se differre.

Si igitur, apertura facta igne, vel ferro, pus album laudabile prodit; signum est, non consumi totum hepatis parenchyma, sed pus illud in membrana, circumdante se, collectum esse; ita, ut evacuato eo reliquum hepar bonum sit: hinc spes recuperandæ sanitatis adest.

Si autem pus ichorosum, amurcosum instar fæcum olei, prodeat, ipsum hepar eroditur, exeditur, consumitur, excavatur; inutile fit ad bilis secretionem & putredine brevi peribit. Hinc non juvantur apertura illi homines. In *Actis Ac. chir. Reg. Paris.* multa pul-

cerri-

cerrimaque habentur circa ejusmodi operationes ; ubi etiam cautelæ indicantur ; ne aperiantur pro hepatis abſceſſibus, qui a tumente bilis veſica extrorſum tumores adpareant.

Forte putabit quiſquam, hominem tamen victurum miſere, etſi bonum pus prodeat, quum hepar maneat adcretum peritonæo. Verum, facilius videntur homines tolerare tales adcretiones, quam putamus ; ſi conſideremus, vix cadavera aperiri, quin pulmonum aliqua, & fortis quidem ſæpe, adcretio ad pleuram cernatur ; dum interea homines illi pulmone adfecti in vita non viſi erant ; quanto facilius hoc ferent in hepate, quod certe tanta explicabilitate haud indiget, quam pulmo?

Aph. 7—55. „ Quibus hepar aqua repletum, ad omentum eruperit, [ad omentum fiſſum fuerit] his venter aqua repletur & moriuntur. "

Aphoriſmus hic admodum difficilis eſt explicatu, & torſit commentatores omnes. HOLLERIUS, LIBAUTIUS, SENNERTUS, HEURNIUS, *de* GORTER, varias explicationes dedere, quæ tamen difficultatem non expediant. Alii enim putant, ex hepate hydropico aquam retrogrado motu per venam portarum & per venas referentes ab omento ſanguinem verſus hepar, pergere verſus omentum, ibi transſudare & replere marsupialem omenti ſaccum. Verum, inter centum & plures, hydropicorum anatomicas ſectiones, quas apud Auctores patienter exquiſivi, ne vel unus quidem invenitur hydrops, ita exacte conparatus. Alii Auctores omenti in hoc aphoriſmo explicationem ne tangunt quidem (*). Neque videtur ſenſus eſſe HIPPOCRATIS

(*) FICKIUS Jenæ med. Profeſſor, in *Notis ad Aphoriſm.* HIPPOCR. hydropem poſſe marſupii omen-

POCRATIS, ut deſignet hydropem epiploi, ſed abdominis; *his venter*, inquit, *aqua repletur.* Conjecturando

omenti fieri ſtatuit: ut autem id probet, adfert unum exemplum hominis, qui habuerit omentum ſcirrhoſum; alterum hominis, qui hydrope adfectus ſanatus fuerit. Problematice autem rogat; „ an ab omento " ? Nec ille hoc novit nec nos. — *Lazarus* RIVERIUS, dictus HIPPOCR. *Gallicus*, ita quoque hunc aphorismum intelligit, ut aqua effuſa expleat non omentum, ſed abdominis cavitatem; quamquam revera cum cæteris præcipuam difficultatem prætereat, quam omenti mentio hic parit. — DURETUS *in* HOLLERIUM *l.* 1. *c.* 39. *p.* 303. ait: „ ſcripſit HIPPOCR. *Aph.* 7—55. *Quibus aqua repletum eſt hepar, ſi in epiploon & abdomen eruptio fiat, his venter aqua repletur & intereunt*: intelligendum, ſi aqua hepatis membranis, tanquam ergaſtulis, concluſa fuerit. Facile in jecore gignuntur hydatides, puſtulæ; quales cernuntur in ovibus jugulatis. Ruptis hydatidibus fit effluxio in epiploon, non in cavitatem inteſtinorum, ſed in ventrem inferiorem, ſeu abdomen. "

Ut autem illa phraſis (V. V.) *eruperit ad omentum* nos non adficiat, conſideremus modo, an ſecundum ideam ſuam de ſitu partium non bene ratiocinarentur. Ex V. V. quippe idea videtur ipſis, omentum tota texiſſe inteſtina. Nos, qui ſæpiſſime homines aperuimus, pluries invenimus omentum vel parvum, vel nullum fere. Illi vero rarius aperientes cadavera, quum viderant nonnunquam cadavera,

rando igitur cum præcipuis HIPPOCRATIS *interpretibus* dico : hepar 1) hydropicum fieri poteſt maxime hydatidibus in ſua tunica extrema enatis : 2) hepar habet viam multiplicem ſe exonerandi : α) per ductum communem ; β) per venam cavam ; γ) per externum abdomen, ſi prius concreverit cum peritonæo; ut mox antea vidimus, hepar ſe pure ſuo expedire ; δ) rumpendo in cavum abdominis, verſus omentum & reliqui abdominis viſcera.

In

---

ra; quæ haberent totis inteſtinis a ſummo epigaſtrio ad uſque infimum hypogaſtrium ſupratenſum omentum quumque præterea ex paucis, quæ inciderant cadaveribus, vidiſsent aquam in hydrope mox ſub inciſo peritonæo ; concluſerunt, aquam ex hepate rupto, non effundi ad inteſtina, ſed ad omentum, i. e. inter omentum & peritonæum. Hinc CASTELLI in ſuo *Lexico medico*, in quo V. V. placita explicat, *p.* 36. ait : „ Aſcites hydropis ſpecies eſt, in qua in membrana abdominis interiori, peritonæo græce dicta, *aut potius inter peritonæum & omentum*, humor aquoſus, veluti in utre quodam, continetur.

Occaſione ſententiæ V. V. de catarrhis Vobis explicui *Aph.* de catarrhis, quos facile explicare erat in hac idea V. V. ; inpoſſibile in vera Phyſiologia. Ita ſuadeo, in V. V. ſententiis explicandis ſemper adtentum gerere animum ad ideam illorum phyſiologicam : tunc ſane plura, aliter non intelligenda, capiemus. Nunquam aphoriſmos de utero & prægnantibus explicabimus, niſi prius V. V. theoriam, olim ita inperfectam, capiamus. *de H.*

In hoc ultimo caſu effluvium perpetuum eſt lymphæ ; ita, ut *his venter aqua repleatur* ; unde cura nulla ſupereſt. Si enim aliquando, vel diureſi, vel catharſi, vel paracenteſi, hæc aqua de corpore educeretur, ſcaturigo in hepate pergit ſemper aquam ſtillare ; præcipue, quum hepar tale plerumque ſcirrhoſum inveniatur. Cauſa ergo permanente, vires hominis pereunt & moritur.

§. 818. *Si autem lympha pancreatis, hepatis, inteſtinorum, læditur in ſua confectione, vel motu, oriuntur ſymptomata quam ſimillima recenſitis §. 817. quin & cauſæ erunt ſimiles.*

Toties enim jam vidimus, inteſtina, pancreas, aliaque abdominalia viſcera laborare pro hepate. Igitur, ſi in his viſceribus vitium, hepar non accipit ſanguinem præparatum pro bile ; ergo bilis læditur confectio. Cauſæ hujus ſunt, inflammationes horum viſcerum, exſiccationes, inſpiſſationes humorum. Ergo videtis, eſſe & cauſas fere ſimiles, quæ bilis conficiundæ vel movendæ inpedimenta erant, ſimilesqne inde naſci effectus. Per lympham hepatis (BOERRHAAVIUS) credo intelligit bilem hepaticam.

§. 819. *Sanguinis in corde mutatio ejus eſt modo receptio, mora, expulſio : quæ, ſi nimiæ quoad motum, faciunt febres ardentes validas.*

Hucusque occupatus BOERHAAVIUS in recenſendis ſymptomatibus adfectæ officinæ *chylopoieſeos* : jam tranſit ad viſcera, quæ *hæmatopoieſin* faciant.

Conſiderandus hic ſanguis eſt 1) prout introëat ſinus, auriculas, cava cordis ; 2) quatenus in cordis columnas inſiliat ; 3) quatenus in corde dextro miſceatur cum ſanguine venoſo cardiaco ; 4) quatenus iterum corde exſiliat, vi contrahentis ſe cor-

dis & columnarum. — Omnia hæc tam fulminea celeritate peraguntur, ut tempus vix advertatur. Tempus tamen totum noſtræ mortalis vitæ hac continuata & conpoſita actione tranſigitur. Requiritur autem, ut actio hæc inlibata perennet, cordis, auricularum, ſinuum, valvularum, columnarum; conſtitutio bona, quoad fibras, & arterias, & venas, & nervos, ſit. Labefactato horum vel minimo, cor in omnibus ſuis partibus & functionibus vacillat.

Quadruplex ille motus mox expoſitus vitiatur 1) ſi fiat *nimius*: tunc enim per totum corpus acceleratur motus ſanguinis; & quia ad capillaria vaſa major reſiſtentia, quam ut tam expedita ibidem fiat circulatio; hinc naſcitur ibi quædam mora & motus augetur in interioribus liberioribus vaſis. Atque hac ratione *febris* oritur; quæ, quo motus violentior, eo ardentior eſt; maxime, ubi aucto motu continuato ſanguis nimium condenſatus primo; dein, evanidis in auram aquoſis, ſpirituoſis, adtenuatur & acer fit. Medela eſt, ut motus inminuatur, ad juſtum moderamen ducatus, generali lege omnium inflammationum; aut auctior motus vitam deſtruet.

Sin rero remora longior *vel expulſio languidior, tum fiunt languores, concretiones polypoſæ, vel pituitoſæ, frigus, leukophlegmatia, hydrops; atque plurimi diverſi, hinc oriundi, morbi.* Hic meretur expendi *egregius* LANCISIUS, *Tract. de anevryſm. cord.*

Fiunt itaque 1) *languores*, quia circulus humorum tardior fit per totum corpus.

2) *Concretiones polypoſæ*, a ſtagnatione ſanguinis; qui, ſibi conmiſſus, ſolidescit. Toties enim advertimus, ſanguinem noſtrum inter ſolida rectius, quam inter fluida, recenſendum eſſe eumque ſolo motu a concretione inpediri fluidumque manere. Mox igitur, ut

cordis

cordis motus lentescit, incipit ille sanguinis in soliditatem nixus duci in actum. Hinc tot polypi in vasis prope cor; solidissimae massae, per annos in spiritu servandae.

3) *Concretiones pituitosae*; in his nempe hominibus, quorum sanguis minus globulosus est, ex obposito magis glutinosus, pituitosus. Auctior motus solus potuerat ex sanguine pituitoso bonum efficere sanguinem: jam vero in tali diathesi motus adhuc magis retardatus, concrescere sinit in massulas hanc pituitam.

4) *Frigus*; quia adtritus, motu inminuto, minuitur, minuitur & calor: quo calor minor, eo frigus majus: pars tandem partem pellere desinit.

5) *Leukophlegmatia*, *hydrops*: quia in vasa lateralia pulsi humores sunt, illi non propelluntur, sed hærent, stagnant; globuli tandem dissolvuntur, in vesiculas laterales adiposas depluunt & reddunt hominem vel tumore albo glutinoso, vel aquoso, turgidum. Efficitur porro hoc, etsi vesiculæ illæ laterales oleo adhuc plenæ; etenim illas aqua dilatat; quod ad oculum videmus in partibus torosis, haud ita pridem hydrope obsitis: dum incidimus illas, videmus pinguedinem non abivisse, sed vesiculas adluente aqua distentas fuisse; qua post sectionem defluente, manet torositas partis a pinguedine.

Si vero humores desinentes conpingi & e globulosa forma dissilientes, per arterias laxatas depluant in cava corporis, creant *hydropem*.

Viso corde, ut causa hæmatopoieseos & circuitus humorum vitiatorum, videndi sunt *pulmones*, qui sane huc multam quoque symbolam conferunt.

§. 820. *Actio læsa pulmonum* &c. Novistis, pulmonem, præter arteriam bronchialem, duplici vasorum genere gaudere, quorum utrumque diversam habeat functionem; ita tamen, ut utriusque functionis effectus alter alterius ope indigeat; alter alterum perficiat; altero languido sæpe & langueat alter: vasa sanguinea, inquam, & aërea.

Sanguinea sunt, arteria & venæ pulmonales, quæ arteria omnem sanguinem, quem cor dextrum pepulerat, excipit & per venas pulmonales cordi sinistro reddit. Pulmo excipit omnem sanguinem chylosum, inquilino mistum, eumdemque demum cordi sinistro, bene conpactum & homogeneum, reddit.

Sed habet præterea pulmo vasa alia, nempe aërea, quibus aërem excipiat expellatque: sunt rima glottidis, trachæa, bronchia. Igitur, si aër fluidus, elasticus, gravis, glottide in trachæam & bronchia admissus, inflet hos tubos, ramos, vesiculas; augebitur & orbicularis amplitudo & fistularum longitudo. Adsurgent rami in angulos majores, lobi erigentur. Vesiculæ pulmonales antea per conplicationem figura planiores, jam in rotundiorem extendentur; hinc spatia inter squammosa segmenta, ramos vesiculasve, augebuntur; puncta contactuum minuentur pro ratione ingressi tunc aëris; cujus quantitatem miro experimento docet corpus balneo insidens, aut efflatio ejusdem aëris in tale vas, quod barometro instructum sit.

Pulmonalis jam arteria, a primo ex corde ortu statim curvata, in innumerabiles ramos divisa, simul forte ibidem in arterias sanguiferas, seriferas, lymphiferas, omnium alibi reperiundarum serierum resoluta, cum asperæ art. ramis distributa, ultimis suis ramis [demonstrante MALPIGHIO, *Ep.* I. 2. *Tab.* I. *f.* I. 2. 3.] superficiem vesicularum reticulari opere coronat; spatia inter has media similiter occupat, quæ cellulosa

spa-

ſpatia vocans, atque ibi infinitis anaſtomoſibus arterioſis gaudens, in venas abit.

Quæ venæ, flexu illi, quem arteriæ habent, ſimili, tum decurſu, textura, locoque, ſanguinem illum, quem advexerat & mutaverat arteria pulmonalis quique vix permanentes ſecretiones paſſus erat; revehunt in venas pulmonales majores, in quatuor plerumque magnas venas, per has in ſinum venoſum pulmonalem, in auriculam deinde ſiniſtram & cavum cordis ſiniſtrum.

Ex qua pulmonum fabrica eorumque mutatione per aërem atque celeri trajectu tum ſanguinis, tum chyli, intelligitur effectus in chyloſo ſanguine productus, actione nunc expoſita reſpirationis.

(Sequuntur nunc in *codice* HAENIANO quædam conſiderationem phyſiologicam actionis pulmonum concernentia; omiſi ea, quum in peculiari doctrina aliunde uberrime habeantur expoſita.)

Qui actionem pulmonem (in Phyſiologicis traditam) conſiderat, unico intuitu videt, quæcunque ex vitiata eorum œconomia ſequantur oportet.

Si violentior rapidiorque fiat motus ſanguinus per arteriam pulmonalem, etiam celerior evadit motus reſpiratorius, ut ſanguinem, velocius copioſiusque advectum, verſus cor ſiniſtrum propellat; oritura alioqui mox pulmonum inflammatione. Quamdiu æquivalet ille motus reſpiratorius motui ſanguinis, *febris* oritur *univerſalis*; ſed, ſi pulmo defatigatus non ſufficiat illi motui obeundo, inflammatur *pulmo*.

Verum ex obpoſito, ſi motus ſanguinis per arteriam pulmonalem fiat languidior, chylus haud ita mutatur, haud ita ſubigitur crudiorque manet; unde nec inde ſanguis tam bonus paratur. Sanguis ergo minus conpactus, crudo chylo onuſtus, minus nutrit. Si diu duret hic ſtatus, deeſt tandem ſanguini plaſticum illud

nutriens; unde *cachexia* oritur, quæ eſt humorum prava conmiſtio: oritur *atrophia*, ubi ſcilicet corpus deſinit nutriri: oritur *phthiſis*, eo, quod ſanguis ſtagnet, lentus infarciat vaſa lateralia, obſtructiones creet & producat hoc modo *febrim lentam*; quæ pedetentim *inflammationes* vix notabiles, vix cognitas, deinde *ſubpurationes* lentas generet.

Cui ecquidem vitiorum catenæ producendæ unus pulmo ſemper in culpa non eſt. Muſculi abdominales, vel diaphragma, vel pleura, vel coſtæ, vel muſculi intercoſtales, vel muſculi majores, qui coſtis adjacent, vel ſternum, ejusque muſculi, vel cartilagines coſtarum, quacunque ratione inflammata, obſtructa, vulnerata, obrigeſcentia, ineptum reddunt pulmonem: immo vitiatam reſpirationem vidimus in illa Xantippa, quæ poſt choleram morbum hic interiit; nempe a vitiata figura thoracis, cum optimo pulmone. (Miri hic ſane nil eſt, & non adeo infrequenter ex male formata thoracis conpage oſſea læſa magis minusve pulmonum actio: unde magna cura habenda parentibus, ne ancillæ aut arcte nimis adducant faſcias, thoracem infantum cingentes; aut ita geſtent, ut thorace incumbant manui ſubpoſitæ; quum ſic flexilia tum plurimum adhuc oſſa facillime formam nanciſcantur malam, per omne reliquum vitæ tempus permanſuram, variaque producturam incommoda.)

Vitiatur quoque hæc actio cum optimo pulmone & thorace, dum hydrops, vel tympanites (vel ut in quibusdam rarioribus caſibus, magnitudine excedens cor), vel obſtructio notabilis, vel uterus gravidus diaphragma ſurſum premendo, cavitatem thoracis arctant.

Hinc, qui pulmoni medetur, ille hæc omnia dicta, (una cum quantitate & qualitate alimentorum,

quibus

quibus respiratione laborans peccante usus fuit, aut utitur;) præ oculis habeat; ne, perversam viam ingressus, quandoque plus noceat, quam prosit.

Huc referantur omnes peripneumoniæ, pleuritides, paraphrenitides, inflammationes, omnium dictarum partium. Huc referendi omnes illi morbi, qui debilem respirationem sequuntur, & a quibus innutritio, marcor, debilitas, leukophlegmatia, hydrops, phthisis, nascuntur.

§ 821. *Secretionis urinæ læsæ* &c. Hæmatopoieticis visceribus explicatis *magnus* PRÆCEPTOR convertit sese ad uropoietica viscera; quæ quadam ratione ad hæmatopoietica pertinent, quia ab hoc sanguine, sic confecto, auferunt omne acre, oleosum, terrestre, aquosum; quod noceret, si conmistum maneret: hinc res summi sane in praxi momenti.

1) Recensenda venit ISCHURIA, (*) *nempe integra retentio urinæ*, nullo modo excretæ; cujus causa primaria:

1) *Plethora*; ut enim plethora omnia vasa, ita nunc præprimis inplet extenditque vasa arteriosa renum; unde fit, ut tubuli Belliniani non excipiant secretum a sanguine lotium: itidem potest inflammatio occupare ureteres, vesicam, urethram, dum nimia plethora harum partium vasa nimium infarciat; ita, ut quacunque demum causa sanguis velocius motus in hæc vasa, inflammationem producat.

 Distin-

(*) Ἰσχουρία; οὖρον, *urina*; ἰσχυρος, *validus*, *potens*, *firmus*. Minus adæquata significatione hunc morbum designavere V. V. urina valida, firma: an quia urina valide firmeque retenta? *de H.*

Diſtinguunt Auctores in iſchuriam *veram* & *ſpuriam*. Sunt, qui hanc nunc recenſitam *ſpuriam*, eam, quæ inpediat plenam veſicam ſe evacuare, *veram* vocent: alii, qui inflammatoriam *ſpuriam* adpellitent; aliam quamcunque *veram*.

Vera iſchuria adeſt, ubi ſecretio deeſt; *ſpuria*; ubi excretio. Ergo, ſi ſecreta retardetur urina a calculis in pelvi, in uretere, in introitu ad veſicam, in veſica, in urethra; ſemper eſt iſchuria ſpuria. — Prior periculoſior; ſed etiam ſpuria, ſi adeo alta, ut cathetere nequeat educi urina, eſt quoque periculi plena.

Quæritur, cur iſchuria adfecto rene uno, inflammato, alter ren non continuet urinæ ſecretionem; ut, ſi non æque copioſe, ſaltem aliqua urina ex veſica prodeat? Immo, quum tot exemplis tum in hoc ſyſtemate, tum in aliis viſceribus pateat, una parte obſtructa alteram ejus defectum ſubplere; quæritur hinc, cur non æque fere copioſa urina prodeat, inflammato rene uno, per alterum liberiorem?

Reſp., neſcimus, quid aliquando fiat; an nempe non ſæpius ambo renes ſimul inflammentur in hac iſchuriæ ſpecie. Phyſiologice rem conſideremus. Ex diametro arteriarum renalium ingenti concludunt, illas arterias $\frac{1}{8}$ ſanguinis totius corporis excipere. Si jam humores in homine adulto adeo ſubputentur copioſi, ut ſpatio horæ unius, i. e. per 4000 pulſus, 100 unciæ pertranſeant per renes [*v.* HALLERUM in *Phyſiologia*], non mirabimur, ſi unus ren non poſſit totam illam copiam ſimul admittere, quam olim ambo: unde obrutus, ſi non omni, majori longe tamen copia, ejus, qui ad renem adfectum ſolebat pergere, obſtruitur facile & inflammatur. Unde ergo ſæpe uno rene inflammato, alter quoque obſtruitur, inflammatur. Apud

BONE-

BONETUM in *Med. Sept. l.* 3. *c.* 20. *p.* 815., refertur, ifchuriam hujus generis 17. die lethalem; ubi poft mortem uterque ren adfectus inventus. Plurima ibidem habentur talia exempla. Hoc ita neceffarium RIVERIO vifum fuit, ut *cap. de ifchuria* neget, dari ifchuriam ab adfecto uno rene, fed ab ambobus.

Attamen fatendum, apud BONETUM, aliosque Collectores cafuum, dari multa admodum exempla lethalis ifchuriæ, ubi unus modo ren, aut ureter, adfectus fuerit.

Hinc concludendum, altero rene adfecto, poffe alterum distendi in fuis arteriis ita, ut hæ amittentes plane tonum fuum nequeant propellere fanguinem: unde fuffocata ibidem circulatione urina non fecernitur.

An rene uno inflammato alter fpafmodice adficitur; ita, ut caufa potius effet in nervis, quam arteriis quærenda? Nervi renum parvi funt, fed plexuofi decurrentes circumligant arterias renales. An igitur arteria una male in rene uno adfecta, nervi hi conftringerent ramos alterius, ut fanguis vix penetrare per illas poffit?

Spafmos poffe conftringere canales fat magnos, pluribus exemplis Vobis demonftravi alia occafione; adtuli exemplum juvenis epileptici, qui duobus abhinc annis œfophagi fpafmo, deglutitionem omnino inpediente, per 13 dies laboraffet. — Sed in graviffimo fpafmo hyfterico, urina, fpafmodice adfectis renibus, aquofa & copiofiffima prodit: ergo fortiffimus fpafmus non facit ibi ifchuriam.

An fanguine per renem unum inflammatum inpedito infarcitur ren alter, ita, ut nil fecernat? Sed cur tunc etiam non dolet, non inflammatur? Quotiesne etiam inventum, quod unus ren, aut ureter, calculo

tantum laboret, dum interim iſchuria toties in vita adfuiſſet.

Cæterum in oculorum inflammatione videmus, alterum ſine altero raro diu adfici: an non ſimile quid in podagra, cheiragra &.?

Verum præter omnes has cauſas adlatas in textu, neceſſe eſt, & aliam dare ex ſequentibus obſervatis.

WILLIS *op. omn. in fol. edit. Venet. T. II. ſect.* 4. *c.* 3., agens de diabete & iſchuria, priorem a nimia ſanguinis diſſolubilitate, alteram ab eodem nimis conpacto, deducit. Tunc addit: „huc facit obſervatio anatomica ſuper cadavere Rev. Epiſcopi Ceſtrenſis nuper facta. Quum Inl. ille Dominus, diu calculoſus, demum a ſubpreſſione urinæ diuturna fatum obierat, mox præſumebant omnes, lethi cauſam fuiſſe ureteres a lapide aut materia ſabuloſa penitus obturatos: attamen, diſquiſitione per anatomiam adcuratiſſimam adhibita, nulla omnino in ductibus iſtis obſtructio, aut lotii inpedimenta, deprehendi poterant. — Similem huic obſervationem anatomicam, haud pridem a ſe factam, retulit mihi Vir doctiſſ. D. D. LOVER [LOWERUS]: ubi nimirum iſchuria lethalis nulla prorſus circa vias urinarias ſui veſtigia reliquerat, Hinc ut conjicere obvium ſit, ſiquidem renes inſuper ſarti tecti erant, morbi cauſam omnino in ſanguinis concretione & conpactione nimia conſtitiſſe.“

Jacobus THEVART, magni BALLONII, interpretis HIPPOCRATIS digniſſimi, pronepos, edidit opera BALLONII omnia, eisdem adjungens ſuos commentarios. In *T. I. p.* 109. *comment.* in *l.* 2. *epidem.* BALLONII hæc leguntur: „Duo inſignes homines, Quæſtor LE VEAU & *D.* MORLETUS Conſul regius, a ſubpreſſione urinæ interierunt. Chirurgus, qui cadaver ſecuit, adfirmat, nihil conmemoratu dignum reper-

pertum esse, [nisi quod caruncula in *D.* LE VEAU adesset] quod urinam subpressisset; & tamen Medici diureticis vehementissimis ægros valde exercuerunt. Immo *D.* MORLETO datæ potui cantharides: hinc gravissima & valde terrifica symptomata sequuta sunt."

Daniel SENNERTUS ex CARPO & JACOTIO similes historias refert ischuriarum spuriarum cum integris renibus. SCHENCKIUS *T.* 3., *Obs.* 100., *p.* 339.; *edit. Friburg.* 1596., casum habet filii HENRICI Saxoniæ Ducis, anno duodecimo ætatis ischuria mortui, sine ulla guttula urinæ in vesica, cum bonis renibus & ureteribus: verum urinosus odor vomitu & in universum corporis habitum se diffuderat. Habentur hujus rei exempla sufficientia apud eumdem Auctorem.

Ex his omnibus exemplis colligimus, ischuriæ spuriæ causam sæpe esse talem, quæ a morte nulla sui vestigia exhibeat. An, quod sanguis ita tenax & intime mistus, ut suam lympham & sales non dimittat? An, quia hæc sudore, aut alvo, per alias vias secedant? An spasmus constringit Bellinianas fistulas, ut lotium haud admittant? Non miremur, talia contingere hic loci, quum secretiones aliæ quandoque sic subsistant penitus. Nonne perspirabilis materies aliquando videtur a sanguine non secerni; dum, cute non prodiens, nulla alia via se exonerari manifestat? Sed nec inpune hoc ferunt homines; ut nec lymphæ urinosæ secretionis defectum.

Tum & obstructio a lapide, pituita, pure, thrombo, caruncula, apostemate, tumore.

Calculus igitur pelvin, aut ureterem, aut vesicæ collum obstruit; quod, quum sæpe in alterutro renum, aut ureterum, tantum observatum sit, ischuria sequente lethali; necesse est, iterum hic subponere spasmodicam adfectionem alterius sani, sive renis, sive ureteris.

Sed

Sed a ſpaſmo renum &c. urina aquoſa, copioſa; ut in hyſtericis, hypochondriacis: cur hic nulla? Vix comprehendimus rem; tamen a poſteriori veram eſſe, novimus ex laudatis ſupra BONETI exemplis. Non adferam hic Vobis exempla inventorum in renibus & ureteribus calculorum, quum id doceat quotidiana experientia & apud BONETUM innumeræ inſtantiæ proſtent.

Vidi ſudaſſe multum Lithotomum, ut educeret ex veſica calculum prehenſum, cathetere & ab ipſo & ab aliis circumſtantibus Chirurgis manifeſto detectum. Re infecta Operator deſtitit. Vixit juvenis aliquot menſibus poſtea ac tandem obiit. Præſens vidi in cadavere, quod calculus hæreret in fine ureteris ad ipſam veſicam. Ureter ab illa parte continuo a calculo frictus, calloſus admodum & craſſus redditus erat; ita, ut pollicem caperet. Oportet, ut ſæpe una extremitate eminuerit intra cavam veſicam, & quando ita cathetere perceptus fuerit, extrahi non potuerit.

Pituita, in corporibus admodum glutinoſis & lentis. Dum enim videmus, corpora illa externe tumore lento, paſtaceo, turgere & obſideri; cogitamus facile, & in interioribus poſſe illa materia repleri. Pituitoſus humor, vermis inſtar, ſic ſecretus per urinam legitur. BALLON. *Paradigm.* 34. adnotavit ſequentem caſum. „ Dolebat ſartor quidam, & ſubpreſſionem urinæ quamdam patiebatur. Erat autem pituita obſtruens urethram, quæ id faciebat. Ille, dum niteretur acu pituitam aut inducere, aut educere, ea [acus] forte inpacta iſti pituitæ, introducta eſt. Tribus poſt annis eductus eſt a Lithotomo lapis: hic iſta acu erat transfoſſus. Nunquid id miraculi inſtar eſt? " (Foret, niſi exemplis non infrequentibus aliis conſtaret, non ſolum thrombulum ſanguinis, pituitam firmiorem &c. in ipſa veſica antea hærentia, ſed & varia corpora, extrinſecus in-

infortunio, remedii loco, ludibrio, aut lascivia, per urethram in vesicam delata, basin, seu nucleum, præbuisse calculosæ materiei, illa sensim sensimque incrustanti; ut demum magnus nonnunquam increscere calculus; qui vel lithotomia, vel post mortem, exemtus, diffractus, inhærentia illa corpora exhibuit.)

Apud HOLLERIUM, *cap. de calc. vesicæ*, Advocatus non mejebat a pituita in vesica subcrescente. Alius intolerabili cruciatu pituitæ, quæ in crystallum concreverat, partes aliquot excernebat. Præses pituitam lentam, corruptam, magna quantitate mejebat.

GALENUS *l.* 2. *c.* 5. *de loc. adfect.* ait, ubi renes in ureteres abeunt, sibi dolores obortos, ac si terebra perforarentur; suspicio calculi: vitream pituitam excrevit; sanatus est.

Secundum BALLON. *Paradigm.* 156., idem, quod GALENO, domino cuidam contigit. „Frustraque, ait, ei, tanquam calculoso, manum auxiliarem adhibebamus: nam post infinita prope remedia per penem frigidissima pituita, dolorem inferente, excreta convaluit."

Pure, v. g. in renibus formato, spisso, & ita confertim per pelvim ducto, ut, tum copia, tum spissitudine ureterem obstruat: ut toties vidistis in calculosis. Potest enim vias claudere, ut sæpe factum in nostris: unde candelis, sive turundis, opem tulerunt. — Possumus tamen in his falli. HOLLERIUS *de calc. ves.* & BALLON. *Paradigm.* 60. „Mulieri cum cruciatibus purulenta urina profluebat. Quarto post mense interiit. Duo calculi in corde cum multis abscessibus reperti. Renes erant integri & viæ urinariæ. Mirum, quî tantus dolor cruciaret.

Throm-

Thrombo, ſive coagulato ſanguine, qui aliquando anaſtomoſi, aut ſæpe diabroſi in renibus aut ureteribus natus, viam obturat; ſive in pelvi, ſive in ureteribus, ſive ad veſicæ collum. *Celeb. Leydenſi Prof.* DRELINCURTIO ſæpius ante mortem ope catheteris tales thrombi, vermium ſpecie, educendi erant. Jurarent hi ægri, calculum ſibi in veſica adeſſe, &, ſi jam procedere incipiat (thrombus) calculi inſtar (cui, ut ſupra monui, ſæpius baſin præbet), viam urinæ plane præcludit. Si in veſica jam hærent, cathetere ſæpe deteguntur.

Caruncula, (*) *apoſtemate*, *tumore*. Lis coorta dudum inter Auctores ſiphylicos, denturne in urethra carunculæ? Super hiſce malis haud incongrue ſcripſit Pariſienſis Chirurgus DARAN, *Tract. gallic. de morb. urethræ*, multa bona obſervata practica continente & longe lateque de iſchuria, ab hac cauſa oriunda, & curata, agente. Forte tota lis de nomine eſt. Caruncula enim vocari poteſt poſt male curatas, vel inveteratas, gonorrhæas, fungoſum quid; quod alio atque alio tempore fungoſius, ſive humoribus turgentius, viam urinæ præcludat; humoribus minus adfluentibus minus turgens, tranſitum urinæ concedat. Id, ut credam, inducor, quia vidi, qui iſchuria per dies laborarent, iterumque non laborarent; poſt ſemiannum iterum &c. Dum hi homines inmitterent per aliquot dies candelas dictas

(*) BALLON. *Paradigm.* 61. „Mercatori, dysuriam patienti, ſigna omnia calculi. Secto non reperitur lapis: ad collum veſicæ caro concreverat; idoneis conſumta remediis convaluit.“ Obſervationem hanc in margine codicis HAENIUS adtulit. *de* W.

dictas illius DARAN, videbatur sensimconsumi id obstaculum iterque liberum pandi. Candelæ variæ ab ipso sunt excogitatæ: aliæ enim dicuntur tantum viam patulam reddere; aliæ leniter, aliæ paullo fortius, consumunt partes excrescentes. Dudum constitit ex nuperrimis scriptis chirurgicis *eruditissimi* SHARP, constare candelas illas ex antimonio crudo, mercurio & emplast. diachyl. c. gummi.; sed simul multa insunt, quæ incognita erant.

Paucis septimanis, antequam Belgium reliqui, contigit, ut famulus quidam ejusdem DARAN Hagam Batavorum adpellens, diceret, se casu nosse Magistri arcanum: contigisse enim, ut, dum ille in laboratorio suo occupatus candelis præparandis esset, subito a viro nobili, ipsum consulturo, interpellaretur. Magistro ergo subito ex laboratorio discedente, ex toga cecidisse formulam, quam famulus illico adreptam scripto mandavit, tumque eodem, quo ceciderat, loco reposuit. Sancte id adfirmavit ille Chirurgus, & juramento confirmavit coram viro amplissimo Societatis Indiæ Orientalis Moderatore, sive Directore, a quo petebat supremi Chirurgi munus in navi indica. Dedit vir amplissimus ipsi hoc munus pro communicato hoc arcano, sed serio admonens, ut, si posthac illum fefellisse falsoque jurasse constaret, in Indiis ipsis ut perjurus puniretur. Iteravit juramentum & diris se devovit, quibusvis, si fefellisset. Moderator ille vocavit mox suum Chirurgum eique hoc scriptum dono dedit, a quo Chirurgo ego id habeo.

CAN-

CANDELA.

℞. Empl. diachyl. c. gum. ℥ij.
—— c. mercur.
—— ſapon. aa ℥iij.
ceræ flav. ℥v.
picis nigræ ℥ij.
reſinæ ℥ij.
axung. ℥iij.
antim. crud. ℥ij.
æthiop. min. ℥ij.
lytharg. aur. ℥iij.
merc. dulc. ℥ ß.
petrol.
ol. hyperic. aa ℥ij.
— guayac. ℥j.
diſſolut. mercur. ſpiritu nitri factæ ℥ij.
M.

CANDELA.

℞. Emplaſtr. diachyl.
——— c. mercur. aa ℥iij.
ceræ virg. ℥iv.
ceruſſ. ℥ij.
ſapon. alb. ℥j.
calc. viv.
ol. chamom. aa ℥ij.
— ſpicæ
— guayac. aa ℥ß.
cinnab. mercur. ℥ij.
diſſolut. merc. ſpir. nitri factæ ℥j.
M.

SONDA.

SONDA.

℞. Emplaſt. diachyl.
——— diapalm.
ceræ flav. aa ℥iij.
ſang. drac. ℥ij.
oc. cancr. præp. ℥j.
minii
emplaſt. diapomph. aa ℥ij.
balſ. peruv. ℥j.
ol. chamom. ℥ij.
— guayac. ℥j.
bufon. ℥ij.
M.

Liquefactis his ſindonem, Taftas, inmittunt, in longas lacinias ſciſſam, & ubi tepeſcit, convolvunt in turundæ ſpeciem, variæ tum longitudinis aut craſſitiei. Primum plus, alterum minus mercurii habet; ſed alterum plus rodit ob additam calcem vivam: tertium genus inſervit tantum catheteris inſtar aperiendo.

Verrucæ venereæ, ut coronam glandis obſident, videntur aliquando urethræ internam ſuperficiem, immo loca prope caput gallinaceum, occupare creareque iſchuriam. Res fere conclamata aliquando, dum nulla ratione queant urinæ vel guttulam reddere. Tum ſummo ſæpe cum dolore per catheterem, aut candelam, fit apertura. In his caſibus candelæ utcumque corrodentes juvant: ſed an non metuendum, ſi agant corrodendo, ne etiam ſanis partibus urethræ noceant? Sane nimium exſultanter DARAN gloriatur, quod non niſi adfectam partem adtingant; immo, quod ipſe adfectus locus in candela extracta indicetur, pure adhærente; quod ridiculum: tum, quod candelam extrahendo pus in fine adfixum a canali tam anguſto abſtergi debeat; tum quod

ſæpius contrarium præſens viderim. — Uſum tamen, ut dixi, poſſunt habere; ut & quando ulcuſculis venereis internis cicatrix dura inſidet mejendíque efficit difficultatem; optime tum duritiem conſumunt. (*)

Sunt ſane in lue venerea in his locis mala, tum polymorpha, tum formidanda; ut mirari juvet, adhuc dari, qui cum ſcortis rem habere auſint. Vidi viros venerabiles in ſenectute lugentes lubricas juventutis ſordities, quibus effectum eſſet, ut poſt deſperatas ferme iſchurias, tandem ad collum veſicæ cathetere inducto absſceſſus rumperetur; qui incaſſum adhibitis famoſiſſimorum per Europam virorum medelis ac ſpecificis, perpetuo pus fuderit magnasque in mejendo creaverit difficultates. Immo viſi ſunt, qui exulcerata interna urethra præ doloribus urinam diu retinentes, poſthac, dum reddituri eam eſſent, non poſſent; quod exulcerati parietes ad ſe invicem conglutinati eſſent; malum, ut intelligitis, difficulter dolorificeque curandum.

Quin apud eumdem DARAN habentur exempla hominum, qui ab iſchuria ſæpius liberati per candelas, aut catheteres, demum ita concretas habuerint has partes, ut etiam nullis turundis, aut arte ulla, eſſet urethra aperiunda. His ergo neceſſario moriundum fuit. Quibusdam vitam ſervauit, pertundendo veſicam in perinæo, ut in lithotomia; dum interea candelis ſuis tempus

(*) Eſt cura ſimilis illi, quam commendavere AMATUS LUSITANUS, SENNERTUS, FORESTUS &c. *V* SENNERTUM *T. IV. p.* 591.; FOREST. *l.* 25. *obſ.* 10.: LUSITANI candelæ paratæ erant ex viridi æris, auripigmento, vitriolo, alumine, lithargyrio, ol. roſac., cera, reſina, *&c* H.

tempus haberet, conſumendi id, quod concretionem faceret: vulnus enim lethale non eſſe, docet lithotomia; & veſica, ibi turgens, facilitat ſecretionem.

Alia cauſa ſive iſchuriæ, ſive dysuriæ, aut ſtranguriæ, refertur a SENNERTO *veſicæ ſcabies.* Exempla non adfert, ſed ut rem, quæ probatione non egeat, de ea ſcribit *l.* 3., *part.* 8., *ſect.* 1., *c.* 6. (*) RUYSCHIUS vero *obſ. anatom.* 78. exemplum notiſſimum habet, figura delineatum: quæ nimirum ſcabies primo ſtrangurias producit, & in qua veſicæ ſubſtantia ita increſcit, ut latum digitum æquet; „ex hoc adfectu ſcabioſo, inquit, ortum quoque ducunt tumores, ſeu excreſcentiæ glanduloſo-carneæ, ex interiori veſicæ tunica propullulantes; quæ, ſi prope collum veſicæ hæreant, non raro iſchuriam inducunt tantam, ut non niſi cathetere inſerto lotium reddi poſſit." Porro talia corpora, iſchuriam facientia in veſica ſcabioſa, referuntur *fig.* 62.

Alia iterum cauſa iſchuriæ eſt peſſimus *mos, urinam retinendi;* ſive id fiat eo, quod verecundia, vel, ut olim in Judæo vidimus, ſuperſtitione, homo adducatur. Sæpe ita extenditur tunc veſica, ut fibræ vim amittant ſuam, ſe contrahendi; adeo ut, quidquid faciat homo poſtea, ne guttulam quidem ultra reddere poſſit. Cathetere quidem educitur urina & levatur homo ad tempus; verum, quum veſica iners man-

R 2 ſerit,

(*) Nomen ipſum novum non eſt, quum HIPPOCR. ejus jam meminerit *Aph.* 4—77. „quibus in urina craſſa exiſtente, furfuracea, ſimul minguntur, iis veſica ſcabie laborat." Verum ut iſchuriæ cauſam hic non recenſet HIPPOCRATES, *de* H.

ſerit, brevi iterum idem malum aderit; niſi tempeſtiva cura adhibeatur. (Quin gravius adhuc, nunc dicto, malum, ab retentione nimis protracta lotii, naſci poteſt, & natum fuit, veſicæ disruptio: id mortis cauſa fuit celeberrimi Aſtronomi TYCHONIS BRAHE; cui, cum *Imperatore* RUDOLPHO II. rheda vecto, urinamque urgentem ſummo niſu, ob nimiam ſane verecundiam, retinenti, tandem cyſtis crepuit urinaria. Præceptores juventutis ac Pædotribas hac occaſione culpare omnino debeo, qui verberum conminatione prohibent, ne puerorum quisquam, urgente licet natura, palæſtra litteraria exeat. Probe ſcio, quid in contrarium obponere queant: ſed & atonias veſicæ, iſchurias inmedicabiles, hernias, ſyncopes &c., inde ortas eſſe, adverſus experientias triſtes certasque ne mihi negare velint, talium rerum minus gnari, expeto.)

Apud WEPFERUM & præcipue apud BONETUM, plures aliæ cauſæ reperiuntur iſchuriæ; nempe uterus lapide tumens; induratæ & fere coagmentatæ fæces in inteſtino recto collum veſicæ premente; dura corpora creſcentia inter rectum & collum veſicæ &c. Apud BALLONIUM *T. I. p.* 103. culta nimium Venus, licet legitima, ita ſenem occidit iſchuria: probat ſuam & obſervationem & ſententiam auctoritate PARÆI. Huc etiam pertinentia exempla paullo poſt ex *Cel.* RUTTY & BAGLIVIO adducentur.

Quæritur: quamdiu homo vivere poſſit cum ſubpreſſione integra urinæ?

Communis ſententia fuit, non poſſe vivere homines, qui per 7 dies eſſent iſchuriam paſſi, etiamſi, cauſa remota, mingerent; ob febrim accenſam & natam putredinem. Ita diſerte SENNERTUS *l.* 3. *p.* 3. *ſect.* 2.

Hiſto-

Historiæ autem fideliter adnotatæ Auctorum, vitam sat diu prolongatam ostendunt. BONETUS *Med. Sept. T. I. l.* 3. *p.* 850, refert homines tres ex *Ephem. N. C.*, quorum primus post ischuriam 15ta die demum mortuus est; altera post ischuriam 12 dierum sanata est; tertia per totos 22 dies ischuria laborans sanata revixit.

FORESTUS *l.* 24. *obs.* 29. testimonia adducit eorum, qui 17 diebus laborarunt ischuria, & tamen sanitati redditi sunt.

WINCKLERUS apud BONETUM *l. c.*, vitam redditam uni scribit post 11 dies, excretis tunc calculis: eidem sequenti anno ischuriam renatam per 13 dies duraffe & vitam ademisse. Alius casus est apud BONETUM, ubi homo per aliquot annos supervixit, cui adfuerat ischuria 22 dierum. Refert, p. 814., ischuriam 30 dierum.

Acta Parisina 1715 habent epistolam Medici Mantuani, in qua refertur, Religiosam per 40 dies urinosam vomuisse materiem, & nil e vesica misisse, nisi quotidie unc. j. ope catheteris. Curata sponte; bene valuit. Sesquimense elapso rediit ischuria, durans adhuc die 32., quo Medicus scribebat has litteras; finis observationis notatus non est.

Sunt tamen casus (nunc relati) rariores. TULPIUS adfirmat, vidisse se neminem, qui undecimum diem supervixerit. Ad 7. 5. 4. diem multi moriuntur. Mulier, quæ anno præterito prima in nosocomio nostro mortua fuit, septimo ischuriæ spuriæ die periit.

Ad curam accessuri, si catheter inductus non solvit bonam urinæ copiam, primo prognosin faciamus summi, quod instet, periculi; ut parcamus famæ nostræ & noscat æger ipse suum discrimen.

1) Iſchuria a plethora ſuffocante vaſa renalia, aut ureterum, aut colli veſicæ, curabitur cura generali plethoræ, eaque cauſa iſchuriæ forte ex minus periculoſioribus eſt: nam plethora ſoluta cito ſpes eſt, fore ut arteriæ renales depletæ minus premant bellinianas fiſtulas atque ita reſtituatur urinæ ſecretio.

2) Si ab inflammatione renum, ureterum, veſicæ, colli veſicæ, urethræ; cura inflammatoria inſtituenda omni modo, cum peculiari directione externorum remediorum ad loca inflammata: clyſmata ſint adſidua.

Morbus cito occidens ſæpe gangræna, quando veſicæ excoriationes, aut ejus colli, aut urethræ, exulcerationes &c. in cauſa ſunt. Cortex peruvianus cito dandus & pertinaciter. Sic *Spectab.* HENTSCHEL ſervatus eſt: febris magna erat, continua, remittens.

3) Si adfectiones ſpasmodicæ, v. g. in muliere hyſterica, iſchuriam faciant; quies, averſio animi ab illo objecto, quod ſpaſmos fecerit; fomenta emollientia & carminantia, enemata talia, miſturæ antiſpaſmodicæ, antihyſtericæ, oleoſæ, paregoricæ, v. g.

℞ Aq. menth. ℥vj.
tinct. ſuccin.
ſpir. c. c. aa. ʒij.
ſyr diacod. ℥iß.
ol. amygd. v. o. ſ. ℥ij.
M.

Sumat quovis bihorio cochlearia duo.

4) Si iſchuria oriatur a cauſa illa, obſervata tantum cadaverum ſectionibus; nempe, quod urina non videatur a ſanguine ſecerni, ſed intime eidem conmiſta manere; ea, quum nos lateat, & ſæpe ſub ſpecie aliarum cauſarum ludat, difficulter curabilis. Catheter inmiſſus, & abſentia tumoris ſupra pubem & ad perinæum, docebit ſpuriam eſſe. Cura cæterum evacuans

&

& refrigerans, quam plethora, cui forte adſcribetur, ſuadet, prodeſſe poterit.

Sed ſi conjecturemus, quia ſigna aliarum cauſarum deficiunt, forte talem ſubeſſe cauſam; utique diuretica varia, quæ ſecretiones urinæ a ſanguine copioſiores aliis in caſibus faciunt, poterunt hic in uſum vocari.

℞. Aq. gram.
— petroſel.
— fœnic. aa ℥iij.
ſyr. glycyrrhiz. ℥iß.
ſpir. ſal. dulc. ʒiij.
M.

Sumat quavis hora cochlearia duo, ſuperbibendo ſeri lactis frigidi ℥iij., cum regimine ad diureſin.

℞. Cicer. rubr. ℥iij.
uvar. paſſar. ℥ij.
ebull. in ſ. q. aq. per hor.
colaturæ pintæ adde
roob juniper. ℥iij.
ſpir. ſulph. p. camp. gutt. xxx.
M.

Sumat quovis quadrante horæ 2 cochlearia.

℞. Therebinth. ʒj.
glycyrrhiz. raſ. q. ſ.

M. f. pil. gr. vj. Sumat quovis quadrante hora unam cnm hauſtu vini junioris ſubacidi.

℞. Milleped. vivor. ℥ß.
vini alb. ſubacid. junior. ℥iv.

conterantur bene & linteo exprimantur. Sumat duo cochlearia quavis ſemihora.

(Naſcitur ex hac unione ſpecies ſalis ſubammoniacalis, vegeto-animalis. Novi autem, eumdem effectum obtineri poſſe, aut dando ſal c. c. depuratum, unitum cum vino ſubacidulo; aut aliunde

notum ſal medium, naſcens ex connubio ſalis alkalini volatilis cum aceto. Utrumque minus guſtui adverſum ſucco illo conquaſſatorum millepedum cum vino miſto.)

Glycyrrhizæ recens effoſſa radix hic quoque laudatur.

Ribeſia nigra, ſi tempus ſit, ut haberi poſſint, potenter ciere urinam videntur: ſed reeentes oportet habere; nam ſi in roob mutentur, periit omnis eorum virtus, & vix a roob ribeſiorum rubrorum aut alborum differt hoc roob, niſi colore.

(Cient autem urinam roob ſpinæ cervinæ, ebuli, cynosbatos, ac inprimis ſambuci: tantam vim urogogam ineſſe ſambuco experimentis conſtitit, ut decoctum ligni, viridis inprimis, hæmaturiam demum excitaret. Ligni quoque juniperini decoctum, eleganter roſeum, non ultimum inter diuretica locum promereri, non uno experimento didici. Sed de his in *Materiæ Medicæ* regno agendum.)

TULPIUS diureticum potens retulit compoſitum ex vino malvatico cum ſemine urticæ.

Therebinthinata enemata injicere quoque juvat, & oleo ſcorpionum, anethi, therebinthinæ, renes & pubem inungere.

5) Si ab hæmorrhoidibus; hirudines adplicentur & clyſmata emollientia. *V.* MORGAGN. *Ep.* 41. *N.* 11.

6) Si a lapide hærente in rene, pelvi, aut ureteribus, iſchuria oriatur, id quod ſymptomata dolorum, vomitus, mictus cruentus (*) &c. docent; viæ maxime emolliendæ ſunt; emol-

(*) Stupor & dolor cruris adfecti lateris aliquando diſcernit, dolorem a calculo eſſe; qui, in uretere

emollitæ a ſpaſmis defendendæ. Oleoſa magna copia ore ſumta, ano inmiſſa, ſubinde opii granum ſumtum, videntur profore. Cæterum, ſi vires permittant, v. ſ. maxime proſunt. Eſt in nephritide, ſive inflammatoria, ſive calculoſa, hoc maxime proficuum, quod, ſi dubitemus, utra adſit, cura per v. ſ., enemata, epithemata, oleoſa, opiata utrique ex æquo profit. Et ſane ratio dubitandi ſæpe adeſt, quum viſcerum vicinorum ſpaſmi & convulſiones utramque comitentur: utrique enim dolores colici, vomitus &c. adſunt. Vomitus tales prodeſſe poſſunt, ſi calculus ex pelvi per ureterem incipiat prodire; perprimitur enim agitatione tanta. (Aſt, ſi calculus major, extremitatibus adamantinis, ſcindentibus, aculeatis præditus ſit, quales plures vidi & ipſe poſſideo; tum motu & concuſſione emeſeos eo fortius ſubinde incuneatur, quem tranſgreſſurus erat, ductui; adeo, ut hanc unice ob rationem emeſin aliquando ſubſequatur hæmaturia ob disſciſſa & vulnerata ductus latera interna, eaque perreptantia vaſcula hæmatophora). Verum ſi ſpaſmus, & maxime ſi inflammatio, renum adeſt, vomitus tales poſſunt eam augere. Jubet B. *cap. de Nephritide*, vomitus tales mellitis blandiores, mitiores, reddere; quo minus augeatur inflammatio.

Quodſi calculus noſcatur ex mutatione dolorum & mutatione ſpuriæ iſchuriæ in veram [id quod catheter docet] in veſicam deſcendiſſe, opera chirurgica

---

tere detentus, pſoam ſubjectum premit: ſi in rene, id non ita. *de H.*

eum educere præstaret (*). Verum, quamdiu id non fit oleosis & emollientibus multis vesica defendenda a calculi asspredine & adfrictu, ut & a putredine urinæ, quæ inbibitur circumquaque in calculum & novam advenientem urinam putredine inficit; & si ille, ad col-
lum

(*) Quando scimus calculi historiam a renibus in vesicam delabentis, certiores esse possumus: cæterum in hoc casu mire valemus decipi. *D.* RUTTY, Anglus, haud ita pridem scripsit *Tractat. de viis urinæ*; in eo, *sect.* 3. *part.* 2. ait: „Præcipue cognitio nostra nititur introductioni catheteris in vesicam, aut digiti in anum. Vidi tamen, catheterem fefellisse, occasione scirrhi, ita omnia calculi in vesica signa æmulantis, ut Lithotomus plane falleretur. Est & similis observatio apud BAGLIV. *l.* 1. *c.* 13. *sect.* 8. Hæmorrhoides fallere quoque possunt; licet minoribus stipentur doloribus. Medicus BAMBER casum maxime notabilem nobis dedit, in quo magna quantitas substantiæ tophaceæ, quæ mihi videbantur globuli esse induratorum excrementorum, in principio coli, prope ilei insertionem, erat locata; quæ premens rectum, ita symptomata calculi vesicæ æmulabatur, ut sola mors potuerit rei veritatem demonstrare. Hoc in casu inpossibile erat, ut non erraret vel dexterrimus Chirurgus: nam induratissimæ illæ partes catheteri resistebant & eumdem sensum manui Chirurgi dabant, quem vesicæ calculus; eratque sane faustum huic Chirurgo, ut æger moreretur, antequam operatio institueretur.“ *de H.*

lum veficæ hærens, ifchuriam faceret, fæpe projecto corpore in lectum, clunibus elevatis, fitu mutatur ita, ut urina transeat: cæteroqui cathetere removeatur. — Si ifchuria a calculo jam preffo intra urethram, cultro aperturam Chirurgus faciat educatque.

7) Si a pituita, quam temperies, forte & pituita olim per urinam excreta, docent adeffe, incidentia illa danda funt remedia: aloë, myrrha, fapo venetus, fapo amygdalinus, terra foliata tartari; v. g.

℞. Maff. pil. Ruffi ʒß.
fap. venet. ʒiij.
terr. fol. tart. ʒß.
thereb. q. f.

M. f. pil. gr. iv. Sumat omni hora iij., fuperbibendo hauftum frigidum aquæ felteranæ cum lacte.

Salia alkalina cum vino acido hic etiam profunt. (Uti & falia media, quæ paullo ante, loco fucci millepedum cum vino, propofui.)

8) Si a pure; detergentia fumma; balfama omnia, maxime therebinthina; glycyrrhiza recentiffima; aquæ fpadanæ multo cum lacte epotæ, hic funt falutataria. Pus vero figna præcedentia inflammationis, vel & ipfum pus quandoque in urina deprehenfum, manifeftant: notandum inprimis huc faciens exemplum *vid.* apud TULPIUM *l.* 2. *c.* 53. ubi femina, fordido & acri veficæ ulcere diu laborans, incaffum adhibitis omnibus, & re pro conclamata jam habita, demum ufu aquæ fpadanæ curata fuit.

9) Thrombus, ifchuriam faciens, oritur ex læfis vafis ab afperitate calculi. Remedium nullum, quam emollitio perpetua, thrombique nimis occludentis veficæ orificium catheteris ope exitum facilitare.

10)

10) Carunculas, verrucas internas, vidimus jam in præcedentibus, ab A. A. & R. R. inductis candelis ſanari. Sæpe proficua fuit ſequens medela :

℞. Scammon. gr. xv.
turbith. min. gr. iv. v.
M. f. pulvis, ex aqua ſumendus.

In ſpurio tractatu B. *de l. v.* narratur, ſtrepitu inſiluiſſe in matulam verrucas internas, ſumto hoc remedio.

11) Scabies, incraſſatio, innata tubercula, veſicæ, difficulter ſuperanda. Neque enim talia tubercula, creſcentia prope collum veſicæ, qualia loco antea *citato* RUYSCHIUS exhibuit, cathetere tam facile removenda ſunt, quam calculus ; attamen conandum eſt prudenter, leviter removere. Cæterum oleoſa, emollientia palliative proſunt. Forte & hic turbith minerale proficuum, ut in caſu præcedente.

12) A nimia diſtenſione nata iſchuria, jam quoad curam tractata eſt ſupra.

13) Iſchuriam natam vidimus ex ſeparatione ⅔ partium membranæ internæ veſicæ, ornatæ vaſis ſanguineis &c. : ita, ut refert ROHAULTIUS in *Act. Acad. ſcient. Pariſ.* 1714. *p.* 27. 28., membranæ hujus fruſtula fluctuantia & collo inhærentia inpediverant urinæ tranſitum. Separatis ſic tribus magnis laciniis urina libere fluxit. Sed debitis injectionibus ROHAULTIUS conatus eſt, veſicam internam curare. Curatus etiam homo eſt, ſuperſtite levi urinæ incontinentia.

Quam miranda aliquando proferat natura, ex TULPII *l.* 2. *c.* 48. patet. Eminxit amplam membranam mulier, obductam exilibus lapillis, ſine iſchuria. Contrarium ergo, quam in præcedenti, quid cauſæ ? Erat foramen in illa lapideſcente membrana, quo iter urinæ conceſſum : quum vero non niſi ſummis doloribus veſica

hunc

hunc partum eniteretur, orta eſt urinæ incontinentia diuturna, remediis tandem nervos roborantibus curata.

Tamen addendum ad hæc omnia, renem, immo renes, calculo poſſe obſideri, citrà ullum omnino ſymptoma, durante tota hominis vita. BAGLIVIUS & OOSTERDYCK-SCACHT viderunt talia exempla, dum caſu poſt mortem inveniebantur calculi renum.

Cel. OOSTERDYCK-SCACHT in *Orat.* 8. Febr. 1735. habita, ait: „ lapidem quatuor & quod excedit, uncias gravem in uretere, alium vero, ponderis unc. vij., ſine doloris ſenſatione in veſica hæſiſſe, & mihi & pluribus aperta oſtenderunt cadavera. “

BAGLIVIUS, *Prax. med. l.* 1. *c.* 9. „ Sunt, qui calculum habent in renibus, nec ullum iisdem dolorem parit: quod in duobus obſervavi, Bononiæ ſcilicet & Patavii; quorum cadaveribus diſſectis ingentes calculos in renibus vidimus, nec ullis ante vexati fuerunt renum doloribus. “

HEURNIUS in *Edit. oper.* FERNELII, *p.* 2. *l.* 6. ex uno rene in cadavere eduxit 70 parvos lapillos, & ex alio 80, absque eo, quod unquam æger ulla nephritidis ſymptomata paſſus eſſet.

BONETUS, *Med. ſept. l.* 3. *c.* 6. *ſect.* 25. ex *Anton. de* POZZIS refert, ex utroque hominis rene calculos 6. unc. pondere eductos. Homo ille ſitim inexplebilem paſſus fuerat, & urinam aquoſam ſolebat dimittere. Cæterum mingebat copioſe [ergo ob ſitim enormem quum multum biberet, non eſt mirum, urinam aquoſam fuiſſe] nunquam nephritidis ſymptomata erat paſſus, nec lumborum ſtuporem.

Quod etiam mirabile, RUTTY caſum refert, viſum ipſi GLISSONIO & CHAMBERLANO. Nobilis domicella poſt multa ſymptomata nephritica moritur: in utroque rene abſceſſus erat: ſed in fundo ureteris, prope

pe veficam, calculus longus, canalem in medio pervium habens, per quem urina poterat transire. Ergo videmus, hic plane miranda contingere.

HOLLERIUS, *c. de hydrope in fchol.* ait: „ Domino CHARON, Abbati *fancti* PETRI, quum antea de renibus non conquereretur, febricula, infirmitas virium; inclinante ad exitum morbo venter inflatus, dolens, obtigit. Urina duos ante mortem dies fubprimitur. Diffecto cadavere ren finifter totus abfumtus repertus eft; vomica plenus, quæ cruentam faniem reddidit: dexter vero ren calculo, ureterem obftruente, obfeffus. "

(Citavit *Cel.* HAENIUS hic, quæ fcripferat in *Rat. med. T. II.* de uva urfina in cafu dubio, & certo, de calculo; ut & de fapone veneto cum aqua calcis & lacte.)

Atque hæc de *ifchuria*. *Aphorifmi* HIPPOCRATIS hic explicandi effent; verum abfolvam primo omnes urinæ morbos, ut melius intelligantur.

§. 822. 2*do eft* DYSURIA *nimirum urinæ excretio cum moleftia, conatu, aut dolore; cujus fpecies* STRANGURIA, *ubi habetur ftillatim, cum fenfu ardoris, emiffum lotium.*

Differentia igitur, quod in *dyfuria* homines quidem cum moleftia, aut dolore, mingere debeant, mingant tamen; in *ftranguria* vero urina cum moleftiffimo ardore fummisque anxietatibus, guttatim modo prodeat.

Caufa utriusque mali multiplex: nempe acrimonia, inprimis recentis, fermentantis, cerevifiæ aut vini; vel etiam fæcum utriusque. Effetne ergo gas fylveftre HELMONTII, quod hanc fcenam luderet? Videretur, nifi alia obfervata nos in aliam fententiam abducerent. Videamus phænomena exacte, ab his fermentantibus orta!

Multos

Multos homines nofco, qui ferant inculpate cerevifiam; verum, fi duplicis generis cerevifiam bibant, veterem alteram, alteram recentem, ut in fympofiis populorum feptemtrionalium fit, ftranguriam peffimam patiantur. In Hollandia, nifi in epulis, minus vini bibitur, plus cerevifiæ; aquam bibit nemo, nifi mendicus. Hinc fit, ut fæpe diverfi generis cerevifias in cavea habeant, ut aliam poft aliam bibant ad menfam. Tunc multi habent ftranguriam. Ego nunquam potui recentem & veterem bibere, quin ftranguriam paterer, innocue cæterum bibens veterem folam, vel folam recentem: hanc tamen ultimam parcius debebam bibere, aut levem incipientis ftranguriæ infultum perfentifcere incipiebam: ftranguriæ autem illæ oriebantur, fi recens primo, dein vetus, aut vice verfa, epota effet.

Habent porro populi feptemtrionales hac de caufa varia remedia parata, ut illico levamen accipiant. Solent ribefia nigra æftate colligere & in lagenis, vel doliis, fpiritu juniperi plenis, fervare: fi tunc cochleare tantum fumant hujus fpiritus, illico juvantur. Spiritus juniperi quoque bonus, fed haud tam cito juvans. Quosdam juvat nux mofchata manfa; alios lapis cancror: alios frigida, vel calida, aqua copiofe epota.

Videmus igitur 1) a cerevifia aut vino recenti, fermentante hæc fymptomata oriri.

2) Oriri eadem a cerevifia mutata.

3) Curari eosdem homines quoque diureticis, abforbentibusque & aquofis.

4) Curari fæpe illos illico; ita, ut vix pauca momenta intercurrant inter adfumtum remedium & infigne levamen.

5) Homines tamen illos poffe inpune multum aceti aliaque acria fumere; nec ftranguriam pati unquam

a co-

a copioſo eſu horræorum fructuum, unde gas ſylveſtre naſcitur.

Fateor, me minus rationem capere horum phænomenorum. Si a gas ſylveſtri, cur minus ſtranguria fit a recenti cereviſia ſola epota, quam ſi eodem tempore ſimul bibatur vetus: plus enim gas ſylveſtris in recenti, quam in vetere, erit? Cur homines adeo in ſtranguriam ab hac cauſa faciles, non habent a copioſis horræis fructibus? Cur a fæcibus vini, aut cereviſiæ, dum potus turbidus epotatur, oritur ſtranguria, in quibus gas non adeſt? Cur vero remedia diuretica, cur abſorbentia, ſtatim illam ſtranguriam curant? Cur & a vinis acidis antiquis non fit ſtranguria? Cur homines acidis copioſis uſi non habent illam?

Si quis ob omnes has difficultates potius inclinet in ſententiam hanc, qua ſtatuitur cereviſia aceſcens, facile in acidum verſa, hos dolores creare; explicet ille, quomodo in corpore putridos humores habente ſtranguria ab hac cauſa oriatur; ut præſens vidi? Et quis in corpore acido non laborante ſtatuat acidum tam acre in ſanguine, ut jam cum urina inde ſecretum, adhuc auferret mucum veſicæ illamque irritaret? Immo, ſi acidum in viis primis & in ſanguine, abſorbentia illo eſſent ſaturatiſſima, antequam ad veſicam perveniſſent: ergo, ſaturata jam in primis viis, non poſſunt abſorbere acidum in veſica; & cur acida fortiora ſumunt, ſine ſtranguria?

Eſt ergo quid *ἄκρυπτον* in omnibus hisce: videntur tamen omnia remedia ut diuretica agere. Dicetis, hæc forte de ribeſiis nigris, de baccis juniperi, de nuce moſchata dici poteſt; at vero, quomodo lapides cancrorum & alia abſorbentia, agerent ut diuretica?

Reſp.

Resp. Abſorbentia cum acidis miſta revera ſunt diuretica. Toties vidi in dyſenteria effectus optimos ab ℥j. lap. canc. præpar. cum ℔j. vini acidi; unde quovis trihorio ℥j. ſumebant, maxime dum phialam agitantes ſimul ſaturatos cancr. lapides deglutirent. Scitis *Hoffmannianas* miſturas multas exſtare, in quibus abſorbentia miſta acidis. SENNERTUS quoque talia ſuo jam tempore laudavit & confirmavit exemplo DODONÆI, qui octuagenarium ſenem, a vino rhenano ſtranguriofum, curaviſſet eodem vino rhenano, cui additus pulvis teſtarum ovorum.

Si me rogetis, quî agat tale remedium, ignorare me profitebor: non enim ſal neutrum eſt, quod conbinatione acidi cum terreſtri conponitur. (Eſt omnino ſpecies.) Eſt tamen potens diureticum.

At cur talia tam cito juvant?

Plurima exſtant talia, quæ vix ore adſumta, ſuî mox teſtantur præſentiam in humoribus. Biberit nutrix ſpir. aniſi, carvi &c. lac paucis deinceps minutis odorem habebit. Ergo vis diuretica cito quoque poterit ad veſicam adplicari. Deinde ab ipſo ore ad inferiora usque inhalantia vaſcula habentur, quæ abſorbeant transeuntia: unde famelicus homo tam cito reficitur, antequam in ventriculo poſſint in chylum mutari alimenta. An animadvertiſtis unquam urinam veſtram, mox ubi aſparagos comediſſetis? Tam cito odor putridus poſt illos comeſtos in urina eſt, ut vix credibile ſit. Quod ſimul mirum, non redolet homo ex ore vel halitu, aut ſudore aſparagos, ſed ex urina: & ſi in meridie multos comederetis; non tantum mox, ſed tota die & ſequenti mane urina redolebit illos: ergo & mox & diu vis aſparagorum tantum hac via agit.

An ergo eſſent res creatæ, quæ modo inconprehenſibili mox quamdam corporis partem adficerent; in-

tactis, saltem haud multum tactis, reliquis? In historia venenorum dipsas & vipera bilis adficiunt officinam, icterumque creant; sic etiam seps adipem. An non sic mercurius ad glandulas salivales defertur? Lepus marinus pulmonem, fungi venenati œsophagum, cantharides vesicam urinariam (renesque) adficiunt. An hoc modo asparagi, lapides cancr. cum acido juncti, ribesia nigra, juniperi baccæ &c. se haberent, ut mox suas vires ad vesicam ederent?

2) *Acrimonia acida, salsa, alkalina, oleosa, aromatica, biliosa, humorum.* Hoc facilius conprehendimus; si enim acrimonia quæcunque intime mista sit cum humoribus, ut posse quandoque fieri, in *C. de acrimonia varia humorum* vidimus, sanguis fit acerrimus, muci secretio cessat, abraditur ubique inliniens partes nervosas mucus. Hinc tandem stranguria.

3) *Excoriatio partium vesicæ aut urethræ ab inflammatione, ulcere quocunque, adterente calculo* &c. Omnia hæc puto me explicasse §. præcedente. Sed quis crederet, quæ narrat RUYSCHIUS, nisi ipse RUYSCHIUS esset, qui narraret, *thesaur. anat. I. arcula IV.* „ Nobilis quidam vir, questus aliquo tempore de pruritu in perinæo & molesta urinæ excretione, Chirurgum & paucos post dies me quoque, arcessiri jussit. Urinam invenimus non admodum saburrosam, sed particulis exiguis oblongo-rotundis, granula mentientibus, permistam. Hisce visis petii ab ægro, ut mihi liceret aliquot ex iis in capsula demum auferre, ulterius perscrutandi caussa; id quod concessit. Quum autem altero die capsulam aperirem, reperii eam muscis innumeris, ut & pelliculis, ex quibus erant exclusæ, refertam. Adtonitus hisce phænomenis microscopium in auxilium adhibui, & sic distincte reperi, dictas particulas nil aliud fuisse, quam nymphas, quæ produxerant

rant hasce muſcas: omnes autem muſcæ per capſam disperſæ vivebant; quas inter una, pelliculæ, ſeu exuviæ, adhuc adhærens, omnem dubitandi anſam mihi adimebat." *v. T. III. f.* 5. *litt. A. & B.*

Dixerit, proſequitur RUYSCHIUS; unde tales nymphæ in perinæo, & quidem in collo veſicæ, ubi hærebant ante excretionem? Reſp. quum ductus urinarius via ſit ſatis patula, haud neceſſarium eſſe exiſtimo, ad alias, minus apertas, confugere vias. Per hanc viam veroſimile eſt, vermiculos minutiſſimos inſenſibiliter intraſſe, & circa veſicæ collum hæſiſſe, donec nympharum formam adepti ſunt."

Caſus ſimilis narrabatur RUYSCHIO in feminæ urina obſervatus. Credit RUYSCHIUS certis anni temporibus poſſe hæc ſubire urethram, dum quis diutius hæret in latrinis; ſed ſemper oportere eſſe caſum rariſſimum.

Cura dysenteriæ & ſtranguriæ, quatenus a cereviſiis viniſque fermentantibus dependeat, data jam eſt.

Cura 2. ſpeciei poſcit remedia acrimoniæ peccanti obpoſita; oleoſa, involventia, obtundentia quamvis acrimoniam.

Cura excoriationis & ulcerum veſicæ aut urethræ quoque poſcit, ut ſupra in renibus vidimus, remedia emoll.: obtund., oblin., pus detergentia; ore pota, ſyphone projecta, in urethram: ſed caſus ſunt, ut chirurgica manus ſola queat obſtaculum ex urethra removere.

Neque in veſica modo, ſed aliquoties in ipſa urethra, contingit, ut calculus, ex veſica demiſſus, hæreat, nec arte ulla pelli ultro citroque poſſit. Chirurgia his opem ferat oportet, incidendo urethram ſupra calculum, eumque ita educendo: quando nimirum nul-

lo fotu, nulla injectione, nulla conprehenſione educi poteſt.

De tumoribus aliis ſupra in iſchuria memini.

Tandem cauſam ſtranguriæ HIPPOCR. deducit ab adfectione aliorum viſcerum. *Aph.* 5—58. „ Recto inteſtino inflammato, & utero inflammato, & renibus ſubpuratis, ſtranguria ſupervenit, " ergo tres diverſas notat *H.* ſtranguriæ origines.

1) Ex *utero inflammato*; maxime ſi ſimul vagina inflammata ſit: nam uniuntur productionibus celluloſis & fibroſis inter ſe. Tumentes ergo uterus & vagina poſſunt facile urethram in fundum conprimere, ne illa ſe in vaginam exoneret. 2) *Inteſtinum rectum* in viris inflammatum, cohærens cum veſica, poteſt facile ejus cervicem conprimere ita, ut transitus omnis negetur. Tertia cauſa ab H. deſcripta eſt *renum ſubpuratio*: ſi enim pus ex renibus deciduum in veſicam, ibi ſtagnet, corrumpitur facile, redditur acre, abſtergit mucum colli veſicæ & ſic facit ſtranguriam.

Addatis denique pro cauſa ipſum ſenium, in quo fibræ veſicæ debilitantur & muſculi, urinam ejusque reliquias exprimentes, paralytici fiunt. Reſtitant in urethra prope veſicæ collum reliquiæ hæ, acrimoniam contrahunt & conatus mejendi irritos doloroſosque efficiunt. Monendi ſunt bene ſeniculi, ut digito ad perinæum poſito & verſus glandem moto, velint reſtitantes guttulas exprimere.

§. 823. *3tio cenſetur* URINÆ INCONTINENTIA, *quando ſine* &c. Nam primo requiritur voluntas mejendi, quum hominis voluntatis ſubjaceat inperio veſicæ ſphincter; ſaltem magnam partem; tum, ut anima (reſpiratione) diutius retenta, tota vis muſcul. abdominalium & diaphragmatis in veſicam determinetur.

Actio

Actio muscul. voluntariorum juvat tunc respirationem vitalem, quæ a voluntate non dependet. Est tamen satis magna vis illa arbitraria in respiratione, quum in magna elevatione ponderis sistat exspirationem vitalem pro aliquo tempore, quumque homo vi illa voluntaria possit integre suffocare vim vitalem; ut in America Nigritæ servi faciunt, se sic occidendo, ne ab hero vapulent.

Si vero præter has caussas effluat urina, *incontinentia* est, quæ pro caussis habet

1) *Fibrarum sphincteris vesicæ* resolutionem, a paralysi;

2) *Dilatationem*, a calculo diu durantem, a cathetere diu restitantem.

3) *Discessionem*, a calculi sectione. V. V. enim methodo in utroque sexu, & R. R. in femineo, secabatur vesicæ sphincter, isque conductore, forcipe, calculo, sæpe ita dilatabatur, ut forti calculi instrumentorumque extractione dilaceraretur; ita, ut deinceps vix posset consolidari: id quod *Cl.* RAVIUS emendavit; secando feminas, æque ac viros, ad perinæum.

4) *Subpurationem*, v. g. consumta sphincteris substantia per l. v.

5) *Gangræna*, putrefactis fibris sphincteris; sive a calculo, sive a l. v.

Sed de resolutis fibris, de quibus mox sermo erat, nonnulla adhuc dicenda sunt. In paralysi, apoplexia, epilepsia, morbis acutis, senibus, in iis, quibus spina dorsi, colli, lumborumve luxata aut vulnerata, hæc fibrarum resolutio observatur. In omnibus his morbis vel nervi laborant in origine ex cerebro, vel in origine a spinali medulla, aut in decursu suo per spinalem medullam. Nervi enim in theca vertebrarum constant 1) ex nervis oblongatæ medullæ, 2) ex fibris ortis a

media corticali ſubſtantia in ſpecum vertebrarum : hinc omnes partes, quæ ad voluntarias aut animales actiones inde nervos habent, non agunt. In morbis capitis ergo reſolutio nervi eſt, eo, quod compreſſum cerebrum ſpiritus non paret ; ea differentia, ut in apoplexia & epilepſia mens nobis videatur abeſſe ; in paraplegia & paralyſi, cauſa proxima inferius hærente, mens bona maneat.

In acutis morbis urinæ incontinentia ſignificat, vel mentem laborare, vel deficere debitos per nervum ſpiritus ; malo utique omine. In ſenibus eadem urinæ incontinentia notat defectum ſpirituum. In hominibus tandem ſpinam fauciatis, contuſione illa incontinentia oritur ab interceptis nervis illis, quorum propagines veſicæ proſpiciant. Hoc vidi in illis, quibus caſu ſpina luxata. Eſt conſtans obſervatio ; ſi cauſa in inferiori ſpecu eſt, trahunt quidem nonnulli vitam, ſed ſemper cum his miſeriis.

Si a debilitate aut paralyſi incontinentia, roborantia, adſtringentia adhibenda ; talia quoque injicienda in urethram.

Eſt multis reſiduum ab infantia vitium, ut vix diu noctuque moderentur veſicam. His medela eſt, ut veſperi non bibant, & tantum panem biscoctum comedant, qui multas inbibat humiditates ; ut ſæpiſſime de die veſicam exonerent ; nihil enim laxatas fibras magis roborat, quam ut nunquam extendantur, ſed contractæ maneant : ſpes tunc eſt fore, ut demum debito robore potiantur.

Sed aliud vitium fœdum eſt, de quo ſæpe conqueruntur illæ, quæ puellis educandis operam navant. Vitium, quod non raro iis adhæret, etiam poſtea nuptis ; ingrato ſane maritorum ſpectaculo. Quod nimirum de nocte ſuis innatent urinis, quas tamen de die

mode-

moderari norunt. Vitium hoc non habet eamdem cum præcedenti originem; nam tunc functio hæc de die non poſſet bene peragi. Conſilium eſt dandum his matronis, ut puellas veſperi potu aut cibis liquidis arceant & ſicca cœna nutriant; deinde, ut rei fœditate eas absterrere conentur, intentatisque minis atque inflictis pœnis ad meliorem frugum conponere. Profuit quibusdam, ut aliqua cuſtos vigilans puellam ter quater de nocte expergefactam matulæ inponeret cogeretque ad mingendum: quam moleſtiam ægre ferentes, conſuetudinem mutarunt.

§. 824. 4to denique eſt διαβήτης (*) &c. rarus admodum morbus; multis etiam annoſis Medicis non viſus, cujus materies eſt urina chylo miſta. Dicitur quidem haud multis Medicis ita rarus; verum his non tantum *diabetes* audit urina chyloſa, ſed omnis urina abundantior, *hydropis ad matulam* nomine veniens. Cur autem nomina confundamus?

Galenus *l. 6. de loc. adf. c.* 3., ait bis ſe vidiſſe veram urinam chyloſam. Hollerius dicit, ſe vidiſſe pluries; nam *Op. pract. l.* 1. *c.* 53. *p.* 444. *edit. Col.* 1623. refert: „ A. 1558. Auguſti fine in vico vetere templi, Conſuli du Val in febri continua non ita ardente, ad ſenſum lingua ſcabra, arida, nigra. Quotidie ſex pintas quas vocant, Lutetiæ, urinæ mingebat; non ita ſiticuloſus: conſtabat mente; ſub ſeptimam diem obiit. — Conſuli Quelain nephritico

(*) Διαβαίνω, *transfluo, transſcendo*, διαβήτης, *infundibulum*. In genere eſt quoad renes id, quod quoad ventriculum & inteſtina eſt *lienteria*, ſecundum Galenum.

tico in febri profluvium urinæ motum, in quo *ferosa* urina ad duas quartas emingebatur, ex quo evasit. Eodem morbo paullo ante ejus pater obierat. Alter ab eodem profluvio obiit in vico S. Joann. Bellovacensis.

Egregius HIPPOCRATIS *Commentator* DURETUS *enarratione* sua in HOLLERIUM, doctissime & vere Hippocratice distinguit inter *diabeticos* homines & *oureticos*, quorum illi chylosam urinam, hi modo copiosiorem serosam, redderent. Eos, qui chylosam redderent, incurabiles esse; qui serosam, curabiles: GALENUM errare, qui dixerit, se binos diabeticos curasse; etenim curasse οὐρητικοὺς non διαβήτικους; vitioque ipsi GALENO refert, quod non bene distinxerit, idemque & de iis, quos HOLLERIUS curaverit, verum esse. Cæteroqui οὐρητικοὺς curabiles esse, demonstrat DURETUS proprio suo exemplo: adscribam propria Viri verba, ob rei admirabilitatem: „ Fit quoque diabetes ab animalculo renibus incluso, quod renes titillando excitat adtractioni; ut expertus sum in me ipso, qui animalculum, quod millepedem referebat, in renibus conclusum habebam; unde major adtractio, quam solebat, & quum pervenisset suctio ad ventriculum, liberalius bibebam: sed Dei misericordia excreto animalculo quievit. "

Figuram animalculi hujus, quod eminxit DURETUS, delineavit A. PARÆUS, *l.* 23. *c.* 3. Felicior fuit hac in parte DURETUS illo viro, de quo TULPIUS *l.* 2. *c.* 49; qui cum membrana eminxit vermem teretem, & brevi post interiit. Vide etiam quotidianum vermium mictum apud TULPIUM, *l.* 2. *c.* 51. Erat Medicus eximius, mingens vermes 19, quosdam viventes; similes illi, quem PARÆUS depinxit DURETO mictum; TULP. *ibid.* *c.* 50.

Igi-

Igitur fciant Practici, diabeten rariffimum effe morbum, ut ex adductis hiftoriis patet. BOERHAAVIUM fere feptuagenarium dicentem audivi, quod per omnem vitam illam modo bis vidiffet, ridentemque vidi, quod junior Medicus Anglus de diabete, velut morbo indies obvio, fcriberet: fimul etiam ex *Commentariis* DURETI patefcit, infanabilem paffim effe, fi adfit; fed adftringentia lenia intrinfecus extrinfecus poffe deberique adhiberi.

Altera vero diabetis fpecies, quæ feri copiam folito majorem per urinæ vias excernit, eft priori frequentior, & Medicis plerisque obfervata; periculofa fæpe, quia fanguis exficcatus jam obftructiones per totum corpus facit; fæpe tamen curabilis.

Excedit profluvium tale aliquando enormiter copiam folitam. DODONÆUS, Medicus Cæfareus, *lib. Medic. Obferv. c.* 42. *p.* 96. fcribit: „Honeftus quidam civis urinæ detinebatur profluvio: fubinde uno die amplius quam urnam 40 libr. reddebat. Bibebat non minus; ut qui propter adfiduam urinæ profufionem, adfidua quoque fiti premeretur. Quum autem huic nulla prodeffent remedia & vix ulla fibi adhiberi pateretur, paucis diebus deficiens, e vita conmigravit." Deinde refert alium cafum, ubi copia quidem minor, tamen incurabile malum per annos durabat.

Sed notabile exemplum habetur apud SENNERTUM. *T. IV.*, *l.* 3., *part.* 7., *fect.* 2., *c.* 2. *de diabete*, Auctoribus *Marco* GATTINARIA & *Hieronymo* CARDANO, refert, puellam 18 annorum 1481 tale paffam urinæ profluvium, ut fingulis diebus libras circiter 36 emingeret, quum ex potu & cibo non plus quam 7 libras adfumeret; quumque hoc 60 diebus perfeveraret, emifit, calculo facto, ultra cibi & potus quantitatem libr. 1740 per urinam; puella vero ipfa pon-

dus libr. 150 non excedebat. Sanatam hanc ſcribit SENNERTUS a Medico *Franc.* BUSTO. CARDANUS ingenioſam dedit phænomeni rationem, nempe frigidam humidamque aëris in illis ædibus, ubi degebat puella, temperiem.

Sane explicationem CARDANI confirmant experimenta facta in hydropicis, qui paracenteſi quotidie aliquot libras aquæ ex abdomine emittentes, ſequenti die æque graves, aut graviores, reperirentur; ut tandem poſt ingentem atque enormem aquarum eductarum quantitatem, pluries excedentem ipſorum corporum pondus, æque graves, vel graviores eſſent, quam ante paracenteſin. (*) Neque cibi potusque adcuſandi erant; quum moderate tantum illi adſumti eſſent. Videntur cor-

---

(*) *Celeb.* MEAD refert hiſtoriam feminæ, quæ intra 67 menſes 66 vicibus paracenteſin paſſa fuit, emiſſis intra hocce temporis ſpatium 240 menſuris *(gallons)* ſeu 1920 libris, aquæ; alacris tamen nunquam non rem totam epitaphio incidi teſtamento juſſit; ubi & ſequentibus legitur:

Here lies Dame Mary Page,
Reliet of Sire Gregori Page, Baronet.
She departed this life Marche IV.
MDCCXXVIII.
In the LVI. year of her age.
In LXVII. months she was topped
LXVI. times,
Had taken away CCXL. gallons of
water.
Wit hout ever repining at her eaſe;
or ever fearing the operation.

corpora talia veræ ſpongiæ eſſe, quæ omnem humiditatem aëris inbibant atque inde ita tumeſcant. Noſtis porro, aquam maxima copia in aëre contineri, quum in loco ſubterraneo ℥j. ſalis tartari puri, ſicci, inbibat quadruplum aquæ; ita, ut ex illa uncia ſalis tandem habeatis unc. iv. liquoris tartari. Atque ita claſſis cauſarum hydropis augeri hac cauſa poſſet, quod venæ bibulæ in quibusdam hominibus ita ſint diſpoſitæ, ut continuo aëris aquam abſorbeant: unde neceſſitas aëris ſicciſſimi, hydropicis conciliandi, pateſcit.

Cauſa ejus cenſetur nimia laxitas fibrarum in arteriolis urinoſis, concurrens ſimul cum humoribus valde dilutis; quæ utraque ab aquoſis: ergo vaſa laxa, diluti humores. Satis capitis, quid inde ſequatur. Ergo morbus metuendus illis, qui aquoſis corpora ſua deperdunt; de qua re toties actum.

Cauſam aliam recenſet BALLONIUS, *Conſil. med. T. II., conſ.* 56, *p.* 231. „Mulier fluorem patitur album, copioſum, per 4 annos, deinde fœtidum. Fluxus ille uſurpato quodam levi remedio inopinato curatur. Succeſſit diabetes per 4 menſes & moritur. Unde merito ſuadet BALLONIUS, fluores albos inveteratos non curare illico adſtringendo, ſed fontem corrigendo.“ Itaque fontem catarrhi [uterum] ſenſim exhauriri oportet, diætam inſtituere exſiccantem, decocto ſarzaparillæ uti, purgantibus medicamentis repurgare ægram, venam ſecare, malignam qualitatem obpugnare.

Cauſam aliam habet TULPIUS *l.* 2. *c.* 46. Calculum ſectus juvenis adeo relapſum metuebat, ut copioſe uteretur diureticis, maxime vino malvatico cum ſem. urticæ: cujus continuo uſu diabete periit.

Ideam ergo diabetis & copioſioris urinæ profluvii habentes, curam ſimul ſponte intelligimus: nempe inſpiſ-

ſpiſſare fluida, ſolida roborare: quæ igitur in diæta ſicciſſima, in aëre ſicciſſimo, in medicamentis & nutrimentis ſiccis, leniter adſtringentibus conſiſtit. Petuntur medicamenta ex acacia, catechu, alchimilla, berberis, biſtorta, capparide, fructibus corni, cydoniis, cort. fraxini, tamariſci, quercus, peruviano, ſimarubæ, mespilis inmaturis, alumine. (*)

Vid.

(*) Ad curam commendantur adſtringentia inprimis. *Ann.* 2. *Eph. N. C. obſ.* 129. 130. catechu ſiſtit urinæ cruentum in puella profluvium. Tinctura catechu hypercatharſin non ſedandam incantamenti inſtar curat. *Ibid. obſ.* 153. HERTODIUS narrat, pannificem, qui a trimeſtri quartana citra ullum artis auxilium per copioſas urinas liberatus fuerat, demum tale urinæ habuiſſe profluvium, ut per continuas ſeptimanas 16, & ultra, libras urinæ redderet; interea dum cibi potusque vix quinque libras transſcenderent. Curavit HERTODIUS hunc hominem, dando lapidis chemici gr. j. per 9 continuos dies. Lapis autem chemicus ſic conponebatur:

℞. Mercurii ſaturni part. j. [NB. eſt extractio lithargyrii aceto deſtillato facta & filtrata cumque ſpir. ſalis præcipitata, poſtea lento igne ſine edulcoratione exſiccata]. Huic præcipitato exſiccato adfunde fortis ſolutionis martis ſpiritu ſalis factæ part. ij.; per retortam abstrahendo omnem humiditatem; ita, ut tunc coaguletur in lapidem fixum rubicundum. — Vix auderem uti; plumbum cum marte unitum hoc remedium eſt: revera copia

Vid. formulas varias, copiofas in *Mat. med.* B. *p.* 5., 6., 7., 8. quæ omnia porro in chylofa diabete parum, vel nihil, in ferofa multum, fæpe juvabunt.

Vifis nunc quatuor notabilibus fyftematis urinarii morbis, recenfeamus *aphorifmos* HIPPOCRATIS, ad hos 4 morbos fpectantes.

Aph. 3—16. dicit: „ ftranguriam in ficca tempeftate; " & *aph.* 3—22. „ ftranguriam oriri autumno," quando præcedens calor æftivus corpora quafi exfucca reddiderit: ergo a defectu aquæ in humoribus. Notavimus jam antea §. 746. hujus PATHOLOGIÆ difertis B. verbis, hanc ftranguriam in aëre ficco.

Aph. 3—31. „ Senibus autem ftranguriæ, dysuriæ, nephritides &c.; " a lentore humorum: unde vel difficulter, ut in dysuria; vel guttatim & dolorifice, ut in ftranguria, urina redditur; vel ipfi humores craffi obftruunt renes & aliquantum inflammant, ut in nephritide.

Aph. 4—75. „ Si quis fanguinem, aut pus mingat, renum, aut veficæ, exulcerationem fignificat." Scilicet fæpe, non femper; nam *aph.* 4—78. aliter IPSE explicat.

Aph.

---

pia exigua datur; fed fimul quis fcit, quam parva dofi lethales creet obftructiones?

℞. Rhei ℥v.
fem. cardamom. min. ʒv.
lign. fantal. alb.
——— citr. aa ʒj.

infund. lento igne in vin. canarin. ℔j; fumat quotidie ℥iij. mane, ad 6 & ad 10: ita HARRIS ad BAGLIVIUM, poft *opera* BAGLIVII.

Aph. 4—81. „ Si quis ſanguinem & pus mingat, & ſquammas, & odor gravis ſit, veſicæ exulcerationem ſignificat."

Aph. 4—80. „ Si quis ſanguinem mingat, & grumos, & ſtranguriam habeat, & dolor incidat ad hypogaſtrium, & perinæum, & pectinem, partes circa veſicam laborant."

Aph. 7—39. Idem cum præcedenti.

Per gradus HIPPOCRATES pergit. 1) Docet ſigna dubia, an in renibus, an in veſica hæreat exulceratio: nam & ſanguis & pus poteſt cum urina prodire ex exulcerato rene; poteſt etiam a veſica, calculo aſperiori ſauciata. Præterea poteſt ſanguis de renibus prodire laxitate vaſorum, tenuitate humorum, motu rhedæ &c. *v. aphoriſm.* 4—78. Dubia ergo hucusque res manet. (*)

2)

(*) Etiam debemus omnes aphoriſmos HIPPOCRATIS intelligere, ut communem doctrinam, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ſic obſervatur; in qua tamen exceptiones habentur, ut in cæteris. HOLLERIUS in *hunc aphoriſm.* „ Contigit ſemel mulieri noſtræ ætatis, quæ 4 menſes integros minxit pus & aliquando, propter puris acrimoniam, ſanguinem puri conmiſtum. Medici conſulti adhibuerunt talia remedia, acſi renes exulcerati fuiſſent, quod in eis per intervalla magnum dolorem ſentiret mulier. Hæc moritur quarto menſe; diſſecta eſt; *inventi renes integri & veſica integra:* at in corde inventi ſunt duo calculi & abſceſſus multi, qui repurgabantur per urinam atque in tranſitu pus dolorem infligebat renibus. Sic ſolus ſanguis poteſt a thorace dimitti ad veſicam, ut

ex-

2) Docet ſigna, quibus noſcat Medicus cauſam hujus in mictu prodeuntis & ſanguinis & puris eſſe in-

tra

---

excernatur [quomodo hoc ſcit?] Itaque non eſt omnino fidendum aphoriſmis, qui veri ſunt magna ex parte; & magna ex parte ſanguis aut pus, cum urina eſt a veſica, aut renibus; quorum exulceratio ſignificatur.“ — Noſtis, quod ex Baglivio & Oosterdyckio oſtenderim Vobis, olim homines nullas de calculo querimonias edidiſſe, & tamen poſt mortem exhibuiſſe ambos renes calculoſos: ita (&) calculoſorum ſymptomata videntur adeſſe, quum horum habeatur ne hilum quidem. An ergo nil certi habent Hippocratis aliorumque obſervata? Multum maximumque. 1) in practicis *ita*, ut paſſim veriſſima maneant, quæ ante 2000 annos ſapiens vetuſtas dixit; non tamen citra exceptionem, ut ſæpe in phyſicis fit; 2) ut ea, quæ V. V. theoretice & ex anatomicis dixerunt, ſæpe vera ſint, aliquando iteratis ſectionibus emendatione opus habent. — Hippocrates fecit regulas ex obſervationibus tum ſuis, tum majorum ſuorum, tum ex iis, quæ Deorum in templis adnotari curaverat ſolers & in proximum miſericors mortalium induſtria. Verum, quum cadaverum ſectio rarior eſſet antiquis temporibus, latuere V. V. plura R. R. obſervata. Si enim frequentiores ſectiones humanorum cadaverum fuiſſent; neque Democritus in uſus philoſophicos, neque Galenus in uſus medicos plerumque bruta animalia diſſecaſſent; a quibus ad hominem poſtremus ille peſſime concluſit, mul-

tra veſicam. Nam ſquammæ & odor gravis, rem propius determinant. Squammæ oriuntur a veſica; ſive, quod calculus in ſuo ambitu in furfuracea ramenta ab adluente undique urina ſolvatur; ſive, quod tunica interior

---

multosque congeſſit errores. Si velitis exemplum in HIPPOCRATE, videte, quæ tot operum ſuorum locis habeat de uteri acetabulis, ejusque diviſione; de maribus in dextro, feminis in ſiniſtro uteri latere hærentibus, &c.: ſane, ſi frequenter humana cadavera incidiſſet, melius ſcripſiſſet. Hinc, ut poſterior ætas V. V. placita emendavit frequenti cadaverum ſectione hac in parte, ita & in aliis. Plures enim videmus naturæ exceptiones in centum cadaveribus, quam in duobus, tribus, quatuorve aliquando videbimus. Sectionibus cadaverum decem, ubi morbus eamdem cauſam oſtendit, fundamentum non contemnendum habet Medicus, ſi exin concludat regulam; ſed forte cadaver undecimum, duodecimum &c. docebit exceptionem, eamque in aliis aliam. Unde certe, quo quis plura luſtraverit cadavera, eo firmiores leges condet. Hæc de his: ſed quoad regulas dandas ex aëris, ventorum, tempeſtatum anni varietate & vires in morbos ſanitatemve, HIPPOCRATES tantum abfuit, ab obtrudendis ſuis obſervatis pro generali regula, ut *lib. de aëre, loc. & aquis* diſerte adfirmet, bonum Medicum eſſe neminem, qui non in ea, ubi praxin culturus eſt, regione, exactam ſibi adornet chorographiam: ſi crediddiſſet ſuos aphoriſmos ſufficere, opus non fuiſſet injungere cuique Me-

terior veſicæ a calculo trita & calloſa hinc inde facta, deinceps ab eodem adteratur; ſive quod exulceretur tunica interna veſicæ, & pus in locis, quos urina minus adluit, ut circa fundum adcreſcat, ſicceſcat, & furfurum inſtar deinde cum urina reddatur.

Tum & graveolentia materiæ major eſt, dum malum in veſica eſt, quia urina, in renibus vix acris, induit ſtagnando in veſica acrimoniam fere alkalinam; maxime ſi calculus ſimul adſit (cavernulis præditus, in quibus urina diutius remoretur). Quæ omnia potius pro cauſa ſtatuenda in veſica faciunt, quam in renibus.

Sed tertio, quum dubium aliquod adhuc remaneat circa fœtorem materiæ exeuntis ex veſica, originemne ducat ex renibus an ex veſica; quum & exempla doceant, a renibus quoque in veſicam fœtidum, corruptum, pus ſtillaſſe; addit ſtranguriam & dolores ad omnes partes hypogaſtricas & perinæum: e quibus omnibus manifeſtum fit, ſi non primario, ſaltem ſecundario nunc veſicam, ſive collum ejus, ſive urethræ principium laborare: ita, ut ſi etiam cauſa olim hæſerit in renibus, ſive calculus, ſive thrombi, ſive pus; ea jam hæreat in veſica, ibidem ſtagnando corrumpatur, ſubſtantiam veſicæ, ejusve collum, rodat, deſtruatque.

Aph. 4—76. „ Quibus in urina craſſa exiſtente carunculæ parvæ aut veluti pili *una* exeunt, his de renibus excernuntur.“ Singula verba HIPPOCRATIS pon-

---

Medico, ſui, quem incolit, loci chorographiam inſtituere: exemplum dedit, quod quisque imitetur. *de* H.

pondus habent: 1) craſſa debet exiſtere urina; 2) oportet, ut non poſtea, quando ſubſederit urina, contenta materies veluti in carunculas, vel filamenta abeat; ſed, ut cum craſſa urina ſimul mingantur illæ carunculæ, illi pili.

A muco concreto in pelvi, a ſubſtantia ipſa exeſa renum, poſſunt tales veluti carunculæ adparentes per urinam prodire in veſicam: mucus quoque in veſica adeſt, qui poſſet in maſſulas ſolidas, veluti carunculas abire; ſed tamen minus, quam ex renibus. Hollerius autem totam vim in eo ponit, quod ſigna prægreſſa prius ſint oporteat renum ſubpuratorum, & quod tunc in illa urina *craſſa exiſtente*, ſive purulenta, carunculæ parvæ prodeuntes, aut velut pili, doceant, renes eſſe adfectos: 1) quia renum ſubſtantia ſemiconſumta talia fragmenta dare poteſt, non vero ureteres, aut veſica; quorum ramenta magis membranacea ſunt, minus carnoſa externo habitu; 2) pus, mucus, ex ſanguine renali poteſt dilatare fiſtulam Bellinianam, & infarcire; quæ materies, ibi aliquam moram trahens, conpingitur & deſcendens deinde forma pili redditur. — Certe tale quid ſubeſſe docent tot obſervata ſummorum in praxi virorum, qui pilos hos viderunt. Sic Hollerius: „Morbus hic dicitur, ait, τριχίασις, i. e. capillitium; frequens eſt in his regionibus: multi enim . . . . emittunt capillos longos una cum urina, & aliquando breves." Revera longi admodum capilli non poſſunt eſſe, qui in Bellinianis ductibus formentur, quum ductus ſint breviores; unde, ſi probati viri teſtentur, ſe pilos aliquando valde longos vidiſſe, credibile foret, craſſam, tenacem materiem a renibus inmiſſam in ureteres, ibidem retardatam fuiſſe a contractione ſpasmodica ureterum; ut ita per canalem in minimum fere contractum debuerit premi in veſicam. Sed hoc

contra

contra *aphorism.* non facit. HIPPOCRATES loquens de pilis illis magnis, ait: *velut pili*.

TULPIUS *l.* 2. *c.* 52. ait: „mictum capillorum, sive τριχίασιν, conspexere Medicorum aliqui, sed admodum pauci. At quis reciprocantem illius periodum? quam nobis evidentissime obtulit filius Consulis Hornani, adflictus quatuor annos ab hoc inusitato capillorum mictu; qui ipsi identidem revertebatur quolibet decimo quarto die cum insigni urinæ difficultate & tanta perturbati corporis inquietudine, ut vix se contineret in cubili; æquantibus singulis pilis modo medium, modo digitum integrum; sed muco ita involutis, ut raro separatim, sed plerumque prodierint conglobati: durante qualibet accessione dies ferme quatuor; in quibus licet continenter & moleste redderet urinam, transegit tamen reliquos dies sine ullo cruciatu ullove capillorum mictu; usque dum postliminio repeteret consueta reciprocandi ratio."

Puer, qui carie acetabuli periit (in nosocomio civico Vindobonensi) in principio, quum hic erat, albos pilulos multos in urina habuit.

Immo quandoque quasi vermes prodeunt, quamvis non sint. *V. Hist. Acad. Reg. Sc. Paris ann.* 1735 *p.* 25. „Homo minxit diu multumque tales quasi vermes 20 pollicum ulnæ unius, immo unum 12 ulnarum. TRONCHIN, tunc Medicus Amstelædamensis, qui ad *D.* DU FAY hunc casum scripsit, explicat ab ureteribus, ita sanguinem constringentibus & in oblonga corpora formantibus in hæmorrhagia renali.

Aph. 4—78. „Qui sponte sanguinem mingunt, his a renibus venæ ruptionem significat." Ἀπὸ ταυτομάτε, vel *sponte*, vel *repente*, vel *inopinanter* apud HIPPOCRATEM significat, ut apud HOLLERIUM videre est. Sanguis quidem potest, ut HOLLERIUS adver-

tit, oriri poſt Venerem profuſiſſimam ex urethra; poteſt ſanguis oriri a calculo, ab exulceratione in veſica, (a relaxatione oſculorum canaliculorum; a diureticorum excedente actione, uti alibi jam de decocto ligni ſambucini adverti). Sed ſi nulla cauſa præceſſerit, ſi neque etiam ullus animadverſus dolor fuerit, & homo ſic ſponte, inopinanter videt, ſe urinam ſanguinolentam reddere, id a renibus eſt. Plethora dilatavit ora arteriarum, ut pro materie urinoſa intraverit ſanguis in ductus Bellinianos: ut plethora facit ad uterum, ad hæmorrhoides, ad pulmones. Aut laxitas peccare poteſt vaſorum, aut tenuitas humorum.

Aph. 4—79. „ Quibus in urina arenoſa ſubſident, illis veſica calculo laborat." Scilicet mox ubi redditur; alioqui centeni & milleni homines, citra calculum in veſica, habent in ſtagnante urina concretiones minimorum elementorum in arenulas: ſed, qui velit de his judicare, debet illas arenulas videre, mox ubi reddita urina eſt, easque præ gravitate ſubſidentes. Sed iterum cum HOLLERIO dico, HIPPOCRATEM nunquam ex uno ſigno judicare, adeoque ſubponere ſemper alia; v. g. ſi homo nunquam renibus doluerit & nunc cum dolore ad pubem & perinæum mingat, pondusque conqueratur ad perinæum, talis arena denotat, calculum in veſica eſſe. — Sane nemo *aphoriſmos* melius explicabit ipſo HIPPOCRATE; quum ille igitur alibi, ut in *l.* 5. *Epidem.*, & *lib. de morb. intern.* calculos renum noſci ſcribat, ab acuto dolore; abunde liquet, eum hic ſubponere abſentiam ſignorum calculi in renibus: unde, ſi tale ſabulum mingatur, quale nunc deſcriptum eſt, & ſigna adſint reliqua, calculum veſicæ concomitantia, eo certior fit Medicus præſentiæ calculi in veſica: quanquam id fatendum ſit, quod calculus ſæpe in veſica adſit, & tamen illa arena

non

non mingatur; ita, ut perperam ex hoc aphorifmo concluderetur: homo ille non mingit arenulas, ergo non habet calculum. HIPPOCRATES hic tantum vult dicere, quodfi quis habeat figna calculi in vefica præfentia, & adhuc dubites, an adfit; fcias, eum in vefica habere calculum, fi, præter illa figna, etiam mingat fabulum, illico adparens in urina. Debemus hic confiderare, ufum catheteris tunc non adfuiffe, adeoque Medicos ex collectis aliis fignis judicare de calculo veficæ debuiffe.

Aph. 4—82. „ Quibus in urethra tuberculum nafcitur, his, fubpurato eo & perrupto, folutio." Multa urethræ tubercula funt, quæ tranfitum urinæ denegant; immo poffunt lethalem ifchuriam facere. Sed HIPPOCRATES hoc aphorifmo loquitur de tuberculo in urethra fubpuratorio; quod, etiamfi, quo tempore præcludit viam urinæ, æque periculofum, quam reliqua omnia tubercula, tamen, more abfceffuum tandem perrumpitur & fic homo ab ifchuria folvitur. Hinc, cæteris paribus, tubercula fubpuratoria hoc refpectu funt mitioris prognofeos.

Aph. 6—36. „ Stranguriam venæ fectio folvit: fecandæ vero internæ." Vel pedis, vel brachii.

Aph. 7—48. „ Stranguriam & dysuriam vini potus & v. f. folvit; fecandæ vero internæ." Si ftranguria ab inflammatione orta, ut & dysuria & ifchuria, v. f. ex pede fæpe illico prodeft; ut exemplo RIVERII patet, qui gravem ifchuriam balneo pedum & v. f. in pede illico reftituit: fi vero oriatur ab acrimonia, tunc vina acida, oligophora, illico multum feri ad renes derivando, abluunt id acre. (Præferendi tamen maximam partem potus aquofi, calidi, fubdiuretici; pariter magnam vim laticis ad renes ablegantes, fimulque relaxantes, acrimoniam diluentes, hebetantes, tonum peccantem remittentes;

respiciendum autem nunquam non ad causas.) Vel etiam si stranguria a debilitate senili, vinum roborando emendat hanc utcunque: ergo diversæ stranguriæ causæ diversis curandæ remediis (ut morbi omnes alii). Quod HIPPOCRATES dicat: *internas secandas*, condonandum id V. V., quibus sanguinis circulatio ignota: *v.* GALENUM super utroque.

Aph. 4—83. „ Mictio noctu multa contingens, parvam dejectionem significat.“ Scimus ex generali corporis lege, excretione una aucta, alteram minui: hinc, si habeas hominem, qui dysenteria fere diffluxit per aliquot dies, & mane accedens intelligas magnam urinæ copiam ab illo excretam esse; audacter dic, eum illa nocte non multum alvo dejecisse. Idem de sudore in diarrhœa & dysenteria verum. (Sed & hic nulla regula sine exceptione. Quærendum nempe simul, an non mictionem talem solito frequentiorem, nocturnam produxerint aliæ causæ: an homo v. c. non biberit, antequam cubitum iret, potum, meraciorem inprimis, theatum; an non comederit, quæ diureticam exercere vim solent, v. c. roob sambuci, cynosbatos, juniperi, spinæ cervinæ, &c., pultem ex coctis baccis sambuci; an non causæ prægressæ sint, diapnoën Sanctorianam subflaminantes; an non biberit vinum diureticum, subacidulum, recens; cerevisiam gasantem, Hornensem, aliamve, rebus urogogis divitem. e. s. p.)

Sic pertractata hæc materies, difficilis intellectu & medicatu: unum modo habeo addendum circa miros naturæ lusus; ut in omnibus, ita & in hisce nonnunquam occurentes. Sæpius Vobis ex BAGLIVIO, OOSTERDYCKIO, aliisque fide dignis viris narravi, inventos fuisse calculos renum in cadaveribus eorum, qui

qui nunquam calculi ſymptomata in vita conqueſti eſſent. Eſt incredibile fere, & tamen verum. (Idem & circa vermium in corpore præſentiam, vel abſentiam, non ſemper ex ſymptomatum, eos alias certo ſatis indicantium, phænomenis abs omni omnino erroris periculo præſagiendam, tenendum eſt.)

Non minus admirandum, quod homo novemdecim vermiculos minxerit intra octiduum, ſine dolore, ullave urinæ difficultate; uti TULPIUS obſervavit, *l.* 2. *c.* 50. „ Eximius, ait, noſtræ reipublicæ Medicus eminxit poſt febrim tertianam intra octiduum undeviginti vermiculos ſine dolore ullave urinæ difficultate; ſed cum lotio a bile tincto, & pituita in fundo ſubſidente. Erant autem hi vermiculi inter illos, qui putri caſeo innaſcuntur & aſcarides, medii. Ab obtuſo ac lato capite, cui protuberabant duo cornicula, ſenſim deſinentes in acuminatam caudam, cujus extremus apex nigricabat in viventibus admodum perſpicue. At in convexa parte, ſive dorſo, fuere rotundi ac glabri, in ventre vero depreſſi, rugoſi & inſtar millepedum innumeris pedibus donati.“ *V. fig.* 2. *T. VII.* ubi vermem depingit naturali forma, & deinde prout microſcopio viſus.

Huc usque in *functionibus naturalibus* adeò late divagati ſumus: ſequuntur *vitales* nunc conſiderandæ læſarumque earumdem ſymptomata.

§. 825. ACTIO *autem* VITALIS *læſa ſpectat maxime pro ſymptomatibus pulſum cordis, reſpirationis exercitationem, vel utraque.*

§. 826. *Ita quidem ut ergo* 1) *numeretur* PALPITATIO CORDIS, *quæ dicitur violenta ejus contractio cum magna reſiſtentia cruoris a corde pulſi; cauſa ejus*

est plerumque inordinatus & violentus spirituum vitalium in villos cordis inpetus, ut in summis animi adfectibus, subito terrore, adfectu hysterico, motu violento & subitaneo, evigilatione præcipite.

Cordis motus, quamvis perpetuus, in nobis non advertentibus peragitur: at vero inordinatior factus hominem summopere defatigat: est ergo motus cordis naturalis talis, ut propter consuetudinem forte non advertamus; tunc vero advertitur, quando more solito fortior est.

Quæ hic dicitur *palpitatio*, ea duplici ratione potest intelligi. Cor dicitur *palpitare* in moribundis, in vulneratis, in feminis abortientibus, vel lochia nimia perpessis; eo, quod in hisce paucus sanguis ad cor veniat, paucus sanguis a corde pellatur versus cerebrum & cerebellum, paucos cerebellum ad cor mittat spiritus; hinc cor debile a pauco sanguine irritetur, & se non integre contrahat, sed partim tantum, idque inæqualiter. Hæc a debilitate palpitatio, seu levis quasi convulsivus motus, ad aliam pertractationem pertinet, minime vero ad illam, de qua nunc agitur; ut ex definitione patet. Defectio enim præsens palpitationis subponit humores, qui in sanitate, eosdem; sed magis resistentes: vel, quod eodem redit, si humores maneant iidem & resistentia eadem; si vero interim cor accipiat violentiores cerebellosorum spirituum influxus, illudque violentius crebriusque moverit sese; malum idem nascitur, ac si, corde manente eodem, humores pertinacius resisterent. Igitur inordinatus spirituum motus, violentusque in villos cordis eorum inpetus, qualem experiuntur illi, qui animo valide adficiuntur, qui subito perterrefiunt, in causa esse potest, ut cor frequentius vehementiusque agitetur, sese contrahat, sive *palpitet*.

Ita

Ita 1) vidimus, ex ira oriri humorum rarefactionem; ergo idem, ac si copia augerentur; tum & copiosiores spiritus ad cor deferri; ergo motus augetur cordis. Mox ubi cor violentius agitans humores rarefactos non potest per vasa minima omnia pellere, cor incipit palpitare.

2) In summo terrore cor quasi constringitur & coguntur iidem humores per vasa minora, vel constrictiora, fluere; unde, nata cordi resistentia, palpitatio.

3) Illi vero, qui corpus validius conmovent diutiusque, eoque musculari motu aucto suos humores copiosius atque citius versus cor determinant; mox efficiunt, ut cor non possit statim molem hanc satis movere: unde vehementer sanguinem inpellere cogitur sicque sensum palpitationis efficit.

4) Illi etiam, qui blando somno obrepti circulationem tardam habent, si subito expergefiant, seque conmoveant; etiam hac lege sanguinem validius versus cor determinant. In omnibus hisce casibus fit, ut humorum prope cor mole aucta, cor majorem offendat resistentiam in vasis, in quæ vasa non potest tam cito commodeque locare copiosius advectos humores; eaque de causa quoque validius se moveat oportet, ut se illo expediat.

Aliquando est irritatio fibrarum cordis, ab acri quodam stimulo facta; ut in cacochymica materia mota. Cordis irritatio forte latius extenditur, quam oportet; omnem enim cordis naturalem motum ut ab irritatione deducam, vix mihi persuadebit quisquam. Nempe cor agere omnino per irritationem, id est inpulsu venosi cruoris in cordis parietes & columnas, irritari cor, ad suique evacuationem cogi, inpelli; vix possumus concedere, quum millionesies millies illud cor irritatum tandem ad stimulos irritantes videretur hebescere iisque

ita adſueſcere, ut tandem inde vix moveretur. Videamus irritationis effectus hos in aliis rebus.

Providus naturæ Sator infantum obturavit aures, oculorum inſpiſſavit aqueum humorem, corneam effecit rugoſam, dum in dias prodeunt luminis auras ; ne vel acutiore ſono, vel vividiori luce adfecti, convellerentur. Ita ſenſim adſueſcunt aëris & lucis motibus, patent aures, inclareſcunt oculi ; ut nullæ amplius oriri queant a ſono aut lumine irritationes. Lac maternum blandum cedit teneriori corpuſculo in nutrimentum, quo ſenſim adſueſcat acrioribus adſumendis. Si autem citius nutriatur craſſioribus, acrioribusve ; vel ſi maternum lac aceſcat, vel alkaleſcat, convellitur, perit. (An oblitus hic eſt *Cel. Auctor*, magnam adeo copiam infantum a teneris nutriri, educari, quin ullum guſtent lac maternum, aut nutricis ; pro alimentis adquirere res lacte multo craſſiores, tum in noſtris, tum in exoticis regionibus, quin tamen inde convellantur tenelli, pereant ? Negari quidem obſervatio *Cel.* HAENII plane nequit ; aſt ceu catholica non recipienda erit theſis.) Per ætatem autem fit acrioribus ferendis aptus ; ita, ut a ſale, aromatibus acidisque ne adficiatur quidem. Homo, dudum caliginoſo in carcere detentus, dum in lucem prodit, convellitur fere, titubat, fit vertiginoſus : (mora ſola diuturna in tenebris redditus nyctalops, noctuarum, veſpertilionum, nycticoracum, phalænarumque noctivagarum ad inſtar) ſi ſenſim adſueſcat, videt lumen ut antea, inde minime adfectus. Si pertinaciſſima alvus conſuevit homini eſſe, eaque tandem irritis multis cuidam purgantis ſpeciei obaudit, congratulatur ſibi, quod jam invenerit remedium, prioribus ærumnis devincendis aptum ; at ſolamen brevi evaneſcit, dum natura tali ſtimulo adſueta vix quidquam inde moveatur.

Infi-

Infinitus forem, si id genus plura referrem. Id modo concludere vellem, difficile creditu esse, quod cor per 70, 80 annos illam irritabilitatem non admitteret. Neque necesse est, explicare hanc motus perennitatem per irritabilitatem, ubi sufficientes tot causæ præterea ex Physiologia patent: adpellente enim sanguine venoso ad cor dextrum & sinistrum, cor contractum influxum spirituum & sanguinis in se inpediverat; hinc oportet, ut fiat paralyticum, unde intrat sanguis venosus; qui mox iterum expellitur, quia cor paralyticum mox novos spiritus recipit, novumque sanguinem. — Hæc porro contra irritabilitatem, ut causam cordis contrahentis sese (*). Ubi, ut in *textu*, acrimonia mate-

(*) Id tamen etiam verum, quod cor brevi a morte jam aliquamdiu quiescens, si aqua tepida, vel flatus per venam pellatur ad illud, iterum quamdam veluti contractionis speciem exhibeat. Cor carnificis manu ex thorace vivi hominis Londini exsectum, salire vidit VERULAMIUS: (in meis circa motum, sensilitatem ac irritabilitatem cordis institutis tentaminibus, inprimis in animalibus amphibiis & piscibus, non tamen æquali ac eadem in omnibus ratione, cor diu satis, dum nervorum ac vasorum hæmatophororum commercio jam privatum foret, corpori exsectum; & spontanea, & stimuli varii accedente actione vibrare, pulsare, convelli, numerosis vicibus ipse vidi. *de W.*) Sed aliud est cordis vivax natura, aliud ejus irritabilitas. Igitur pro & contra argumenta militant. *de H.*

(Hæc *Cel.* AUCTOR in *textu codicis*: copiosa præterea tum in nosocomio, tum variis locis ex

materiæ acceſſerit, v. g. cacochymicæ materiæ motæ, vel materiæ alius acrioris, v. g. quando homo in prandio ſale multo multoque pipere, aut allio uſus, febrim pomeridianam habet ; tunc hanc video intelligoque irritationem, prout in præcedentibus ſuo explicavi loco. Si pus, ſi materies atrabiliaria cum ſanguine miſceantur moveanturque, irritatur cor & palpitat.

3) *Inflammatione cordis, pericardii.* Magna pars medicæ praxis occupatur circa acuta & chronica mala cordis & magnarum arteriarum ac pulmonum ; cordis palpitationes, pulſuum intermiſſiones & remiſſiones ac deliquia varia, orthopnoeas, aſthmata, catarrhos ſuffocativos &c.; unde peto ſolitam adtentionem, Veſtram : nam alio-

---

ex cathedra pathologica, proferre ſolebat circa hanc rem, *Hallerianum irritabilitatis* ſyſtema frequenter criſi perſtringens. Recentiſſima equidem hæc omnia gero in memoria. Conſulto vero tum horum nil addidi, tum & hic adlata abs animadverſionibus, quæ ſubjungi & potuiſſent & vix non, ut nonnulli amicorum autumarunt, debuiſſent, dimiſi ; quum Phyſiologiæ magis ſpectent ambitum ; paucis abſolvi difficilius potuiſſent ; ingratum demum horream laborem, bella inter viros magnos olim geſta denuo revocandi in mentem. Præſtantem hac occaſione Lectoribus commendo Diatriben Viri magni, *Cl. Budenſium Chemicæ & Botanices Prof.* WINTERL, quem inter amicos cum voluptate numero, de *inflammationis theoria nova* ; ubi circa cordis motum & arteriarum copioſa & pulcra invenient. *de W.*

alioqui Medici in multis cespitant : hi morbi omnium minime intelliguntur. — Ut omnes partes, ita & cor atque pericardium, arteriis innumeris constantia, inflammari possunt. Dolor vero concomitatur vix ullus hanc inflammationem : usu enim conpertum est, in cadaveribus cordis & pericardii inflammationes & subpurationes esse inventas, quamvis cordis dolores in vita nunquam hi homines conquesti essent. (*) Videntur vitalia viscera, ut cor & pulmones, qui a nervis octavi & intercostalis paris nervos suos habent, motui, non sensui, esse destinata.

4) *Hisve male adfectis a calculo* : probabo exemplis paullo post ad §. 835. : *vermibus, pilis, anevrysmate*, deinde a *cruore spisso, polyposo, copiosiore* : omnia hæc latius ad §. 835. exponentur : nunc adsumo tantisper. (**)

§. 827.

(*) Antea p. 286. vidimus historiam ex HOLLERIO, duorum calculorum & multorum abscessuum in corde ; unde urina purulenta, cum integerrimo systemate uropoëtico. *de H.*

(**) LOWERUS, *de corde*, ipse invenit *vermes* in pericardio, qui miras in vita fecerunt palpitationes. *Pilorum* exempla habet BONETUS, VESALIUS. *Anevrysmate;* ut sæpius in cadavere vidi : v. LANCISIUM. Addam hic *defectum spirituum vitalium.* Anno præterito (1759 ?) Julio mense interiit subito in nosocomio mulier, quæ palpitationibus cordis, tussi, anhelitu (respiratione) difficili laboravit per annos. Cada-

ver

§. 827. *Pulsus arteriarum intermittens* &c. Videtis hanc theoriam pathologicam nos in ipsam praxeos medullam deducere : nam hæc theoria bene intellecta pariet Vobis intellectum multorum in morbis phænomenorum. Pulsus intermittentis triplicem causam hic tradit B., quarum primam deducit a liquido cerebelli inæqualiter fluente in cor ; alteram a vase transmittente humores ; tertiam ab humoribus illis ipsis.

1) Aequabilis influxus spirituum in musculum facit æquabilem musculi motum. Hic intelligitur natura *convulsionis* : unde prosequitur *textus* :

Causa proinde hujus mali varia ; ut convulsio : convulsio ergo in hoc determinato casu est liquidi cerebellosi inæqualis in cor influxus. Causa ejus est vel 1) sanguis copiosior adpellens ad cerebelli corticem, adeoque sibi viam conprimendo obstruens ; vel 2) sanguis idem, nimia crassitudine, non copia, idem efficiens : 3) sanguis, non copia, non crassitudine, sed acrimonia peccans ; pulposam cerebelli substantiam irritans; 4) sanguis copia deficiens : cor enim tunc non potest successive sanguinem pellere ad corticem cerebelli, sed interrupte; secretio proinde interrupta spirituum & influxus eorum in cor interruptus, inæqualis : ergo convulsio. 5) Sanguis non ullis horum peccans, sed rarefactione nata, ut in ira.

2)

---

ver exhibuit nobis vitalia naturaliaque viscera sanissima : pauca enim pleuræ ad pulmones adhæsio non obfuit, etsi triplo major fuisset ; id enim cadavera docent : ergo palpitatio ibi non habuit causas visibiles : alia ergo quærenda in spirituum defectu : is vero unde ? Ignoramus. *de H.*

2) *A vitiis humorum.* 1) *Polypus. Præcedenti ſpho* conſiderabamus polypum, ut cauſam cordis palpitantis; jam vero ut cauſam pulſus intermittentis. Nec miramur, polypum utrumque facere. In corde enim hærens, facit, ut cor ſanguinem violentius pellere debeat, ut vincat illam reſiſtentiam, quam ſuo motui obponit polypus. Sed idem polypus, vel in corde, vel in arteria, nunc magis in medio, nunc ad latera propior, efficit, ut ſanguis nunc majori, nunc minori copia in arterias pellatur; unde tunc pulſus inæqualis *rythmo*; & quia idem quoque polypus alium atque alium ſitum alio atque alio tempore obtinet, hinc alio atque alio tempore ſanguis tardius citiusve in arterias projicitur; unde tunc pulſus *tempore* intermittens. Deinde *cacochymia pituitoſa*, quæ efficit, ut ſanguis lentus atque tenax vaſa corticis inferciens viam difficiliorem efficiat ſanguini, qui a tergo advectus hoc momento reſilit ab obſtaculo, altero momento obſtaculum perprimit: neceſſario ſic faciens intermiſſionem in ſpirituum ſecretione.

2) Ex hiſtoria apoplexiæ conſtat, quod humores hominum pituitoſorum ſæpe inepti ſint ad ſpiritus gignendos, deficiente præciſe in his illa materie nutritiva & apta, ut in cerebro & cerebello gignantur ſpiritus. Unde hi proclives in apoplexias frigidas, lethargos; in quibus omnes vitales diminuuntur, quando in apoplexia calida pro tempore increſcunt.

3) *Inflammatio arterioſa.* BOERHAAVE hac occaſione narrabat, ſe vidiſſe bovem mactatum, qui immolandus fugam capeſſerat & poſt diuturnam fugam captus occiſus fuit. Aorta porro arteria ipſi erat præ inflammatione nigreſcens plane. V. V. videntur intenti fuiſſe in tales inflammationes. ARETÆUS caput habet *de venæ cavæ acuto morbo*, *caput* nempe 8. *l.* 2. *de cauſis & ſignis acutorum*: inflammationem arteriæ ibi de-

defcribit additque, quibusdam etiam arteriam fecundum dorfum, i. e. aortam, inflammari. *L. de curat. acut. c.* 7. *ait :* „ venæ cavæ, craffæque arteriæ, quæ fecundum dorfum extenduntur, inflammationem, ardoris fpeciem, majores noftri adpellaverunt ; nam & ardoribus fimiles adfectus in ambabus oriuntur : ignis acutus & acer, faftidium, fitis, anxietas, pulfus palpitans in præcordiis, &c.

4) *Inflammatio pulmonica*, ut in peripneumonia, maxime ubi non tantum arteria bronchialis, pulmonem nutriens, inflammatur, fed etiam pulmonalis, per quam trajectus fieri debet cruoris totius corporis. Quando id contingit, fanguis a tergo veniens hoc momento inpellit fruftra in obftaculum, altero momento illud perprimit in venam ; donec vel omnes obftructiones pertinaces offenderit, quo fiat fubpuratio fcirrhusve, aut gangræna ; vel etiam fine his perfecta ftafis humorum, i. e. mors. Quamdiu autem id fit, ut hoc momento inpellat fruftra, altero iterum propellat & perprimat, pulfus intermittens contingit, difcrimen femper minitans in hoc morbo. Talem revera pulfum in peripneumonia inveni : fed non cogitemus, id femper fieri ; fæpe enim ob aliam caufam peripneumonia habet pulfum mollem, qui cæteroqui denuntiat omnia bona. Ratio hæc eft : in fumma & periculofiffima inflammatione pulmonis fanguis arteriofus ex corde dextro fiftitur ad capillares arterias plurimas ; per paucas apertas tantum tranfit : ergo cor finiftrum parum tantum fanguinis accipit a venis 3. 4. pulmonalibus : ergo cerebrum parum tantum fanguinis accipit a corde finiftro : ergo parum tantum fpirituum fecernitur. Dicetis, tunc debere oriri pulfum inæqualem a paucioribus fpiritibus : id ita effet, fi copia fanguinis eadem a corde deberet projici ; fed jam cor finiftrum pauciorem copiam accipit ab

obftru-

obſtructis pulmonibus ; ergo aorta pauciorem copiam dat omnibus arteriis abdominis & crurum : ergo paucior copia redit ad cor dextrum : ergo cor non debet multum laborare, ut illam pauciorem copiam perprimat per pauciores arterias, in pulmone apertas, in venas pulmonales. Sic, dum aliquot libræ ſanguinis pulmone detinentur inmotæ, parcior circulatio fit, & dat pulſum mollem. Cavete, ne bene auguremini, ut multi decepti ſunt : nam & fallit pulſus & ipſe æger, dicens catarrhum modo eſſe, nil ſibi dolere, brevi, aucta obſtructione, moritur ſuffocatus.

5) *Inflammatio cardiaca.* Cordis inflammationem diſertis verbis deſcribit HIPPOCRATES in peripneumonia ; ita in *Coacis prænot.* ſecundum DURETI diviſionem *c.* 16. *de pleurit. & peripneumon. text.* 30. „ Quodſi totus pulmo *una cum corde* inflammetur, ut in latus procidat, reſolvitur totus æger jacetque frigidus & ſenſus expers : moritur autem, ſecundum aut tertium diem agens : ſi autem ſine corde contigerit, idque minus, ſerius vitam finiunt & quidam evadunt. "

In *præcedenti §pho* inflammatio cordis conſiderabatur ut cauſa palpitationis cordis, hic ut cauſa pulſus intermittentis. Quod inflammatio hæc palpitationem inducat, inde oritur, quod cor ab inflammatione gravius fiat inmobiliusque ; ut tamen inpulſam ſanguinis copiam propellat, majorem vim exercere debet & ſenſibiliter tunc pulſare deprehenditur. Tamen poteſt contingere, ut cor inflammatum alio atque alio ſit fortius debiliusve ; inflammatio enim tunc eſt in arteriis coronariis ; ſi, quemadmodum in arteria pulmonali inflammata mox dicebamus, ſanguis coronarius nunc quibusdam in ramulis omnino repellatur ab obſtaculo, cor mole turgidius erit : ſi alio momento obſtacula quædam perprimat, cor erit flaccidius. Immo, quo tempore

cor minus inflammatum, plus admittet ſpirituum; quo tempore plus inflammatum, minus admittet; intelligitis enim, quo inflammatio major, eo plus ſunt conpreſſi nervi, & vice verſa. Unde pulſuum intermiſſionem fieri debere, intelligitur.

6) *Cruor deficiens;* ut mox, dum convulſionem ab hac cauſa explicabam, intellexiſtis. Columna ſanguinis eſt interrupta: non eſt tantum ſanguinis a corde pulſum in carotides, ut hæ conprehendant illam: hinc duo, tres pulſus requiruntur, ut arteriæ columnam prehendant & mittant ad cerebellum. Igitur ſpiritus aliquando deficiunt, aliquando iterum fluunt.

7) *Arteriæ oſſeæ, cartilagineæ, anevrysmaticæ.* Iterum videmus idem nunc pro cauſa pulſus intermittentis poni, quod *§. præced.* pro cauſa adſumebatur cordis palpitantis. Eſt ſane veriſſimum utrumque. Arteriæ oſſeæ, vel cartilagineæ reſiſtentiam majorem ſanguini ex corde pulſo creabant, nec eædem inpulſum cruorem ad capillaria bene promovebant: hinc oportebat cor vires longe majores exercere, ut ſanguinem ad arteriarum pelleret extremitatem; ergo validius pulſare percipiebatur. Verum illa mutatio arteriæ aortæ in oſſeam ſubſtantiam tanta non eſt, ut vaſa omnia penitus deleantur; nam tunc vas non poſſet nutriri, neque arteria ſupra plagam oſſeam ſua functione uti poſſet: ergo ſupra, vel infra, vel inter ſubſtantiam oſſeam arteriæ decurrunt, quæ totam arteriam nutriant.

Ponamus nunc, hominem illum vel protractius loqui, vel animoſius; ponamus, eum motum edere ſolito majorem, tunc ſanguis derivatur copioſius per cavam ad cor dextrum, ad pulmonem, ad cor ſiniſtrum: ſed tunc cor ſiniſtrum aucta ſanguinis copia plus ſolito obrutum, non poteſt ſe integre evacuare per reſiſtentem arteriam: hinc cor ſenſim dilatabitur, anevrysmaticum

fiet,

fiet, vel palpitabit fine integra evacuatione ; donec cessante copiosiore adfluxu venosi cruoris id sensim evacuet, quod integre evacuari antea non poterat. Porro. si id, quod in corde restitaverit, servavit aliquem fluorem, in massam humorum recipietur : sin minus, polyposus hærebit inter cordis columnas, vel propelletur in arteriam, vel contingit etiam, ut cor non fiat anevrysmaticum ; sed aorta, quæ in quibusdam fit extensione adtenuata ; ita, ut a motu vel contusione crepet arteria & fiat mors ab hæmorrhagia. In quibusdam aorta fit anevrysmatica & simul ossea : ita in Duce militum vidi, qui a multis annis modice, ultimo semianno vitæ pulsu intermittente, respiratione ad minimum motum, intercepta, laborarat : hydrops thoracis & abdominis accesserant & sic misere moriebatur. Inveni aortam, mox ubi a corde exibat, extensam in saccum anevrysmaticum, qui capiebat libram medicam aquæ. Saccus crassus externa parte, membranaceus interna tota, osseam plane duritiem habens. In egregio opere WEPFERI *de apoplexia* habetur vita WEPFERI, mors ejus & anatome. Aorta arteria multis in locis ossea inventa, & maxime antequam in iliacas abiret Videte adtente ibi *tabulam*, quæ illam aortam exhibet.

Sed etiam aorta anevrysmatica non extenuatur, non ossea fit, sed augetur inmaniter substantia heterogenea. RUYSCH. *Obs. anat. n.* 37. 38. duos casus exhibet, maxime ultimum, in quo arteria aorta ita anevrysmatica, ut sesquipedis haberet, ex comparatione RUYSCHII, diametron ; unde costæ, sternum, in pulverem fatiscebant : sed crassities erat enormis hujus sacci anevrysmatici ; erant lamellæ instratæ multæ, crassæ, induratæ.

Historia feminæ ad §. 732. relata docet, quod anevrysma ex interioribus ad exteriora versum &

per annos ibi notabiliter pulſans, poſſit per vim vitæ iterum inde reduci & ad interiora locari, ut ſpatio trimeſtri ante mortem nedum pulſatio ulla, ſed nec ipſe totus tumor, ultra adverteretur, malo toto jam intus locato.

Ergo iterum cauſa intermittentis pulſus multiplex, tum a polypo, tum a copioſiori advecto ſanguine, tum ab irregularitate, qua ſanguis per arterias coronarias eo tempore in cor & in arteriarum feratur tunicas, tum ab irregulari ſpirituum cerebelloſorum influxu in cor, nunc laxius, nunc conpreſſius exiſtens in ſua ſubſtantia, pro majori minorive copia inhærentis ſanguinis.

Cartilagineæ, quæ tantam quidem duritiem non habent, quam oſſeæ, majorem tamen, quam in ſtatu naturali; illa omnia hæc vitia, quæ oſſeæ arteriæ, ſed mitius, producunt.

Anevrysmaticæ; quando Vobiscum egi *de anevrysmate* ad *ſph.* 732., vidimus, preſſione, ſitu corporis, mutato motu, ipſum anevrysmaticum ſaccum minui, augeri, turgere, flacceſcere; ex quibus pulſus intermiſſionem intelligebamus; maxime, quo tempore fiebat illa ſacci mutatio.

Calculo infarctæ; ut videbimus brevi poſt, *ad ſ.* 835.

8) *Cor male adfectum vario modo;* id etiam ibi videbimus.

Tandem eſt pulſuum intermiſſio aliquando ſine ulla harum cauſarum. *Georg. Wolfg.* WEDELIUS, *ann.* 2. *Eph. N. C. obſ.* 237., docet, in pulſu intermittente falli Medicum,

1) Quia pulſus intermittit adparenter, ob ſitum arteriæ profundiorem; qualem ſæpe in obeſis reperire eſt;

2)

2) Quia intermittens pulſus eſt *naturalis* ex idioſyncraſia, quod & obſervato proprio, tum obſervatis Rolfinckii aliorumque probat. Ipſe, ut jam alibi retuli, unum alterumque vidi, quibus pulſus talis ſemper naturalis, præterquam in morbis. Didicerant uſu, quamdiu Medicus non miraretur intermittentem pulſum in morbo, tamdiu ſecum male agi: at vero, quando me rogabant, an pulſum intermittentem deprehenderem, egoque adnuebam, exſultabant præ gaudio, re jam in vado exiſtente.

3) Wedelius intermittentem obſervabat in pleuriticis, licet evaderent; in febribus malignis, quamvis reconvaleſcerent; in hypochondriacis denique & ſcorbuticis.

Demum intermittens pulſus obſervatur in motu critico acutorum, dum cor heterogenea materie, ſanguine conmiſta oneratur: ſi evacuatio critica ſubſequatur, talis intermiſſio bona denotat.

(Additamenta hic in *margine Cel.* Auctor addidit ſat prolixa, ſequentia; quæ ob rei dignitatem inmutata hic exhibenda ratus ſum.)

Scitis, ait, ad nos accedere feminam, quæ, jam ſæpe examinata, nulla ſigna habet adfecti viſceris vitalis; neque idiopathice, neque deuteropathice: ſed tantum in primis viis laborare hucusque videtur: hæc tamen pulſum tam mire intermittentem & remittentem habet, ut ſane obſtupueritis.

Die 29. & 30. Mart. 1759. ſuper hac materie lectionem dedi hac occaſione. Femina annorum 40 ante biennium, ſana exiſtens, & gravi ſarcina in dorſo onerata, cecidit in anteriora. Nihil fuit exterius læſa, ſed cordis palpitationes habuit & dolorem in antica & poſtica ſiniſtri thoracis regione. Ex illo tempore non valuit ultra geſtare onera, gradusque con-

ſcendere, quin cordis palpitationes dirasque pateretur anxietates, corde palpitante ſimul in hypochondrio ſiniſtro & ad 4. 5. 6. coſtam poſterioris thoracis ſiniſtri [ab inferioribus numerando] moleſta, dolens, & thoracem auguſtans, pulſatio. Nullum auxilium habuit ex arte, niſi v. ſ. binas unumque purgans. Elapſo deinceps anno tuſſis ſicca acceſſit, & loco dicto thoracis ſiniſtri tuberculum molle, pulſans, adparere cœpit, ſenſim creſcens, & , quo cor validius pulſabat, eo quoque validius tuberculum. Increvit malum, corpus extenuabatur, ſputa purulenta prodiere, & 1758. menſe Octobri (noſocomium) *Beckenhäuſel* intravit, ubi *Expert.* STÖRCK & anevrysmatis & phthiſeos pulmonalis diagnoſin faciens, eam usque in Martium 1759. omnibus artis auxiliis ſublevavit, donec moreretur. Notavit porro octiduo ante mortem, tumorem mole minuiſſe, minusque pulſaſſe. In cadavere pulmo exterior cruſta craſſa inveſtitus, intus multas vomicas geſſit. Aſpera arteria craſſo pure repleta. Utroque in cordis ventriculo magni ſolidi polypi. Aorta in parte poſtica, qua dorſo adjacet, habebat orificium pollicis diametri, abiens in ingentem ſaccum, pugno majorem, oblongum; qui ſaccus anterius aortam dimoverat a ſede ſua & intra cavum thoracis produxerat: nam ingens ille ſaccus erat locatus inter ſpinam coſtasque & inter aortam. Unde aorta ibi conplanata; hinc reſiſtentia nata ſanguini ex corde venienti: aorta ſupra ſaccum duplo amplior, rigidior & oſſeis laminis intus tecta; non quidem tota ſuperficie interna, niſi prope cor; cæterum quaſi per inſulas, præciſe, ut erat in Duce militum STÖRCK Hagæ Batavorum, & ut in *Memoria* WEPFERIANA tabula exhibetur. Hinc vis cordis, in conpreſſa aorta inpeditior, valide ita in ſanguinem egerat, ut ſaccus parte externa ſacci viam ſibi fecerit inter

ter duas coſtas, ibidemque formarit ſaccum ſesquipollicis diametri, ipſasque coſtas, cum ſpina bene articulatas, dimoverit a ſe invicem pollicis fere latitudine. Jam vero ſaccus internus erat plenus fuſca, nigreſcente materie, lamelloſa pro parte, ſed etiam pro parte lamellis intertextis & unitis confuſa & intricata : in meditullio parum nigri grumoſi ſanguinis erat. Igitur, quum copia ſanguinis distendentis nimia foret, ultra inpleri non potuit, & pulſatio fere ceſſavit : unde etiam, quum distendi ultra a corde non potuerit, cœpit ſe contrahere ille externus adpendiculus octiduo ante mortem. Porro magnus ſaccus erat adcretus ſpinæ usque ultra rotunditatem corporum aliquot vertebrarum ; ita, ut adcretio hæc ſeſe usque in dextram cavitatem thoracis extenderet, erantque ea ipſa corpora vertebrarum eroſa & carioſa.

Uti a cauſa externa natum hocce anevrysma, ut non coſtæ aut ſpina inmediate læderentur, ſed adjacens aorta, quæ forte hic inflammata & ſubpurata debilior effecta eſt ; ita NOORTWYCK in *præfatione ad opus* SOLANI DE LUCQUES narrat ſimilis anevrysmatis hiſtoriam a violenta tuſſi poſt peripneumoniam orti, quod inter tres coſtas exterius protuberaverat.

Anevrysmata ergo cauſas internas agnoſcunt & externas ; ſed cavere oportet, ne hic fallamur : centies enim dantur anevrysmata cordis & arteriarum, ubi nullus tumor externus adparet, & ubi anevrysmatis præſentiam ex reſpiratione, anhelitu ad motum, pulſu intermittente, inæquali, interna pulſatione circa præcordia, adeſſe dicimus. Porro ipſiſſima omnia hæc oriri queunt ſine ullo labe vitalium, a viſceribus naturalibus male adfectis, & maxime a copioſa atra bile, qua ſyſtema venæ portarum turget.

Id in Centurione KUNCKEL patuit, qui ineunte anno 1757. valido terrore & animi ægritudine, quam

ſecum concoquere debuit, adfectus, ingentes habuit cordis palpitationes, v. ſ. & purgantibus adhibitis ceſſantes, poſt aliquot menſes, ſimili renata cauſa, redeuntes, denuo ad hæc remedia ceſſantes, ſed ſub finem anni & anno 1758 continuantes. *Inl.* PRÆSES, *Doct. Med.* STÖRCK *Ego*que eum vidimus ex minimo animi pathemate ita corde pulſantem, ut manu adhibita coſtæ veluti elevarentur, totoque abdomine pulſatio percipiebatur. Hic ergo omnia ſigna ſive anevrysmatis cordis, arteriarumve, aut utriusque; vel & polyporum. Tamen nihil minus. Lucida intervalla dabat uſus ſap., acidor. c. nitro & diacodio; ſed redibat malum cum enormi tuſſi & ſtrepitu pulmonis. Enemata inmorigeram alvum quotidie ſollicitabant. Regio ventriculi magis tumeſcere cœpit, ut & hypochondria ipſeque venter totus. Cataplaſmata adplicabantur continua. Alvus prodiit flava, multo glutine & fruſtulis duris ex viridi flavis referta, tertia Aprilis, ſimiliter & quarta: tunc animam jam agere videbatur, facie tota hippocratica. Alvus 5. Aprilis octies prodiit, nunc flava, nunc viridis, nunc nigra. Ex eo tempore omnia ſedata & morbus ita devictus, ut 5. Maji cum Medico ſuo STÖRCK me inviſerit perfectiſſime ſanus, alacer, indefatigatus, & ſic eſſe perſeveravit.

Ergo ſemper cum cautela ſententiam dicamus; nam hic jam videmus hujus, ejusdem viſi, duplicem originem. Verum, anno 1756, menſe Julio, aliud vidimus. Acceſſit inter matutinos pauperes (queis indies, malorum ſuorum levamen gratis accepturis, accedere noſocomium practicum licitum) juvencula femina, ſemiſtolida, quæ nihil ſibi deeſſe dicebat, quam quod nulla remedia alvum ſollicitare valerent; ita, ut jam ſine alvo eſſet ab aliquot ſeptimanis. Hinc juſſi, ut in noſocomio per aliquot horas maneret, ac juſſi primo

ene-

enematibus alvum follicitare, antequam aliis remediis uteretur. Verum mox fub actione enematis moritur. Mater & confanguinei accedentes narrant, eam multis ab annis laboraffe tuffi, anxietatibus, pectore obpreffo, cordisque vehementibus palpitationibus, debilitatibus, leipothymiis. Ergo alterutram mox explicatarum caufarum (anevrysma cordis aut arteriarum) fufpicati aperuimus cadaver: vifcera pectoris & abdominis omnia faniffima; tantum levis pulmonis cum pleura adcretio. Quæ hic caufa? Sola fpirituum ataxia, nervorum adfectio. Helmontius afthma ait epilepfiam pectoris: an non poteft effe epilepfia vitalium, fæpe repetens, tandem vitam fuffocans?

§. 828. 3) Pulsus crebrior *oritur a celeriori contractione fyftolica cordis: hæc autem a frequentiori influxu fpirituum cerebelli, & difficiliori progreffu liquoris expellendi, quo faciunt acre & obftructum.*

Hic veram videre licet febrium & *ideam* & *naturam*: quippe cor agit celerius & vafa refiftunt fortius: ergo obftructio in vafis minoribus, & vehementior, five celerior, motus cordis, faciunt febrim, faciunt pulfum celeriorem.

Velim autem, hunc pulfum diftinguatis ab eo pulfu, qui in moribundis obfervatur, in quibus crebritas pulfus tanta, ut nemo fit, qui numeret. Eft enim tantum dicenda undulatio, non pulfus; motus debilis cordis, fatagentis propellere humores, nec valentis; hinc frequentiffima hac debili actione defectum motus refarcire conantis, donec fruftraneo labore defatigatum collabafcat. Loquimur autem de integra evacuatione, pulfu dicenda.

Igitur, qui motum cordis frequentiorem, & majorem ad capillaria vafa refiftentiam cogitat, febris *ordinariæ* ideam habet.

Cordis contractionem celeriorem facit fpirituum cerebelli crebrior copiofiorque adfluxus: hunc crebriorem adfluxum facit crebrior copiofiorve adpulfus arteriofi cruoris per arterias vertebrales & carotides ad corticem cerebelli: hunc copiofiorem crebrioremve adpulfum efficit venofi fanguinis copiofior &c. influxus in cor dextrum. Hæc maxime naturaliter hic contingunt. Jam motus nimius, frictio &c. cordi inmittunt copiofiorem fanguinem & inpellunt illum frequentius. Verum homo faniffimus, motu fanguinis gaudens pacatiffimo, in perfecta quiete, refpirat aliquoties fortiter frequenterque. Si robuftiffimus fit, fenfim; fi minus robuftus, illico febris nafcitur momentanea; fi diu continuet, febris diuturnior. Homo enim ille infpiratione crebriori fanguinem arteriofum ac venofum pulmonicum inpellit crebrius in cor finiftrum, in aortam; inde ad cerebrum & cerebellum: hinc nafcitur fpirituum cerebellofórum frequentior ad cor adpulfus &c.

Sit alius homo per omnia fanus atque tranquillus pulfuque gaudens pacatiffimo. Quacumque de caufa vehementer irafcatur: jam mox pulfum frequentem & febrilem habet; ira quippe furor brevis. Collum, fauces, oculi, livefcunt copiofo cruore; pulfus fit creberrimus. Quid hic factum eft? Mens corpoream agitat molem & vires incitat omnes, quibus ingratum deleat objectum. Uti tumet facies, collum, oculi, ita & interna: ergo major adpreffio rarefacti humoris ad enkepharon &c.

§. 829

§. 829. PULSUS INMINUTIO, *vel* DELETIO; *quæ reducitur ad λειποθυμίαν, ubi eo usque deficit, ut vires multum debilitatæ corpus vix ſuſtineant.*

Textus hic recenſet quatuor genera inminuti, aut deleti, pulſus; quæ ſolent promiſcue nominari & in conſultationibus confuſe proferri a Medicis, quod illa exacte haud diſtinguant. Quanta ex obpoſito V. V, ſedulitas & patientia! Ad minutiſſima intenti, ſingularum rerum ita definiebant conditiones, ut res nunquam confunderent. Et ſane, quum gradu ſemper in pejus tendant hæ quatuor differentes ſpecies, operæ pretium eſt, eas exacte diſtinguere noſſe, ne ſymptoma gravius pro leviori, levius ſumatur pro graviori.

Λειποθυμίαν; prima horum quatuor & ſimul leviſſima eſt, ubi pulſus eo usque deficit, & vires adeo debilitantur, ut corpori ſuſtinendo vix amplius ſint. Θύμος *animus*, ſæpe *magnanimitas*; gall. *courage:* ergo quando θύμος λείπεται, *maſculum robur, robur vigens corporis*, paullulum deficit; ita, ut homo dicat: „neſcio, quid mihi deſit; vix enim me ſuſtineo;" tunc λειποθυμία adeſt.

Λειποψυχίαν, *quando hæc usque adeo increſcit, ut & naturalis calor multum labefactari incipiat:* ψυχὴ, *anima*, ſive *principium cogitans*, ſive *cogitationis cohæſio*, tunc incipit perturbari, calorque vitalis diminui; pallor tunc in facie percipitur.

Συγκοπὴν, *ubi cor eo usque deficit, ut calor, motus, ſenſus, fere deleantur, ſudoresque frigidi exprimantur.* Gradus iterum mali auctior. Συγκοπὴ, a συγκόπτω, *concido, diſcindo:* eſt figura grammatica per *ſyncopen.* Jam increſcit frigus, vix motus, aut ſenſus adſunt, ſuntque veluti præciſæ vires: humi jam jacet homo.

'Ασφυξίαν, *ubi omnia illa quoque ad ſenſum deleta, mortis imaginem ſimulant*: σφύζω, *ſalio*, *pulſo*, *mico*, *palpito*: ſic GALENUS ait: „ αἱ ἀρτηρίαι, σφύζουσι (arteriæ pulſant): ἀσφυκτέω, *pulſu deſtitutus ſum*; ἀσφυξία, *privatio*, ſeu *defectio pulſus in toto animali*; hinc & κακοσφυξία, μικροσφυξία. Imaginem mortis ita hæc ſimulant, ut ſi ſtatus talis per aliquod tempus continuet, ipſa mors adſit. Eſt tunc horologium bonum, ſed cujus quieſcit elater: reddite ei motum, horologium vivet totum; ſinite illud, ut ante, quieſcit. (Comparatio hæc vita nonniſi a brevi adhucdum temporis intervallo ſilente ſat concinna videtur; attamen paullo diutius illo protracto veræ aſphyxiæ ſtatu non ultra adplicanda: horologium inmoto elatere quieſcit, movendum illo in motum denuo deducto. Attamen in corpore animali etſi poſſibile foret ſopitam denuo revocare vitam, cordis arteriarumque motu in actionem deducto, animadvertendum eſt, ipſum vitale fluidum, ſanguinem rubrum, interea temporis in concretiones abiiſſe polypoſas, novæ vitæ mox alterum, non ultra domandum, obpoſituras obicem. Moneo hoc, quum ſciam, non paucos Naturæ-Conſultorum ex mechanicis, phyſicis &c. petitas comparationes, egregii quidem, dummodo legitime ſobrieque adplicentur, in exponenda œconomia animali uſus, nimium omnino etiam multis circumſtantiis adſumere; ut ex corpore humano meram fere machinam mechanico-hydraulicam feciſſe videantur). Homo aliquamdiu ſub aqua demerſus, ἄσφυξος ſæpe extrahitur: conandum, ut motus exſuſcitari poſſit: ſi exſuſcitetur, bene; ſin minus, mortuus manet.

Si quis nunc hæc nomina inter ſeſe confundens alterum pro altero ſumat, confuſe loquitur cum alio, qui

qui hæc diſtincte intelligit: neque ille aptus eſt, V. V., qui tam adcurate hæc diſtinxerunt, intelligendis, explicandis.

Cauſæ horum ſymptomatum variæ varioque gradu conſtantes; ſimiles fere iis, quæ §. 827: quippe non mirabimini, in hisce quatuor ſymptomatibus id contingere debere, ut vel liquidum cerebelloſum inæqualiter in cor influat; vel vas, humores tranſmiſſurum, male adfectum ſit; vel denique male adfecti ſint humores. Uti hæc olim deduximus vel a convulſione, vel a polypo, vel a cacochymia pituitoſa, vel ab inflammatione arteriæ, cordisve, aut pulmonis, vel a defectu cruoris, vel ab arteria oſſea, cartilaginea, anevryſmatica &c.; ita & hic facile facimus. Verum ſunt præterea nonnullæ peculiares horum quatuor ſymptomatum cauſæ, quæ nunc explicandæ.

Inprimis ideæ rei horridæ; ſive horridæ omnibus fere hominibus, ſive quibusdam hominibus tantum. Qui, non adſueti, vident exſtirpare mammam, crus, brachium &c., ſæpe per varios gradus hæc nunc expoſita quatuor ſymptomata patiuntur; vel ſaltem aliqua. Vidi, qui vellent ad primam leipothymiam perceptam animum erigere, ne a ſociis irriderentur; ſed a leipothymia incidebant in leipopſychiam, inde in ſyncopen; ita, ut inſtar percuſſi bovis humi procumberent eſſentque foras extrahendi, ne operationem interturbarent; quæ tamen lapſu temporis mutantur ita, ut adſtent animo corporeque firmo.

Sunt vero alii pluribus in rebus heroës inpavidi, in nonnullis plusquam feminæ; ita, ut ad miſſi ſanguinis adſpectum in v. ſ., vel guttularum in vulnere leviſſimo, vel ad contuitum exſilientis puris, mox a leipothymia per varios gradus incidant in ipſam ſyncopen; ut olim Vobis de lanione narravi, qui, vi-

tam

tam in animalium ſanguine profundendo totam terens, ad viſum uxoris in v. ſ. ſanguinem, mox humi proſternebatur. Hæc ad idioſyncraſian pertinent.

Graviditas: hoc videmus quotidie. Gravidæ a mutato humorum circulo & aliis cauſis variis, patiuntur nauſeas, vomitus, anxietates, leipothymias, leipopſychias, aſphyxias, ſyncopes, plethoras peculiares. Ignoramus fere, cur id. Qui reſpondet, id fieri a nervis uterinis, præternaturaliter adfectis & hinc per conſenſum cor & vitalia adficientibus, quia uterus revera ζώον ἐν τῷ ζώῳ (animal in animali), nihil dicit. Fateamur, id nos ignorare.

Animi adfectus, iræ, timoris, vindictæ, adfectu vidi toties animo linqui delicatulas: ſed de his actum ad §. 771.

Spaſmi; quia tantum ſpirituum diſpendium verſus locum ſpasmodice adfectum, ut eorumdem ſit aliis in locis penuria.

Inanitiones quælibet; maxime ſanguinis in vulneratis, parturientibus, abortientibus, cancroſis. His de cauſis vidi multoties ſuccedere quatuor explicata ſymptomata. Explicui rem in *hæmorrhagia* poſt *caput de vulneribus*, & §. 827. Sæpe miramur, dum v. g. mamma exſtirpatur, quam parum ſanguinis exeat; ſed, ubi mamma dilatatur inter ſcirrhoſas partes, copia ſanguinis incredibilis in dilatata, nec reſilire valentia vaſa colligitur; quibus vaſis a viru cancri eroſis, elabitur ſanguis haud ſiſtendus ad mortem usque. Eodem modo cancer uteri facit hæmorrhagias lethales.

Quoad curationem, ea pro cauſæ diverſitate varia erit: ac primo quidem raro cura admittitur, ſi mala a cauſis §. 827. recenſitis oriantur; niſi auferantur illæ cauſæ; nempe inflammationes cordis, arteriarum, pulmonum, quæ omnia pendent a generali doctrina de inflam-

flammationibus. Atque hæc de palpitatione recenti, non inveterata; hæc enim ultima etiam poteſt habere has cauſas. In recenti ergo, ubi palpitat cor, cum febri, cum pulſu pleno [non dico: cum dolore; nam non dolent cor & arteriæ magnæ], cura inflammationis prodeſt.

A polypo vero incipiente medela foret per blanda reſolventia, ſaponacea. Scitis, juvenem hic (in noſocomio practico) aliquoties adfuiſſe, conſultaturum; cui a minimo motu cor maxime palpitabat, ubi a polypo ſuſpicio. Pulpa tamarindorum, cremore tartari, nitro puro, roob ſambuci egregie levatus. (Interim tamen in illo eodem juvene fons malorum in viſceribus abdominalibus magis hæſiſſe videtur, quam polypo adſcribendus; quum cura vix non ex integro ſolis purgantibus perfecta fuerit, quibus vix unquam ſane vera polypoſa concretio reſolvi aut dispelli poterit. Symptomata autem quæ ille perceperat, quin adſit polypus, a vitio hærente in abdominalibus viſceribus procreari poſſe, & ex praxi notum eſt, & ex adducta paullo ante *p.* 311. ab *Cel.* HAENIO hiſtoria Centurionis KUNCKEL eo magis confirmatur. Sæpenumero felix adeo fui, ut unico remedio purgante anxietates circa præcordia, palpitationemque cordis abegerim; quæ alii, mali in loco adfecto cauſam hærere fixiſſimam autumantes topicam, abs ſucceſſu fuerant adgreſſi.) Cacochymia pituitoſa congrua ſibi methodo emendanda: ulcus pulmonale depurandum, abstergendum.

Si vero ab idea rei horridæ, vel vitandæ occaſiones renaſcentem ideam facientes, vel roboranda natura, crebro uſu ut adſueſcat.

Si a graviditate; ſæpe juvant evacuantia, ſæpe nevrotica. Si ab animi adfectibus, ut in hyſtericis & hypo-

hypochondriacis ſolemne, antiſpasmodica dicta proſunt: ſi a ſpasmis, itidem.

Si vero a κενεαγγείᾳ poſt hæmorrhagias; ligatura extremorum, quies, lenia nutrimenta, aër ſubfrigidus, juvant; ut *cap. de hæmorrhag.* dictum.

Si firmata palpitatio, nulli obaudiens remedio, palliatur vita minima, v. ſ. & opiatis.

Adplicate demum his, quæ dixi antea. Cogitet quis, eſſe cauſam in hepate, quia forte legit, viditve, vitales actiones læſas, curatas per hepar deobſtruentia. Dixi Vobis antea, per deuteropathiam cor & vitalia viſcera laborare, ſi hepar, lien, pancreas, meſenterium, adfecta eſſent magnis tumoribus & obſtructionibus. Remedia dicata his obſtructionibus reſerandis, curant ſimul vitia obſervata in vitalibus viſceribus ibidemque per deuteropathiam natis. Quia Medicus legerit, videritve, cordis vitia his in caſibus curata per remedia, quæ ſolverent obſtructa viſcera abdominalia, iterum putat, adgrediendum morbum ſimilibus remediis, ubi non jam deuteropathia, ſed idiopathia, adfecta ſunt vitalia viſcera. Errat maxime & peſſumdat hominem. Si, poſt ſolventia generalia, dederit aquas minerales ferratas, ferrum, ut in hepaticis ſolet; cogitate, quale damnum contingat ab aucta circulatione, ubi adeſt polypus, anevryſma, arteria oſſea. Cura ſola erat, in vita minima conſervanda, in dandis, quæ ſolverent concretiones ſine motu aucto; &, ſi motus nimius adeſſet, opio & v. ſ. is erat conpeſcendus. Ex obpoſito, qui cordis palpitationes, pulſum intermittentem, viderat curari ſæpe antiſpasmodicis nervinis, caſtoreo, aſſa fœtida, ſpiritu cornu cervi, tinctura ſuccini, gummiferulaceis &c. quia aliquando in hyſtericis palpitatio cordis, pulſus intermittens, inæqualis a ſolis ſpiritibus perturbatis, ille nocet (talia exhi-

exhibendo) maxime, quia agit in ſolida humoresque, ut inducat motum æquabiliorem, ubi debebat facere motum ſedatiorem: auget certe malum, aucto motu.

Sequuntur aliquot *Aphoriſmi* HIPPOCRATIS.

Aph. 5—16 „ Calidum, eo frequenter utentibus, has adfert noxas: carnis effeminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, ſanguinis eruptiones, leipothymias. Hæc quibus mors.“ Evidenter loquitur hic HIPPOCRATES de calido humido, quo homines nimio uſi, ut §. 748. conſtitit, laxi fiunt, & effeminati, & debiles & torpidi; quibusque laxa vaſa habentibus oriuntur humorum ſtagnationes, putrefactiones, vaſorum diabroſes, hæmorrhagiæ, & tum a κενεαγγείᾳ leipothymiæ. Quæ ſane iis contingere adfirmat, quibus mors: i. e., hanc eſſe viam conſuetam, qua incedunt ii, qui poſt talia ſymptomata ad mortem tendunt.

Aph. 7—8. „ A tumoris intus ruptione exſolutio, vomitus, & λειποψυχία.“ 1) Si alicubi tumor magnus hæreat, is vaſa multa conprimit & inutilia reddit. Si tumor rumpatur, tunc ſubito ablata hac conpreſſione humores per locum non reſiſtentem fluunt rapide; ita, ut ad cor minus fluentes, aut ad cerebrum, efficiant, ne ſpiritus generentur, cordis motui ſuſtinendo apti. 2) Vomitus eo in caſu oritur, ſi materies v. g. ex liene aut hepate ſubpuratis ſolvatur & ventriculo detur. 3) Leipopſychia ab eadem cauſa, qua exſolutio, ſive leipothymia; nam eſt mali tantum gradus auctior; vel etiam, ſi v. g. pus ex rupto abſceſſu pleuræ, aut pulmonis, aut diaphragmatis, aut pericardii, aut cordis, aut magnarum arteriarum, cadat vel in cavum thoracem, vel in pericardium ibidemque actiones cordis & viſcerum vitalium inpediat. Ita

etiam vomitus poteſt fieri, diaphragmate convulſo a premente pondere puris.

Olim ſemper, dum mihi vena ſecabatur, hæc tria (hic expoſita) ſine ullo malo in ventriculo, a mera nervorum adfectione: hoc vidi in pluribus. Primo fit leipothymia, i. e. exſolutio, ἔκκλυσις; dein vomitus; tum λειποψυχία. Cauſa eſſe videtur minor adpreſſio ſanguinis ad cerebrum. Sunt homines, qui a paucis unciis (emiſſi ſanguinis) id habent. Feminæ molles a menſibus aut lochiis ita quoque adfici poſſunt.

Apud FORESTUM *l.* 7. animi deliquium a ſudore *obſ.* 9.: a v. ſ., ſanguine jam manante *obſ.* 10.: a metu v. ſ., tantum ligatura facta, idque in viro forti, robuſto, carnoſo, longo primo & longo poſtea tempore accidit; ut FORESTUS concluſerit, ei ultra venam non ſecandam, *obſ.* 11. (a ſolo metu venæſectionis epilepſiam ipſam ortam ſcio.)

Aph. 2—41. „ Qui ſæpe & vehementer absque manifeſta cauſa, προφάσιος, animo linquuntur, ex inproviſo moriuntur.“ Id in iis, qui polypos, qui arterias habent anevrysmaticas, cartilagineas, oſſeas, verum. Hi centies in vita animo linquuntur, ſive leipothymia, leipopſychia corripiuntur, & ad ſeſe denuo redeunt, miſeriis adſueti. Fiunt tandem tranquilli circa hæc, tum ipſi, tum eorum neceſſarii, quum toties ad ſe redeant. Porro his hominibus paroxyſmi a cauſa interna, ſemper præſente, oriuntur. Ponite v. g. polypum adeſſe cordis, qui λειποψυχίαν centies fecit, & tamen ſanguini adpulſo iterum locum ceſſit; qui idem jam uno momento vi cordis & vi inpulſi ſanguinis intra arteriarum adigatur anguſtias; mors fit illico. Hinc bene monet HIPPOCRATES, ideo hoc timendum eſſe, quia cauſa externa excitans non adeſt; id quod ſemper

per melius foret, quia ſæpe præcaveri poſſet: quum vero cauſa mere interna eſt, ideo moriuntur plures tales ex inproviſo, quia non præmoniti; ſemel enim ita polypus in anguſtias pellitur, ut obturans loca vitalia vitam finiat.

Aph. 5—56. „ Si fluxui muliebri ſpaſmus & leipothymia ſuperveniat, malum.“ Quia tantum ſanguinis demtum fuit, ut circuitus humorum nequeat continuari; unde cita mors; niſi fluxus ceſſaverit & in ſumma quiete, aëre frigido, ligatis artubus, pauculo nutrimento, paucus, qui ſupereſt, humor labenti vitæ continuandæ poſſit ſufficere. Hinc dixit H. *κακὸν*, non illico *θανατῶδες*, aut *θανάσιμον*; quia feminæ tali vita ſæpe ſervatur. Sed toties hæc res in vulneribus pertractata eſt, ut pigeat in mentem revocare.

Aph. 6—39. „ Convulſio fit aut a repletione, aut ab evacuatione: ſic etiam ſingultus.“ Dixi in *ſingultu.*

§. 830. Respiratio *vero* læsa *ſymptomata primaria numerat* 1) *ἀπνοίαν*, *ubi integre deſinit: & agnoſcit pro cauſa fere, quæ in pulſu inminuto recenſita* §. 829. Eſt ergo reſpirationis integra quies, integra ceſſatio: ejus aliquantilla duratio mors eſt. Primo quidem hæc *ἀπνοία* jam a nobis conſiderata fuit §. *præced.*: quo enim gradu pulſus inminuebatur a leipothymia usque in aſphyxian per intermedia ſymptomata antea dicta, eodem gradu reſpiratio ab iisdem cauſis decreſcebat; ita, ut in perfecta aſphyxia reſpiratio adeo nulla adpareat, ut ſpeculo ori admoto adſtantes examinare ſoleant, num vitrum adhuc aliquantum halitu obfuſcetur. Igitur, quæ cauſæ datæ fuerunt illorum quatuor ſymptomatum, eædem & dantur

 ἀπνοίας;

ἀπνοίας; exceptis casibus miræ asphyxiæ cum motu & respiratione.

Tum eo spectat aër vitiosus §. 746—754. Igitur modo, quæ his §§. exposita fuere, in memoriam revocentur. Verbo repetam, in aëre calidissimo, diu ita perdurante, aves, jumenta, homines reddi anhelosos ac fere apnoëicos: in aëre humidissimo qui se multum movet, illum quoque respirare laboriosius. In aëre graviori & maxime leviori (justo) vidimus tot experimenta physica, periculosæ, immo lethalis apnoëæ.

(Omnium maxime convincens illud, quod ab *Inl.* ZIMMERMANNO in egregio opere: Von der Erfahrung ꝛc. denuo relatum fuit *Holwellianæ* tragœdiæ, quæ in Bengala in sic dicta *caverna nigra* contigit, hominibus referta, spiraculis clausis omnibus; aëre hinc brevissimo temporis spatio deleteriam indolem adepto ob copiam effluviorum, summo æstu corruptorum, putrescentium.)

Venenati vapores, caustici que acidi vel austeri. Ait *Otto* TACHENIUS in suo HIPPOCRATE *chemico*, *c.* 24. *p.* 149. *Edit. Leyd.* „ Olim, quum arsenicum, *Joannis* AGRICOLÆ suasu, toties sublimare tentarem, ut tandem fixum in fundo vasis permanere deberet - - post multas sublimationes quum vas aperuissem, inspiravi auram, palato tam suavem, dulcem ac gratam, quam cum admiratione nunquam antea similem expertus fueram; sed post semihorulam stomachum contractum & dolentem sensi, cum omnium membrorum convulsione; respiravi difficulter, sanguinem minxi cum incredibili ardore; subito post colico dolore correptus totusque contractus evasi per sesquihoræ spatium. Lacte & oleo restitutus, mediocriter me habui; febris tamen lenta, hecticæ similis per integram hyemem permansit, quam exstinxi vulnerariarum herbarum deco-

ctis

ctis & esu cimarum brassicæ, aqua bulliente tabefactarum, aurantiorum succo, oleo & modico sale conditis. Immo natura adpetebat hunc cibum ut vix horam cœnæ exspectare possem; hisque remediis perfecte convalui.

Inl. VAN SWIETEN narrat, se juvenem novisse habitantem apud Oenopolam, ut addisceret commercium vinorum; huic sodales petulantes dixisse, ut examinaret, qua arte vinum a fermentatione præservaretur, nares ponendo supra spiraculum ingentis dolii, sulphuris vapore repleti: rerum ignarum juvenem id fecisse, concidisse, aliquot horis cum morte luctatum esse, & redeuntem ad se tota vita misere fuisse asthmaticum; ut nunquam lecto decumbere potuerit.

Sed præter vapores tales aër quibusdam artificibus noxius, ubi inprægnatus pulvere lapidum (aliisve variis exhalationibus rerum, quas artifices ejusmodi tractare solent; quorsum inprimis referendi vapores saturnini, *v. Cl.* GMELIN von den mineralischen Giften; *tum* & *Op. huj. T. I.* &c. DIEMERBROECKIUS *Anat. l.* 4. *c.* 13. scribit, se lapicidam in nosocomio asthmaticum secuisse, cujus in pulmonibus magna copia pulveris lapidum explebat vesiculas; id quod simile in duobus aliis lapicidis invenerat. Adjungit DIEMERBROECKIUS, sibi dixisse lapicidam, sive sculptorem, inter formandos lapides tam subtilem pulverem in aëra adtolli, ut etiam penetraret per vesicam bovinam: quippe uti se voluisse tali vesica exacte clausa & aëre plena, quæ per annum in officina pependerat: dum aperta vesica aër avolasset, tunc se in cava vesica pulverem illum subtilem copiosum invenisse.)

Ita RAMAZZINI *lib. de morb. artific.* ex WEDELIO adfert anatomen ancillæ mercatoris calcem vendentis, cujus in pulmone notabilis lapis inventus.

Aër vapore calcis onuſtus peſſimus: non tantum a calcis pulvere, ſed etiam ex vapore calcis cum aqua & tuſo ſilice miſtæ, qua parietes ædium exſtruuntur. Putant, non vane HIPPOCRATEM in *Epidemicis* ſcripſiſſe hiſtoriam HERMOCRATIS: „HERMOCRATEM, qui decumbebat juxta *murum novum*, ignis corripuit.“ GALENUS ridet hoc, ſed EPIPHANIUS, FERDINANDES & MERCURIALIS putant expreſſe hoc notatum ab HIPPOCRATE. Narrat PLINIUS: „in antiquarum ædium legibus invenitur, ne recentiore trima uteretur redemtor.“ BACO VERULAMIUS mortem Imperatoris Romani JOVINIANI tribuit cubiculo ejus recenter calce obducto. (*) Immo RAMAZZINI ſcribit, ſeipſum peſſime adfectum fuiſſe, dum in cubiculo decumbere ſoleret, ante medium annum recenter calce undique renovato & obducto.

BOERHAAVIUS ipſe ab olei vitrioli vapore fere præfocatus, mox adplicuit vaporem & uſum remedii alkalini, quod forte ad manus erat & ſic hoc malum ſuperabat. Fumus ſulphuris homines æque ac animalia *ἀπνοίᾳ* necat, ſi fortis ſit.

Paralyſis, muſculorum meſochondriacorum, aut intercoſtalium, aut diaphragmatis, aut muſculorum abdominalium.

Vel ſpasmus organorum reſpirationi famulantium 602—625; ſcilicet laryngis, aſperæ arteriæ, muſculorum meſochondriacorum, bronchiorum, diaphragmatis

(*) Videnda hic, quæ in *T. II.* hujus operis circa aërem nimis calefactorum cubiculorum, vaporemque carbonum diſſerui, dum de cauſis morborum erat ſermo. *de* W.

matis, mufculorum intercoftalium, abdominalium: quibus convulfis refpiratio fiftitur. Quid fpasmus fit (aut efficere queat) vidiftis in nofocomio æftate præterita in femina, quæ ex ira alta mente repofta fpasmo maxillæ interibat.

Ut & alii morbi, qui harum partium functionem omnino deftruunt; ut angina, pleuritis, peripneumonia, paraphrenitis; five eosdem morbos fpectetis in ftadio inflammatorio, five in fubpuratorio.

§. 831. 2) *Δυσπνοίαν; in qua cum moleftia, dolore, fatigatione, refpiratio contingit. Hæc quidem habet easdem, ac prior, caufas,* §. 830., *fed leviores:* unde, quia gradu tantum ab *apnoëa* differt, fub eadem explicata habetur.

Quo & mala facit præ cæteris pectoris conformatio: hæc præterea caufa eft dyspnoëæ, quia pulmo in explicando atque contrahendo fefe haud obfequiofam experitur machinam; quare ille laboriofiore refpiratione conatur hunc fubplere defectum: atque quum difformis fiat hæc machina mille modis, etiam refpirationis actio mille modis difformis fit. Aliis enim fternum totum intropreffum eft, aliis fpina; aliis ipfa vertebrarum fpina figmoideam, immo duplicem figmoideam figuram æmulatur; qualem mulieris hac æftate in nofocomio mortuæ fceleton videbimus brevi. Aliis coftæ cum fterno toto prominent in anteriora, vel in alterutrum latus: aliis curvatura thoracis tanta, ut hinc distenfione mufculorum intercoftalium dolor fiat in infpiratione, illinc coftæ tam prope junctæ, ut fuperfcandant fe ipfas. Lapfu temporis natura fola docet illos, quomodo refpirationem dyspnoëicam utcunque emendent; fed femper cum vitiis & cum labore. Nonnullis cartilagines coftarum offeæ fiunt: in aliis dyspnoëa

a vulnere thoracis, ab obſtructione viſcerum abdominalium (ſæpiſſime a nimia repletione, a cibis flatúlentis, a cerevifia gasante, ab alvi obſtructione, a vita ſedentaria eamque concomitante dyspepſia, viſcerum abdominalium conpreſſione, infarctu, ſcirrhis) a morbis inflammatoriis pulmonum, pleuræ, diaphragmatis ; a criſi. His omnibus ortum debere valet dyspnoea.

§. 832. 3) Ἄσθμα, *quæ eſt frequens, moleſta, ſibiloſa reſpiratio ; plerumque orta a cauſis dyspnoeæ pertinacioribus*: ergo ortum aſthma ab omni cauſa repetit, unde dyspnoea pertinax; ab omni cauſa, unde apnoea levior ; ab omni cauſa, unde leipothymia, leipopſychia, ſyncope, aſphyxia ; ab omni cauſa, unde pulſus intermittens.

Liceat addere materiem arthriticam, podagricam, ad artus more ſolito non ſævientem ; vel quia præpoſtera medicatione eſt retropulſa, vel quia naturæ vires, quæ eam eo verſus pellerent, deficiunt.

Liceat præterea addere materiem achorum, herpetum, favorum, peſſima muliercularum agyrtarumve methodo intropulſam, quo caput vultusque infantum nitidus fiat. Solent varias medelas his malis curandis adhibere: unguentum nutritum cum mercurio, unguentum album camphoratum, unguentum nutritum cum præcipitato rubro, emplaſtrum ex pice paratum; quibus omnibus plerumque efficitur, ut cum reſtituto vultus nitore ex decem forte quinque fiant per omnem vitam aſthmatici, vel alii præ ophthalmiis viſu fere priventur, vel morbis capitis, vertigine, apoplexia, epilepſia, adfligantur. Ter quaterque beati, ſi intropulſa materies ſive ſponte, ſive artis auxilio, ad loca conſueta redeat! Hinc ſuadeo invigiletis in peſſimos hos mores, eumque in modum tales curetis infantis, ut nunquam ſor-

dities

dities illa introvertatur, futura cæteroqui per ætatem ſponte evanida. Unica cura achorum, favorum, herpetum, eſt, ut, pro ætatis ratione, purgantia per epicraſin dentur, & cruſtæ quotidie emolliantur auferanturque ope cereviſiæ recentis, cui butyrum inſulſum liquefactum inſit, aut unguento pomato. Atque ex hiſce intelligimus, quæ ſequuntur.

Sed maxime, ut videtur, a conſtrictione ſpasmodica fibrarum muſcularium in pulmone; quæ ſolet in his ire, redire, pro varia cœli inclementia & vario regimine uſuque ſex rerum non naturalium. Acrimonia podagrica, herpetica &c. quas mox expoſui, occaſionem dant huic conſtrictioni. Pulmo ſemper magis dilatatus eſt in corpore humano, quam foret in aëre aperto: ergo vi quadam ſuæ dilatationi reſiſtit. Cogitate nunc hanc vim contractilem fieri duplo, triplo, majorem, interea dum vis eumdem distendens, ſcilicet atmoſphæræ, eadem manet; tunc inpoſſibile eſt, ut dilatetur pulmo. Eſt quippe ratio naturalis virium diſtendentium atmoſphæræ ad vires contractiles pulmonis; qua ratione deſtructa, aut mutata, pulmo ſe non poteſt, ut in ſtatu ſano conſueverat, dilatare.

Non absque ſumma conmiſeratione videatis hos homines reſpirare; erigunt corpus, humeros elevant, ſcapulas adducunt ad ſe invicem & cubitis palmisve innixi, ante feneſtram, ut liberiorem aëra ducant, vehementi cum ſtridore inſpirant, pectore quantum poſſunt dilatato. Jam crederetis, illis inſtare ſuffocationem: quia ſanguis per pulmonem vix tranſit & venæ jugulares non valentes ſeſe exonerare in cavam, reddunt hominem facie, oculis lividum totum, hacque ratione & cor a pulmone, & cerebrum a corde nonniſi parum accipit. Verum quid tum? Deficit adfluxus ſpi-

rituum in nervos pulmonales ; musculi mesochondriaci fiunt paralytici & atmosphæræ vis facile eosdem superat.

Homines reperire est, qui a minimo animi pathemate paroxysmos habere solent. Ut sunt, quæ a minimo terrore aut ira habent in capite clavum hystericum ; ut sunt, quæ iis de causis mox habent colicam convulsivam, aut vomitum ; ita & aliis ad pulmonem simile quid accidit. Sunt, quibus Boreas faciat recidivam, idque tam certa lege, ut nocte media, in lecto jacentes, Tibi dicturi sint, an in Boream ventus mutatus sit. Certe Boreas, ut corpora omnia, ita & pulmonum fibras rigidiores facit elasticioresque. Novi tamen, quibus Boreas sit gratissimus ventus ; ita, ut in his nimia laxitas fibrarum pulmonalium dicenda sit asthmatis causa ; quæ eadem, ubi atmosphæra siccior corporaque elasticiora efficiens, adest, emendatur. In his sane illa constrictio spasmodica locum habere non videtur : scilicet videtur aër humidus tepidus laxas natura sua fibras pulmonicas demum ita laxare, ut atmosphæræ ponderi & gravitati demum ineptæ cedant : quod idem est, ac si aër redderetur multo gravior. Boreas tunc ille siccus & frigidus ortus juvamen adfert his hominibus. Bonus GESNERUS Borea flante melius habebat.

In consideratione asthmatis non satis adtenditur ad diaphragma, quod solum sæpe sufficiens causa ; ad musculos abdominis etiam : horum omnium sive inflammatio, sive paralysis, sufficiunt ad hos morbos.

Solent Auctores asthma dividere in *humidum* & *siccum*. Crediderim, me bina hæc jam partim explicuisse. Humidum vocant, ubi copia ingens materiæ serosæ, aut glutinosæ pulmonem sæpe obplet, ut atmosphæra spatium aëreum pulmonis satis dilatare nequeat. Quo etiam fit, ut, si serum id, glutenve,

acre

acre ſit, fibras pulmonales ſtimulet; quo ſtimulo irritatæ fibræ, vel defatigatæ, ſuccumbunt, materiem ſolvunt, depellunt morbumque pro tempore levant. Si etiam ſerum multum non acre pulmonem labefactet, emolliat & ſic aſthma faciat, ventus ſiccus, frigidus, borealis, pulmonem ſiccando, roborando, materiem expellit, prodeſtque hac ratione id genus aſthmaticis. Videmus ergo, quod in genere non poſſit dici aër ventusque omnibus ex æquo ſalutaris vel noxius.

Dividunt præterea alii aſthma in *ſpaſmodicum* & *humorale*; alii in aſthma *a pulmone adfecto* & in aliud *a parte alia* in thorace ipſarumque partium thoracem componentium, ut v. c. apud gibboſos.

Cur aſthmata non ſunt perpetua, ſi cauſa materialis ſemper adeſt? Quia latere poteſt iners, & in actum deduci vel a cauſa nota procatarctica, vel a propria adcumulatione.

Quo excitans cauſa notior, eo ſpes curæ major; nam reditus tunc præcavetur: idem verum de cauſa proëgumena: v. g. homo epilepticus eſt a pituita in capite; hæc cauſa proëgumena: ſed ille rarius paroxysmum habet, ubi aëre gaudet ſicco. Hic duo facio: 1) injungo, ut evitet aëra humidum, ſuadendo, ut non exeat aëre humido; ut in elata ædium parte habitet & cubet; ubi adhuc incenſis lignis aromaticis & reſinis aërem facio ſicciorem. 2) Exhibeo ipſi ſapones, aloëtica, ſalia, ut gluten incidam, & dein purgantibus expellam; tandem roborantia, ut ultra gluten non coacervetur. Sed homo habet epilepſiam a cauſa ignota mihi & forte congenita; hic nihil poſſum. Sed nunquam habet paroxysmum, niſi bene epulatus. Hic novi, in moderata ſemper diæta curam eſſe. Sed ſi epilepſia fiat a proëgumena cauſa prorſum laten-

latente & a nulla nota procatarctica, certe vix hic aliquid facio. Idem de asthmate verum.

Sane habemus simile quid in febri. Methodica curatio iners est, ubi tertiana, quartana, nec materiem ostendit, unde generetur, nec causam, qua exsuscitetur. Eo in casu vertimus nos ad specifica: unde sane cortex meretur nomen, videturque plus a nobis adhibendus esse in desperatis epilepsiis & asthmatibus; sed per annos idque ad unciam, & plus de die. At non raro hi morbi habent aliquid simile intermittentibus: est causa in corpore, quæ omni tertia, quarta die prodit sponte, sponte cessat, idque per mensem & annum. Ita aliquando & asthma & epilepsia. Ut nunc cortex febrim debellat, oporteret longissimo usu eumdem tentare & in talibus morbis. Conabor in nosocomio tentamen facere. (Factum est, pulcro cum successu, in epilepticis; præsertim fibrarum atonia, spirituum arythmo motu in corpore obtinentibus. Sed de his alibi plura.)

§. 833. Ὀρθόπνοιαν, *quæ anhelosa* &c. Non multum differt ab asthmate, unde causas plerumque easdem habet; nisi quandoque in pessima angina κυνάγχῃ observetur, tumque cito lethalis est. RUYSCHIUS, *obs. anat.* 19. 20. & 21. orthopnœam vidit a vesiculis pulmonalibus obstructis & aëre expansis: *v. fig. in Tab.* 19. Vix credo inde; si in 20. & 21. *casu* mortui anatomen dedisset, forte alias orthopnœæ & mortis causas intellexissemus, quam illas vesiculas: nam in casu 19. hydrops pericardii, cor grandius, pulmo adcretus, plus ad mortem faciunt, quam illæ vesiculæ.

§. 834.

§. 834. CATARRHUM SUFFOCANTEM, *qui videtur esse subita occidens ἀπνοία; habet & hic causas easdem* 833.; unde nec repetendas.

Maxime observantur frequentes, materiae eliquatae in fauces, pulmones, subita destillatio. Posset contingere, ut sinus frontales, maxillares, sphœnoidales, omnes, vel aliqui, quadam materia glutinosa, saniosa, purulentave pleni, in hominis dormientis glottidem, in somno apertam, depluant subito suam materiem hominemque suffocent; rariores tamen videntur hi casus esse. Unde plerumque potius contingunt a materia purulenta ex abscessu antea clauso illico erumpente, obplenteque notabilem aërei pulmonum spatii partem. Exempla sunt suffocationis talis rupto post peripneumoniam magno abscessu.

Etiam potest fieri, ut vel pus, vel sanies, vel aqua, quae olim in alterutra thoracis camera haerens, orthopnœam fecerat, nunc post lentam erosionem subito ruptis repagulis in alteram thoracis cameram penetret & sic subito suffocet.

Quod porro hic dixi de aërea parte inpleta, illud intelligendum est de copia notabili, magnam explente cavi aërei plagam. Casus enim adsunt copiosioris talis materiae praesentis, nec tamen suffocantis, immo ne dyspnoeam quidem facientis.

Nervorum summa vitia, ut in hystericis; quae tamen vitia raro eousque adscendunt, ut perimant; quum feminae hae soleant post syncopen aut asphyxiam ad se redire. Si vero causa adsit asphyxiae validissima, necare subito potest, vidimus enim antea asphyxiam, utcunque perdurantem, ipsam mortem esse.

Dictum antea jam, summa gaudia idem efficere; ratione haud facile explicanda. An quod anima, illa sola voluptate praesentanea occupata, sistat spiritus omnes?

nes?

nes ? Sed ſpiritus vitales anima non reguntur. An anima occupat omnes ſpiritus ad ſolam hanc præſentem ideam contemplandam ?

Summus pavor, ſumma triſtitia & mœror, ſubita apnoea occidere viſi ſunt. Unde ? An adpulſus ſanguinis ad enkephalon ſiſtitur ; adeoque cor pro momento in ſummo pavore quieſcit ?

Polypus cordis major, ſubito in pulmones truſus ; de quo jam toties actum, & mox pluribus agetur.

Eſt & morbus differens quidem in nonnullis a quinque præcedentibus ; tamen cum iisdem in multis conveniens : qui, quum a BOERHAAVIO nullibi tractetur, nec ad aliquam claſſem commodius, quam ad hanc referri queat, hic porro recenſendus videtur ; nempe dicta TUSSIS CONVULSIVA ; morbus ſane epidemicus, & plures aliquando infantes occidens, quam ipſæ variolæ : unde meretur adtente expendi.

Dum toto anno 1747. epidemicotata erat, operam navavi ſedulam, ut bene ejus naturam intelligerem ; & ante lectos ægrorum a principio ad finem omnia notans tandem morbi hiſtoriam adornavi ex quadraginta quatuor ægris, ſic omni mane & veſperi exacte in chartis meis notatis.

Tuſſis hæc *convulſiva*, quam HUXHAMUS *pertuſſim* vocat, a levi tuſſicula mox intra unum, duos dies in violentam ac frequentem mutatur, ut demum vix detur a tuſſiendo quies, intercipiaturque fere inſpiratio aëris, ac mirus, isque ſtrepens, inter tuſſiendum ſonitus exaudiatur ; una cum livore faciei, immo ſæpe & brachiorum. Nox plerumque adhuc infeſtior die. Tuſſis hæc primo ſicca, dein glutinoſam ejicit materiem. Præ violentia ejus in multis ipſe ejicitur ſanguis, præcipue ſi morbo aliquantum durante acrimo-

nia

nia notabilis in corpore nafcatur. Sæpiffime & de naribus fanguis violente erumpit : immo præfens vidi infantem, cui inter tuffiendum ex inferiori palpebra dextra, ad canthum majorem, fanguis exfiliret ; id quod per triduum frequentiffime accidit. Jungitur proftratus adpetitus, alvus fegnis, fomnus vix ullus. Acuta plures adoritur febris ; qua defervefcente tuffis manet æque pertinax, vagis femper febribus fociata. Trifte erat, cernere infantes, jamjam tuffim edituros, angi, irafci, obvia quæque a fefe removere, nutricem, aut parentes, pugnis inpetere tuncque in tuffim prorumpere.

Invafit infantes ab ætate trium menfium ad decem usque annos ; plerosque tamen annorum unius, duorum, trium. Neque unius ejusdemque temperamenti eosdem, fed plethoricos, leucophlegmaticos, rachiticos, dentientes, non dentientes ; unoque in quapiam domo adfecto, rariffime reliqui infantes manfere inmunes.

Pertinax plerumque fuit morbus. Præter paucos, quos 8, 14 dierum fpatio deferebat, plurimos per 2, 3, 4 menfes adflixit ; induciis quidem nonnunquam conceffis, pace integra fere nunquam.

Quod vero adtentionem meretur, infaufta eft curandi methodus. Veterani quippe Practici, qui olim, dum fporadice hic morbus aderat, nonnullos emeticis & paregoricis curaverant, hoc tempore nihil effecerunt; faltem fervavere perpaucos. Alii methodo SYDENHAMI, v. f. & repetita catharfi ex lenioribus vix effecere quidquam. Talis & erat illorum methodus, qui gluten incidere, dein alvo expellere, adnitebantur. Gloriabuntur initio aliqui, quod emulfis paregoricis morbum curaffent ; quorum tamen jactantiam tempus ridiculam effecit. Quos morbus levior adgredie-

diebatur, hos aliquando purgantibus matutinis, opiatis vefpertinis, per multos dies continuatis, curabamus; gravius adfectos neutiquam. Erat quorumdam mos, dandi glycyrrhizæ infufum, fuccum, ejusdem fyrupum cum diacodio miftum: quod remedii genus enconiis laudabant multis; verum in plerisque inutile deprehenfum eft. Qui vero oxymellite fquillitico, nitro, aperientibus & incidentibus infantes tentabant, nihilo fuere fortunatiores. Largus isque protractus fyrupi diacodii cum melle mifti ufus plerumque non juvit quemquam, nifi qui leviffimo gradu laborabat.

Igitur hiftoria mali, invadendi modus, inaufpicata medendi methodus, concludere coëgerunt, morbum vel ex miasmate aëris, vel ex metaftafi materiæ aliunde in pulmones delatæ ortum effe, tenellam inprimis ætatem adficientem; cujus effectus videntur effe conftrictiones fpasmodicæ pulmonis, bronchiorumve, collectio & adcumulatio muci, qui aëream pulmonum fuperficiem oblinit, acrimonia fenfim nata eidem muco; fanguini chyloque per pulmonem fluenti hinc nata refiftentia. Irrita exin ac fuffocantia fere expellendi naturæ conamina; expreffio violenta muci, five lubricantis materiæ tenaciffimæ; arteriæ pulmonalis, aut bronchialis, violenta quandoque anaftomofis, diapedefis, rhexis, diabrofis, cum ulcere fubfequente: obpletio veficularum & bronchiorum a materie vifcofa, hinc fuffocans: tandem etiam ab inflammatione arteriofa peripneumonia, vel cito lethalis; vel tabe tandem necans. (*)

Cau-

(*) Addita his in *margine codicis* fequentia: „ Confideramus primo temperiem humidam, glutino-

Caufas igitur dixi effe, vel epidemici quid in aëre, vel alimentis, hærens; vel materiem herpeticam, variolofam, morbillofam, ad pectus delatam; unde frequentius nihil, quam ut ab herpete curato, vel poft variolas, aut morbillos, etfi bene curatos, etfi benignos, oriatur tuffis convulfiva.

Operæ pretium nunc erit, fex enarratorum morborum curam tradere: animus fuit, primo omnes recenfere, quia, ut in caufis multa habent communia, ita etiam in curatione; quæ peculiaria quandoque in quibusdam habeantur, curamque peculiarem poftulent, fuo quæque loco dicturus.

Cura-

---

tinofam, catarrhofam, infantum. Muco nimio inpletus pulmo excitat tuffim & fic forte critice morbum folveret: fed, vel mora in corpore hoc gluten eft acre factum, vel acre quoddam epidemicum adeft: hinc in fpafmos nervi pneumonici agitantur; unde tunc, licet irritatio ad tuffim aderit, tamen conftricto pulmone ejectio materiæ inpeditur. Hinc tuffi volunt vincere conftrictionis obftaculum, nec poffunt: repetunt tuffim, & fic continuo aërem quafi expellunt, nec fufficienter inhalant: hinc fere apnoeici fiunt. Interim adcumulantur pulmones (potius, materies irritans, & fanguis in pulmonibus adcumulantur), cordi dextro fit refiftentia; fanguis cavæ non poteft in cor ire; fanguis exit pulmone, ore, oculis, naribus, & toti funt purpurafcentes. "

Curatio variat admodum pro varietate causæ. *Textus* in plerisque ait, adesse causas easdem fere, quæ in pulsu inminuto, & in omnibus his gradu tantum differre.

Igitur cura *pulsus*, ex varia causa *inminuti*, repetatur ex ante dictis.

In genere hoc verum, quod mala pectoris conformatio multum hic faciat, eaque emendationem multam haud admittit: sed cæterum asthma, apnoea, dyspnoea, orthopnoea & convulsiva tussis, habent sæpenumero spasmodicas contractiones vesicularum, bronchiorum, ac mesochondriacorum musculorum pro causa proxima. Curatio antispasmodica hic semper bona; quum soleant temperamenta hominum esse, quibus a dilutiori sanguine atque a laxiore solidorum fabrica frequentiores spasmi soleant obnasci. His raro v. s. convenit, nisi in femina, aut viro, vel hæmorrhoidalis, vel menstruus, fluxus inpeditus plethoram genuerit. Eo in casu, si periculum in mora esset, v. s. indicaretur, atque illico post, antispasmodica.

Eam ob causam vel vesicatorium, vel cucurbitæ juvant, posticis colli dorsique adplicata; ut, excitata ibidem diuturna irritatione, spiritus a pulmone evocentur eoque versus determinentur.

Ore sumantur remedia, in arte antispasmodica dicta, quæ in *Mat. Med. v.* suo titulo: en pauca:

℞. Spir. c. c. ʒij.
aq. puleg. ℥vj.
syrup. menth. ℥j.
M.

Ut quovis quadrante horæ sumat cochleare.

℞. Tinct. succin. ℥ß.
syrup. diacod. ℥j.

aq.

aq. rut. ℥vj.

Uſus, qui prioris.

℞. Eſſent. g. ammon. ℥ß.
ſyrup. ſtoechad. arab. ℥j.
aq. menth. ℥vj.
M.

℞. Gumm. ammon. vit. o. ſ. ʒij.
oxym. ſquillit. ℥ij.
aq. hyſſop. ℥viij.
ſal. polychreſt. ʒj.
M.

℞. Tinct. croc. ʒiij.
ſp. c. c. ſuccinat. ʒij.
ſyrup. condit. aurant. ℥j.
aq. lavend. ℥vij.
M.

℞. Spir. matrical. Burrhi.
tinct. benzoës aa. ʒij.
ſyrup. artemiſ. ℥j.
aq. majoran. nobil. ℥vj.
M.

Ex omnibus his poſſunt pilulæ & miſturæ contractæ parari, prout velimus; v. g.

℞. Extract. croc. ℈j.
gumm. galban. ʒij.
ſal. volat. ſuccin. ʒß.
ſucci ſquillæ, q. ſ.
M. f. pil. gran. iv.

℞. Extract. croc. ʒß.
aſſæ fœtid. ʒij.
ſal. volat. c. c. ʒß.
ſtyrac. liquid. q. ſ.

M. f. pil. gr. 10. ſumat quovis bihorio duas, cum infuſo rorismar., ſalv., abrot., mari ſyriaci, lavend.

vend., puleg., majoran., rut., thymi, ſerpilli, ſaturejæ, fœnic., ſem. 4. calid. maj.

℞. Tinct. caſtor. ℨij.
ſal. volat. oleoſ. ℨj.
tinct. ſquill. c. vino fact. ℨij.
M. ſumat quavis hora gutt. xx., ex aqua, vel vino.

Omnia hæc remedia agunt excitando in gutture, œſophago, ventriculo, inteſtinis, ſpaſmos, ſpiritus ceu illuc aliunde advocando; vel forte ſanguini inducta habent ſpecifici quidquam, dum cum ſanguine in pulmones veniunt. Sed & vapor horum remediorum, dum ore adſumuntur, cum aëre tranſit in pulmones, hacque ratione ſæpe curationem perficere poteſt. Unde ſæpe juvant ejusmodi remedia naribus adplicata, vel hauſta cum aëre inſpirando. Alvus laxa ſervetur enematibus.

Egregius Comes Ponticelli, Archiater Parmenſis, libro: *di tre ſpecie di affezione iſterica e ipocondriaca*, *p.* 131. laudat ſpirit. ſal. ammoniaci, ſale fixo alkalino tartari præparatum & ſuccinatum: ſed monet, ideo eſſe hunc ſpiritum ſumendum, quod, qui cum calce viva paratur, non efferveſcat cum acido, adeoque punctum ſaturationis non indicet; ut jam diu Hoffmannus advertit: indicat porro bene ille ſpiritus ſalis ammoniaci cum ſale tartari paratus, punctum obtentæ ſaturationis.

Dat v. c. hanc miſturam:

℞. Aq. ceraſ. nigror.
— lilior. convall.
— ſalv. aa. ℥j.
— cinam. hordeat. ℥ß.
ſpirit. ſal. amm. ſuccinat. ℨß.
tinct. ſuccin. ℈j.

laud.

laud. liq. Sydenh. gtt. xxiv.
syrup. gran. Kermes. ℥vj.
M. Exhibe omni hora cochlear.
vel ℞. Aq. stillat. rorism.
— — lavend.
— — meliss. aa. ℥vj.
spirit. matric. ℨij.
tinct. castor. contraj.
spir. sal. amm. succinat. aa. ℨj.
ol. essent. citr.
— — meliss. aa. gutt. iv.
c. s. q. sacch. alb. in œleosacch. redig.
M. Usus idem.

Omnia volatilia, & quæ spiritum rectorem habent, naribus & ore in pulmones ducta, possunt prodesse inmediate. Vidi exemplum puerorum latrantium, quibus, omnibus frustra adhibitis, spiritus volatiles pulmone adtracti proderant.

Notandum hic est, omnia hæc antispasmodica quandoque non juvare; si ergo Medicus videat intra primas aliquot horas ægrum nihil levari, opium ad gr. j; si nondum juvet, ad gr. ij. iij. & plura addendum esse descriptis remediis, ut citius spasmi solvantur.

℞. Moschi gr. x.
camph. gr. xx.
gumm. ammon. gr. xl.
laud. pur. gr. viij.
balf. peruv. q. s.

M. f. pil. gr. iv. omni hora sumat unam, vel & omni semihora; si nil urgeat, omni trihorio & nocte ter. Sic novistis feminam curatam, quæ in capite se vermes habere dicebat.

Facile autem conprehenditis, quod si morbus his remediis obaudierit, inaniter gloriamini, si morbum

curaſſe Vos cenſeatis : palliativa modò cura eſt : cauſis renaſcentibus, malum renaſcetur, manente diatheſi.

Igitur paroxysmo ſedato, ſive aſthmatis, ſive orthopnœæ, ſive dyspnoeæ &c. ad mutandam diatheſin advertendus animus eſt : mutata ea, curatio curativa peracta erit.

HELMONTIUS *pater* ingenioſe aſthma vocat epilepſiam pectoris, & revera ſic eſt : ſi enim cauſæ procatarcticæ ſic nervòs capitis adſicerent, epilepſia naſceretur.

Ut proinde in epilepſia, abſoluto & ſedato paroxysmo, Medici boni eſt, inquirere in ipſam mali epileptici originem ; quæ ſi auferri queat, auferenda erit; ſi non queat, ſaltem diatheſis ita ſopiatur, ut ſit, quaſi non adeſſet : ita & hic in hisce ſpasmodicis adfectionibus pectoris conſulere debeo.

Videndum etiam in curatione, an paroxysmos habeat morbus ut febris intermittens, ut epilepſia, &c. cauſa eſt a ſolis nervis, vel adeſt proëgumena cauſa in viſceribus vitalibus, animalibus ; procatarctica accedit a motis nervis per animi paſſiones, vel per motum nimium, vigilias, ſtudia, commeſſationes, certos cibos, certa vina, ebrietatem, frigus, æſtum, &c. In aſthmate &c. veſicantia ſæpe proſunt, & in omnibus his chronicis pectoris morbis fonticulus ſæpe juvat. Fumus tabaci etiam aliquos juvat & maxime non adſuetos : ſic feminæ Hagæ-Batavorum ſenior Medicus tollebat frequentiam violentiamque paroxysmi, & ego ibidem alteri feminæ.

Si mala pectoris conformatio adſit, cura radicalis adhiberi non poteſt; ſed inquirendum in cauſas excitantes : hæ removendæ, quatenus fieri queat. Si v. g. talis homo laboret in mineris, unde vapores arſenicales, mercuriales, plumbei &c. dyspnoeam ſive aſthma

illi

illi excitant, valedicat his laboribus & alio vitæ genere victum quæritet, si velit sanari.

Si homo in mala pectoris conformatione habeat orthopnoeam, dyspnoeam, asthma, dum ventriculum & sanguinem inpleverit rebus indigestibilibus aut nimis mucilaginosis, cæteroqui minime; abstineat postmodum religiose ab his omnibus. Sic multis modis sopita per annos latere diathesis hic inmutabilis poterit.

Sed in nostro casu, ubi sedato paroxysmo manet sanguis vappidus & solida debilia; corpus roborantibus & adstringentibus diætaque sicca, aëre sicco, frictione, ambulatione, equitatione, peregrinatione, omnibus suis in partibus roborandum est. Si vero asthma, aut dyspnoea &c. oriatur e glutine nimio secreto & adcumulato in pulmonibus, incidendum illud leniterque expellendum: incidentia tum & diuretica juvant, Aqua picis ad pintam unam de die sumta sæpe mira facit in asthmaticis inveteratis. Styrax liquida cum vitello ovi, aut melle, aqua mista, aut cum pulvere glycyrrhizæ, in pilulas, aut conservam, redacta, egregia est. Cæterum aloë, salia neutra, sapo venetus, gummiferulacea, omni ratione prosunt. Sed minus homines curantur, quia nesciunt uti remediis per longum tempus; hæc autem non nisi tarde curantur; & quia renuunt diu remedium adhibere, perperam culpam non curati radicitus mali, vel in artem refundunt, vel in artifices.

Si siccus aër sit in causa paroxysmi, noveritis per vapores aquosos, per plantas staticas, per spongias aqua calida inprægnatas, & ori naribusque admotas, aërem humidum excitare. Si vero ab aëre humidiore excitetur morbus, decubitus in elatiori ædium parte, lustrata fumis aromaticis, exstructo ex aromaticis ac siccis lignis foco, vestibus siccissimis, storea

 sic-

ſicciſſima, quibus incumbant ægri, emendabitur hoc vitium: hic juvabit aër montanus.

Interim fateri oportet, ſæpe horum morborum cauſas admodum latentes eſſe, vel conplicatas; ita, ut vel cauſa prorſum nos lateat, vel etſi cauſam aliquam deprehendiſſe nos autumemus, tamen ſublitefcat præterea quidquam, quod quantavis inſtituta & adplicata indagine, nequeamus internoſcere.

In his caſibus ad quædam refugimus, quæ vi quadam, ſi ita dicere liceat, *ſpecifica* agant.

Stipites dulcamaræ, ſive ſolani lignoſi hic utiliſſimi ſunt. Stipites hi conſcinduntur, contunduntur & aqua fervida per horam infunduntur: ad ℥j. pinta una adhibetur aquæ, adjecto melle, ſpatio 24 horarum abſumenda.

Recordamini porro, me Vobis olim quamdam indicaſſe hujus remedii adhibendi prudentiam: quippe ſpaſmos excitare idem valet, ſi copioſius adſumatur: quale quiddam *Samueli* DURY Medico Leydenſi contigit Hinc doſin addidi. Cæterum felicem curam vidiſtis in noſocomio in femina, quæ brevi a maximis pectoris anxietatibus & doloribus liberabatur; & pluries olim.

Præſtans quoque arduo in caſu eſt Kermes minerale, quod coctione antimonii cum ſale tartari puro paratur (*). Doſis ejus varia eſt in variis: præſtat incipere in homine adulto a grano uno quovis trihorio, dein

(*) Ob rationes antea jam dictas, omiſi hic quoque additamenta *Haeniana* circa præparationem Kermetis mineralis, ſulphuriſque aurati antimonii. *de* W.

dein augendo prudenter. Si Kermes purpureum ſit, rarius inde excitatur vomitus, quam ſi fuſcum, aut flavum: ſunt tamen, qui inde vomant. Præſtat tunc aliquid opii addere. Senili aſthmati ingens ſæpe ſolamen adfert: dedi nonagenariis, ſummo cum effectu. Qua ratione agat, obſcurum; forte occulta antiſpasmodica vi & adtenuante. Vidiſtis ipſi ſæpius pulcros effectus; nunquam notabilius, quam in puella, quæ, neglectam habens peripneumoniam, pleraque artis auxilia cæterum reſpuebat.

Si aſthma, dyspnoea &c. ab intropulſa materie favorum, achorum, herpetum, [quæ intropulſio unguentis mercurialibus, unguento tabaci, & maxime breviſſimeque unguento ex pice parato fit,] illico adnitendum, ſi fieri poſſit, ut ad loca conſueta capitis adponantur folia braſſicæ rubræ, folia betæ, immo veſicantia; quibus materies poſſit revocari eo verſus: quanquam id, ſi longo jam tempore duravit morbus, minus facile fiat. Unde, ſi revocari herpes nequeat, ſetaceum, vel fonticulus, levamen ſæpe adferunt. Si rebelle malum ad omnia, cortice peruviano, uti ante dixi, ceu febrim intermittentem adgredi illud deberemus.

Quoad tuſſim convulſivam infantum, quæ, dum mitis eſt, nec multum epidemica, remediis incidentibus, derivantibus, ſopientibus, feliciter curatur; ea apud Batavos anno 1747—1750. omnibus his inmorigera, plurimos occidit infantes, uti antea dixi. Kermes minerale eo tempore nemini Medicorum Hagæ-Batavorum in uſu, tunc adhibuimus quinque Medici; & præter paucos, in quibus malum nimium provectum pulmonem viresque peſſumdederat, curavimus omnes, & brevi ſequentes habuimus Medicos civitatis omnes.

Medici Amſtelædamenſes eodem ipſo tempore, quo nos, kermes corticemque peruvianum dederunt infantibus, effectu ſane non ſpernendo; verum kermes minerale ſervabat demum omnes. Videmus tamen hinc, quomodo in nervos adfectos ſæpe feliciter cortex agat.

Verum nihil mirabilius conſtitutionibus epidemicis. Per integrum triennium aut quadriennium hic infantum morbus feliciter curabatur; at vero poſtea anno 1751, crudelius ſæviens, ſenſim minus huic remedio auſcultavit, immo rebelle contra kermes malum plures occidit. Quamvis nulla mutatio viſibilis in morbo, aut victu, aut aëre, videretur præceſſiſſe. Adeo ſæpe nos ludunt epidemicæ conſtitutiones. Planctus SYDENHAMI ſæpius hac de re legiſtis. Sane autumno hujus anni kermes paucos tantum juvit, pluribus nil adtulit opis.

Sanavimus porro tunc omnes decocto limacum (cochlearum.) Erant homines tunc in urbe, qui limaces illas hortenſes una cum teſtaceis domunculis quærerent & venderent; 20—25 contundebant & cum pinta cereviſiæ vel lactis per horam coquebant, colabant & unica die ſumendum decoctum dabant; hoc per duas, tres ſeptimanas continuato, ſanabantur omnes. Remedium aptum, quum ſaporem non mutet cereviſiæ aut lactis. Præter emollientem & obvolventem vim habent limaces quid antiſpaſmodici, quod non ratiocinatione ſed uſu detegitur. Vermes, ſive lumbrici, terreſtres cocti cum decoctis aromaticis viſi ſunt convulſiones ſedaviſſe.

Inter illos, qui a tuſſi illa ferina non curabantur, aliis in urbibus miſerrima exempla vidi. Vidi pueros duos, qui per binos integros annos tuſſientes latratum vere caninum ederent: remediis hucusque explicatis mitius quidem adfecti, integre tamen curati necdum

fue-

fuerant, quando e Belgio disceſſi. Empyricus dederat illis naribus adtrahendum liquorem, qui ſpirit. c. c., ſal volat. oleoſ., ſpirit. ſal. ammon., tinct. caſtorei & ſimilia redolebat: initio liquor hic levare multum viſus, poſthac tamen iterum uſu caſſus fuit. Aſthmata & ſimiles morbos per halitus tales ut & herbar. puleg., lavand., additis ol. aromat. aniſi, carvi &c. plures empyrici adgrediuntur, verum non videntur, niſi levia, adferre ſolamina.

Magnificus D. LAUGIER mecum communicavit remedium ſequens, quo mire curabatur in Galliis convulſiva puerorum tuſſis:

℞. Rad. enul. campan. ℔j. in vaſe terreo adfundatur acetum vini, ad 4 digitorum ſupereminentiam: relinque per octiduum; dein colando exprime.

Infanti detur parvum cochleare cum ſyrupo violar. rhoead. tunicæ &c. Si vero remedium a pleno aut debili pulmone non feratur, paretur cum vino burgundiaco.

Aliquot bonos caſus in noſocomio jam habuimus; ſed tamen in pleriſque fefellit.

CLOSSIUS, *nova variol. medend. method. p.* 132. ſequens habet:

℞. Sacch. alb. gr. xij.
gumm. arab. gr. viij.
ant. diaph. non ablut. gr. v.
nitri puri gr. iij.
ſulph. antim. aurat. 3tiæ præcipit. gr. ß.

M. Sumat omni trihorio j.

Sexdecim talibus pulveribus curatus infans, cujus ferina tuſſis ad omnia rebellis fuerat.

§. 835.

§. 835. *Verum omnia hæc ſymptomata* 830—835. *ſolent produci a cauſis quibusdam notabilibus, per inciſa cadavera, vel excretionem materiæ, manifeſtatis, quæ ſunt primario.* Cauſas maxime naturales dederat B. horum quinque reſpiratoriorum morborum, quæ & naturali ratiocinio, & quotidiana obſervatione, confirmantur. Sed vel anatome detexit præterea cauſas notabiles quandoque, quas a priori non ſomniaveramus; vel excretiones prodiere tales, quæ demonſtrarent, a cauſa non communi, ſed magis inſolita, hos morbos oriri. Itaque AUCTOR venerandus & ſua propria obſervata, & obſervata probatiſſimorum virorum, ordine ſequenti promit:

Quæ ſunt primario: thoracis repletio per extravaſatam lympham; adeoque hic videtur recenſendus eſſe teterrimus ille morbus dictus *hydrops thoracis (hydrothorax)*, quem PRÆCEPTOR nullibi explicat: morbus ſane frequentior, quam vulgo creditur; ſed cognitu haud facilis. CAROLUS PISO in *Tract. de morbis a colluvie ſeroſa* illum deſcripſit, tum & MEDICI WRATISLAVIENSES in opere, quod anno 1746 edidere, cum HALLERI præfatione. Obſervatores dederunt nobis anatomen hominum, qui aquam in pectore geſſerunt, morbique hujus meminerunt; verum id candide fatendum, hydropem pectoris ſæpius fuiſſe anatome detectum, quam vivente homine cognitum. Unde operæ pretium, eum, quoad ejus fieri poſſit, ex propriis meis, aliorumque adnotationibus adumbrare.

1) Levi dyspnoea & tuſſicula incipit, quibus ſeſe a communi dyspnoea nondum diſtinguit, idque per longum aliquod temporis ſpatium. Tuſſiendo vix ejicit æger quidquam; unde pulmonis debilitas paſſim adcuſatur: neque multum aliud ſuadet pulſus debilior, & levis ad motum defatigatio. Namque ſubeſt ratio

nulla,

nulla, ut abſceſſus, ſive vomicæ, cauſam vel prædisponentem, vel excitantem ſuſpicemur.

Interim lente progreditur malum; quod ipſum aliquando fere curatum videtur, dum aër ſiccior prædominatur & moderatiſſimus, ſed continuus, motus aliquantiſper adfuit; tempore vero quietis diuturnioris, vel tempeſtatis humidioris, caput demum effert. Si quandoque tuſſis increſcens glutinoſam ac ſpumoſam ejiciat materiem, proni in id ſumus, ut violentia tuſſiendi expreſſam illam & abraſam, aërique conmiſtam arbitremur. Si homines hi talorum pedumque oëdematoſos gerant tumores vagosque primum eosdem ac evanidos, majores dein & conſtantiores, ſolemus Medici vitæ ſedentariæ, præ pulmonis debilitate excultæ, oëdematis adſcribere cauſam.

2) Fiunt interim ægri animo inbecilliores, ſpirituum motibus inordinatis magis obnoxii, ſomnum ægrius capientes, leviores aſthmatis ſpaſmodici inſultus, ſed inchoatos modo, patientes. Medicus debile corpus, & maxime pulmunculum debilem intuens, debilitati progreſſæ id adſcribit, facile ſibi, ægroque, adblandiens. Quippe ex debilitate nervoſi ſyſtematis nervorum adfectiones ſpaſmodicas oriri & contractiones: adeoque in toto ſyſtemate ſolidorum roborando, fluidorum incraſſando, curationis omnem verti cardinem.

3) Creſcentibus his incommodis, ita, ut poſt primas ſomni blanditias ſubito expergefiat homo, erectusque aliquando, ne ſuffocetur, manere coactus, copiam magnam glutinis, aucta tuſſicula ejiciat; aſthma convulſivum præ debilitate formari & creſcere autumamus: præſertim, quum dato antiſpaſmodico & paregorico furentis mali ſubitam aliquoties tranquillitatem viderimus, eamque tantam, ut altera tertiave die, hilares toti in lucem denuo prodeant ægri. Hinc robo-

ran-

rantibus auxiliis, interpolatis antiſpaſmodicis, debellandum eſſe malum, facile credunt, ab omni autem debilitante anxie cavendum.

4) Trahit interea infirmam ſuam machinam homo, dulci ſpe inlectus, fore ut, devicta debilitate, morbum ſuperet. Interim nec inopinanter leipopſychia, ceu fulmine, ictus, aliquando perit. Hic videatis mox Medentium induſtriam excogitandarum rationum, quibus & familiæ & defuncti neceſſariis, & urbi toti, ſe purgent criminationis, ac ſi ægrum familiamque ſpe falſa foviſſent. Catarrhum ſuffocantem mox, quem incuſent, præſto habent; vel errorem conmiſſum in regimine, qui, quantumvis levis fuerit, certe nunc pondere ſanctuarii minime ponderatur, ut cauſam morbi probabilem præſtet. Quid inde? Plerique homines, Medici venerantes auctoritatem & experientiam, gaudent, quod videantur nunc meridiana luce clarius inopinæ mortis tenere cauſas: naſutiores vero tacent ſecumque rident tum hominum ſimplicitatem, tum Medici arrogantiam.

Tamen talis ſubita mors non ſemper hunc morbum finit, ſed ſæpe leipopſychias & aſphyxias paſſi a quo redeunt, videntur paroxyſmo aſthmatis ſpaſmodici, per unum, duos, tres dies durante, interire. Creditur vulgo, in his hominibus abſceſſum formari, anxietates oriri, abſceſſuque non rupto, ſed creſcente, ægros ſuffocari.

Poſt varios ejusmodi caſus anatome detexit, ſive in utraque, ſive in alterutra, thoracis camera aquam, quæ pulmonis explicationem inpediviſſe videtur. Inopina mors pluribus ita adfectis accedere potuit, copioſiori acceſſione lymphæ, aperto de vaſe exſtillantis.

Præ-

Præſens vidi caſum aliquoties, nec videre mihi licuit unquam alterutram cameram perfecte liberam: ſemper enim plus minus aquæ habebat, quamvis altera minus. (*) Pulmones fere ſemper aut lividi & conpacti, aut plagis nonnullis purulentis inveniuntur obſeſſi: (ſubinde, aqua effuſa acriori, an indole propria, an mora ſtagnationis? pulmones cernuntur in ſuperficie macerati quaſi ac adroſi; nonnunquam & magnam partem membrana viſcida, adcreta fere, albente, aut ſubflavicante obtecti;) cumque aquarum colluvie ut plurimum latæ adſunt pulmonum cum pleura adcretiones, ſive fibroſæ, ſive celluloſæ.

Hæc deſcripta morbi fallacia inpulit Medicos, ut ſigna diagnoſtica, immo pathognomica, quærerent, quibus malum noſcerent ab ipſis incunabulis ab omnique alio probe diſtinguerent; ut ita, antequam altas radices egiſſet, debellare poſſent.

Signa pathognomica dixere eſſe alterutrius manus oëdematoſum tumorem, anxietatesque poſt primam ſomni dulcedinem perceptas tales, ut æger, ni erigeret ſeſe, ſuffocaretur.

Crediderim facile, Medicos, qui ita ſcribant, id vidiſſe in ſuis ægris, quos poſt mortem conſtitit, hydropicos pectore fuiſſe; verum multum abeſt, ut de omnibus idem adfirmetur.

1) Enim in meis obſervatio hæc non conſtitit conſtanter; adfuit, abfuit manus alterutrius inflatio. In

---

(*) Hæc in *textu:* in *margine* autem notavit *Cel.* AUCTOR: „In cadavere 1760 Jan. *Barbara* KLAPERIN habuit lib. ij. in dextro (thoracis cavo), nihil in ſiniſtro.“ *de* W.

In uno homine vidi ambas inflatas, in alio nullam; quamvis utriusque cadaver hydropem pectoris demonstrabat.

2) Manuum inflatio frequenter observatur in hominibus phthisi pulmonali consumtis; quorum in cadaveribus nullum inveni pectoris hydropem.

3) Asthmaticos, phthisicos, polyposos, empyematicos videatis, qui post primum somnum expergefactionibus torqueantur. Nec repugnat ratio, saltem in empyemate, cur minus a pure effuso, quam ab aqua pulmo a primo somno has angustias pateretur. (*)

Ergo

(*) An fluctuationis perceptio, dum se ex uno latere in aliud æger flectit, non indicat morbum hunc? Ita, sed pauci id percipiunt.

Inperator MAXIMILIANUS II., teste CRATONE, ultra 20 annos cordis palpitationes habuit: plus quam duæ mensuræ aquæ in cavo pectoris [non ait in quonam] inventæ.

BRUNNERUS ait, socerum suum WEPFERUM habuisse pulsum tardum, interim inæqualem, sæpius intermittentem: in utroque cavo pectoris habuit lib. iij. aquæ.

PISO, RIVERIUS, POTERIUS aquam fœtentem inter signa ponunt; sæpe id fallit.

HIPPOCRATES *l. 2. de morbis* ait: „Si multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaveris, ebullit intrinsecus, veluti acetum.“ Sed hoc aquæ, & puri, & ichori &c. commune.

FONSECA notat, cuipiam hypochondria utrinque tumuisse.

Quibusdam scrotum &c. intumescit quoque.

HIP-

Ergo in hoc morbo internoſcendo dubia adhuc fluitat medicina.

Præſtat advertere ad ejus primordia, & quia aliorum morborum ſub ſpecie fallit, ejus, in dubio caſu, ſuſpicionem mente non amittere; (conſulendus hic Tractatus *Cl.* AUENBRUGGER *de percuſſione thoracis* ut ſigno abſtruſos thoracis morbos detegendi;) quæ, ubi videtur omnino non rejicienda, purgante blando, repetito, ſenſim magis hydragogo, ſeri effuſi evacuatio tentanda eſt. Hanc proficuam cernentes, repetamus pro re nata & quo tempore a purgante quies, corpus roboremus, irritatos pacemus nervos. Robur autem conciliandum eſt omni interna ope omnique externa: motu moderato; aëre libero, ſicco; decubitu in elatiori ædium parte, ſi humili conſueviſſet dormire; indufiis ſiccis, vapore thymiamatum inprægnatis, iisque ex lana potius aut *flanella*, quam vocant, quam ex linteo, paratis; quum illæ præ his perſpirationem promoveant: frictione laneis pannis ſiccis, fumo thymiamatum inbutis; deambulatione; vectitatione in navi, lectica, rheda, carpento; exercitio muſculari ſenſim aucto. Diæta ſicca ſit ex pane multo biscocto toſtove; jure ex oleribus pauco; niſi forte quatenus diureſin promoveant. Cæterum potius victu ex carnibus, aut piſci-

HIPPOCRATES *l. c.* „ Si hydrops in pulmone fuerit, febris & tuſſis tenet.“ Sed PISO & FERNELIUS multos non febricitaſſe notant.

Urina pauca, parca, craſſa: WRATISLAVIENSES notant, ante fata urinam ex atro rubentem cum ſedimento furfuraceo, aut lateritio, fuiſſe redditam. *de* H.

piſcibus aſſatis, vino roborante diuretico, rhenano, moſellano, hungarico, vel etiam rubro adſtringente.

Talem curam etiam ſemel iterumque proficuam vidi in malo provectiori, viribus adhuc conſtantibus.

(Redeamus nunc ad *textum* BOERHAAVII.)

2) *Pus;* vidimus enim mox, quod non modo *aqua*, cavum thoracis inplens, citam ſæpe, vel certam ſaltem, necem inferat; verum etiam *pus*, idque vel ex abſceſſu pulmonis extrorſum rupto; vel ex abſceſſu diaphragmatis, in cavum pectoris ſeſe evacuante; vel etiam, ut exempla ſunt, ex absceſſu hepatis, qui diaphragmati connexus illudque perroſerat, atque hepaticum pus in cavum projecerat thoracem; quale exemplum habuimus Hagæ-Comitum in Nob. Domina *de* PAAUW. Nonnunquam in mediaſtino creditur pus collectum, aliquando in pericardio. Narratur de BECKERO, Theologo Amſtelædamenſi, auctore *libelli dæmonum exiſtentiam negantis*, quod ſternum ipſi perterebraretur; quo facto pus mediaſtini effluebat: facetus homo adfirmabat, ſe in obpoſito ſpeculo ſuum proprium cor ſe movere vidiſſe. (*)

3)

(*) Hiſtoria ſic narratur, & fortunatus caſus quandoque ſic poſſet exiſtere. Verum apte ad rem notat *egregius* WINSLOW, non ſolere mediaſtinum præciſe ad medium ſterni, ut vulgo creditur, terminari, ſed plerumque plus minus ad latus ſiniſtrum, a ſummo thorace oblique ad infima vergens: ita, ut plerumque dextra camera thoracis ſit ſiniſtra major. Hinc incerta eſt ANTIQUIS deſcripta ſterni perterebratio, ut mediaſtini

pus

3) *Sanguinem*, qui rhexi, vel diabrosi ex vasis pulmonicis, extrorsum ruptis, in cavum pectoris quandoque perpluit ; ut anatomicæ sectiones demonstravere.

4) *Etiam inflammatio laryngis;* maxime in *κυνάγχῃ* & *παρακυνάγχῃ* in capite asperæ arteriæ.

Asperæ arteriæ, infra caput ejus; ubi abscessus inventi sunt, tumoresve.

Bronchiorum, sive asperæ arteriæ ramorum.

Pulmonum, in peripneumonia.

Pleuræ, in pleuritide.

Mediastini, ut mox vidimus.

Diaphragmatis, in paraphrenitide.

Pericardii, quod inflammatum motui cordis obsistit.

Musculorum thoracis, respirationi servientium; ita, ut vera, immo sævissima, pleuritis forte in his musculis oriatur, ne ullo quidem vitæ momento quiescentibus.

Ut & abdominalium; qui musculi respirationi non minus, quam abdominis functionibus adlaborare debent; adeoque deficientes respirationem fere nullam relinquunt: immo silent, illis adfectis, fere omnes actiones abdominis, quæ his musculis reguntur.

Tum & materies diversa,

polyposa: qualem sæpius in cadaveribus, in nosocomio dissectis, vidistis. Sed videntur polyposæ con-

 cretio-

---

pus evacuaretur; sic enim facile in dextram thoracis cavitatem venturus esset Chirurgus, si, ut sæpe fit, mediastinum versus sinistrum cavum inclinaret. *de* H.

cretiones posse nasci etiam circa mortem, dum cor sanguinem per pulmonem ultra nequit propellere: quum inpossibile videatur, ut homines illi inde ante acutum, quo intereunt, morbum, chronicumve, non laborassent. (*) Tamen & polypos adesse diuturnos & miseriarum feraces, docet Anatome; vel saltem dudum ob hæc symptomata adfuisse, ex Anatome concludimus.

Gypsea; gypsus est pollen tenuissimus, quasi alabastrinus, qui vel humido in aëre, vel cum aqua mistus, lapidescit: est ergo id, quod posthac in lapidosum, aut calcareum, corpus (**) abit. Talis materies, cum muco pulmonum concreta in lapides friabiles inventa est in hominibus, qui statuas conficiunt, aut circa pollinem alabastrinum multum operantur; qualia exempla antea jamdum vidimus. Verum & tales concretiones inventæ sunt in aliis. Vidi & servavi aliquos

---

(*) Hinc, si secantes cadavera videatis polyposas circa cor concretiones, si recentes a morbo sint, non ita albi sunt, nec ita ad cordis adcreti parietes: neque habuere illi homines ante hunc ultimum morbum illa symptomata, quibus illos, qui diu hos polypos gerunt, adfligi vidimus in præcedentibus. Hinc tales polypi non merentur referri inter causas mortis, nam nati tantum fuere in lucta mortis. *de* H.

(**) *Gypsum*, si chemice & exacte loqui velis, sal verum terreum est, constans terra calcarea cum acido vitriolico unita. Patet hinc, pollinem *gypseum* neutiquam in *calcareum* corpus, uti HAENIUS hic dixerat, abire posse — *de* W.

quos tales tuſſi ejectos calculos ab uxore ſartoris, quæ talem materiem non tractabat.

Pituitoſa, ut ex RUYSCHIO, TULPIO, KAAUWIO ante vidimus.

Calcea, quando acre quid cum terreſtri junctum eſt: cujus rei etiam adtuli ſuo loco exempla.

Calculoſa, ut mox in *gypſo* dixi.

Oſſea; ex arteria coronaria feminæ cum *Exp.* VELSIO, Auctore *diſſert. de inteſtinorum ſuſceptione* extraxi oſſicula. (Spectat huc decantatum illud *os de corde cervi*, quod non niſi metamorphoſis morboſa arteriæ in ſubſtantiam oſſeam eſt; contra varios morbos abſurde celebratum.)

Purulenta; ſive pus locetur in ipſa pulmonum ſubſtantia, ſive in cavo pulmonis aëreo, ſive in camera thoracis alterutra, aut utraque, ambitum circumdans pulmonis.

Omnia hæc docet Anatome.

Pinguetudinoſa, ut BOERHAAVIUS habet in *morbi atrocis hiſtoria altera*, de *Marchione S.* ALBANI, cujus pectus internum lardo plenum.

Tum quoque tumor circa laryngem; ut narravi Vobis, alia occaſione, me in cadavere hominis, inpedita deglutitione morientis, vidiſſe, quod pulmo dexter, ſuperiori parte in tumorem ſcirrhoſum excreſcens, totum conprimeret œſophagum & aſperam arteriam.

In ea, ut etiam exemplo demonſtravi.

Ut & in pulmonibus, thorace, inflammatorius, ſubpuratorius, ſcirrhoſus, cancroſus; ut exempla omnium habet BONETUS, & ut quotidie per Anatomen detegimus.

Tandem & lata adcretio pulmonum cum pleura: lata hic dicitur, quum ſæpe *non latam* ferant homines per omnem vitam inculpate. Non recordor me ex omnibus, quæ aperui, vel aperta vidi, cadaveribus,

ſex inveniſſe, quæ non haberent aliquam concretionem, cujus tamen incommoda per vitam homines non erant conqueſti. Dicetis mihi, has concretiones forſan ad vitæ finem in ipſo morbo inflammatorio, vel obſtructorio pulmonis natas eſſe, adeoque mirum non eſſe, quod de his non eſſent in vita queſti. Lubens fateor, hæc ſæpiſſime contingere, ideoque frequenter male concludi ex apertis cadaveribus: verum etiam conſtat, poſt ſævas pleuritides aliquoties viſum eſſe eo præciſe loci, quo dolor ſævus obtinuerat, pulmonis cum pleura adcretionem factam, dum poſt fata cadavera examinarentur. Cæteroqui in hominibus, qui pulmonum morbo non interierant, deprehendimus plures, latas, firmas, concretiones, quin in ſanitate de pectore quidquam eſſent conqueſti. Hinc oportet eſſe latiſſimas concretiones, ubi vitales functiones ita lædunt, ut mors ſequatur.

Tandem ad hæc omnia oportet fateri, morbos omnium harum partium difficulter in vita cognoſci. Ex operibus quidem LANCISII, & ex propria praxi didici diſtinguere morbos ortos a polypis ac anevryſmatibus cordis & vaſorum majorum; ſed ſæpenumero talis morbus conplicatur & ſpecie morborum abdominalium ludens nos fallit. Etenim ab obſtructo, ſcirrhoſo, purulento, hepate, liene, diaphragma inpeditur deſcendere; cavum thoracis ſenſim minuitur; vires decreſcunt; cor amittit ſpatium pro motu ſuo, palpitat, pulſum intermittentem efficit mortemque. Hæc omnia poſſe ab his viſceribus abdominalibus adfectis, ab hydrope, tympanitide, fieri, certo novimus. Hinc frequenter, viſceribus abdominalibus adfectis, illa cordis ſymptomata adſcribimus abdomini læſo. Strenuum Bellіducem STÜRCK, qui cum exercitus Inperatore BATHIANY anno 1747 Hagæ-Batavorum erat, ego cum binis aliis Me-

Medicis hoc morbo laborantem vidi, ut, quæ in thorace deesse videbantur, originem putaremus ducere ex adfectis visceribus abdominalibus; quum tamen incisum cadaver ostenderet, in thorace latere malorum fomitem. Hinc dico, rem cognitu sane difficillimam esse.

Antequam huic paragrapho finem inponam, juvat monitum sæpius datum repetere. Ratiocinium medicum a nulla re magis adjuvatur, firmatur, a cognitis ad incognita extenditur, quam per Anatomen. Verum mille erroribus idem ratiocinium obnoxium hæret, si ex inspectis cadaveribus non adæquate instituatur. Qui omnia colligere apud Auctores, etiam præstantissimos, velit, ille adsignatas mortis causas inventurus est, quæ mortis non videantur, aut fuisse, aut esse potuisse, causæ. Videbit etiam, neglectas res alias esse, quæ potius dicendæ fuissent, intulisse mortem. Miramini, A. A., hoc adsertum? Vobis adsevero, rem sic se habere; cur autem id ita inculcem, adtendite.

Homo v. c. moritur capite percussus. Solent examinatores caput aperire, & si viderint quid gangrænosi in meningibus, etiam substantia cerebri, concludunt, causam mortis detectam esse; capitis nempe percussionem induxisse gangrænam mortemque.

Verum, si thoracem abdomenque lustrassent, invenissent forte putridum fomitem, atrabiliarium, carcinomatosum; eum esse sanguinem ingressum, cum eo ad caput adpulisse, inflammasse & in gangrænam vertisse meninges, ipsumve cerebrum in putridum mutasse liquamen. Quæ quidem ipsæ partes, si boni in corpore adfuissent humores, ab illa capitis percussione haud ita fuissent adfectæ.

Præsens fui, ubi cadaver lustrabatur Ducis militum Austriaci, de quo paullo antea, jussu viduæ uxo-

 ris,

ris, quæ mortis & caufam & hiftoriam cum familia communicare debebat. Cadaver exhibebat hepar admodum obftructum durumque & aquarum in ambobus thoracis cavis collectionem. Senior Medicus magna cum auctoritate concludebat, mortis detectam caufam effe; hepar nempe obftructum, durum, collectas in pectore aquas; hinc natas anxietates, leipothymias, intermittentem pulfum, & quæ porro. Cadaver ut Chirurgus confueret, reponeret, juffit; abitum parat. Interea dum Chirurgus ab inferioribus confuere incipit, ego in pectore rimari, quærere infoliti quidquam, innuere fociis. Examinamus: aortam totam offeam invenimus, extenfam mox a corde in faccum anevrysmaticum, capacem ad minimum duodecim unciarum; e quo tamen facco carotis & fubclavia fatis naturales exibant. Saccus porro polypofo concreto plenus. Nonne anxietas, dyspnoea, leipothymiæ, intermittens pulfus, docebant, in anevrysmate & polypo potius quærendam proximam mortis caufam, & aquam in thoracis cavis induratumque jecur, potius effectus dicendos, quam caufas malorum?

Homo vulneratur abdomen, ita, ut vulnus penetret in ejus cavum: confuitur inteftinum & reliquum vulnus, probeque ligatur: brevi poft interit. Aperitur; invenitur gangræna adeffe fauciatis partibus. In fchedula, five relatione ad Judicem, homo declaratur gangræna vulneri fuperveniente interiiffe. Cadaver reponitur. Abeunt fcrutatores. Alius exercitationis gratia cadaver aperiens invenit ambos pulmones tabe perefos. An hinc non mutatur rerum facies? An non probabilius, quod homo vulneratus interierit eo, quod vix fanguinem habens, quo viveret ante vulnus acceptum, jam poft hæmorrhagiam tantum perdiderit, ut vitæ continuandæ inpar effet; unde fenfim a debilitate

nata

nata gangræna fuerit? Nonne etiam ligato abdomine inpedita antea reſpiratio jam plane inepta reddita fuerat? Tamen hoc genus hiſtoriarum centies apud obſervatores invenietis: unde cauti ſitis, ne vel morbum in uſus medicos explicaturi, vel ad Judices relaturi, fallamini ipſi, fallatis alios.

Homo diu laborat ſcorbuto lentiſſimo, in molli vivens otio. Senſim illi oboritur obſtructio, glandularum infarctus, debilitas, frigus, aſcites, crurum & ſcroti tumor: demum totus hydropicus perit. Aperitur: relatio fit ad familiam, cauſam lethi hydropem eſſe, hydrope periiſſe hominem. An ita eſt? Sane hydrops epigenomenos morbus eſt, ortus ab humorum inſpiſſatione, acrimonia, infinitorum vaſorum obſtructione.

Una concluſio adhuc ſupereſt ex ultimis ſex paragraphis. Audiviſtis multorum, eorumque diverſorum, morborum cauſas easdem eſſe; ac viciſſim cauſas varias eumdem producere morbum. Unde videtis neceſſitatem inevitabilem natam nobis Medicis, ut omnes has cauſas poſſibiles menti præſentes geramus, ne temerarium adſertum cadaver mendacii & fallaciæ arguat.

Atque ita jam *actionum alteram claſſem* abſolvimus, nempe *vitalium:* adgrediamur *animales.*

§. 836. VISUS *læſi ſymptomata numeroſa recenſione cauſarum juxta diverſitatem locorum optime diſtinguuntur.* Subtilem adgredimur materiem, gravem eamdem difficilemque; circa quam ſcholarum auctorumque infinitæ propemodum lites; diſtinctiones demum tales, ut unus oculus plures diverſos habere morbos dicatur, quam quævis reliquæ corporis partes ſimul.

Subpono autem in *Pathologicis* explicandis fabricam oculi Vobis ex *Phyſiologicis* notam eſſe: neque

enim expositionem ejus repetere hujus loci, quum *Celeberr.* COLLEGA ex amussim Vobis explicuerit hanc doctrinam in *Institutionum capite de visu* habeatisque *Ant.* MAITRE-JEAN, *St.* YVES, PALFINUM, HEISTERUM, HOVIUM, RUYSCHIUM, MORGAGNI, MUSSCHENBROECKIUM, s'GRAVESANDE, in *Actis Edimburgensibus* PORTERFIELDS, in *Act. ult. Chirurg. Paris.* PETIT, BOUDON, CABANIS, DAVIEL, GARENGEOT, HOIN, LA FORET, LOUIS, MEJEAN, POYET; in *Actis* autem *Acad. Reg. Scient. Paris.* PETIT, MORAND, DEMOURS, MARIOTTE, PERAULT, PICARD, PEQUET, LA HIRE, BERNOUILLI; ZINN egregium *tractatum de oculo humano*, 1755 in 4. (cum elegantissimis tabulis) *Gottingæ* editum. (*) Ergo brevis in hisce potero esse.

Primo

(*) Multum quidem abest, quin a *Cel.* HAENIO hic adducto elencho contineantur omnes insigniores, vel *Ophthalmographi*, vel *Ophthalmiatri*: non auxi tamen ob rationes aliunde notas, in Præfamine notatas, numerum; quum præterea satis confidam, fore, ut Medicus quivis in parte oculi fabricam concernente saltem pulcerrimum habeat *Inl.* ZINNII opus, ubi amplissimam simul deprehendet Celeb. Auctorum, qui de hoc negotio egerunt, catalogum. Enumeravit etiam in tractatu: *doctrina de morbis oculorum*, quem nuper in *germanicum idioma* versum dedi, Vir insigni encomio dignissimus, Amicus optimus, *Cel. Prof.* PLENCK, Auctores, qui in hac Chirurgiæ parte maxime fuerint meriti. Quorum itaque Duumvirorum opera, & ratione cognitionis non

ab-

Primo enim partes coërcentes bulbum oculi male adficiunt premendo, protrudendo, extrudendo, erodendo, per tumores, inflammationes, apostemata, scirrhos, cancros, exostoses, caries ossium, orbitam constituentium.

Choroëides membrana dicitur a pia matre orta, tota vasculosa & quidem in parte sui externa vasa per injectionem replenda gerit, stellarum forma disposita: in parte vero interna habet vasa, miro modo sese decussantia: hinc, ubi videret hæc RUYSCHIUS, duplicem, ait, esse hanc membranam, & quia *choroëides* dicta V. V., nomen hoc reliquit externæ, & internam suo inventoris nomine vocavit *Ruyschianam.*

RAVIUS, RUYSCHII in omnibus antagonista, se obposuit huic doctrinæ & dixit, artem RUYSCHII aliquid mutasse: hinc petiit a RUYSCHIO, ut duplicem esse membranam demonstraret sine inpletione; id quod RUYSCHIUS noluit.

Cl. B. S. ALBINUS revera separavit has membranas sine inpletione vasorum & RUYSCHIO exhibuit: utinam, inquiebat tunc RUYSCHIUS, nunc viveret RAVIUS; rem nunc sine inpletione coram intueretur! Etiam RUYSCHIUS in *Adverf. anat. Dec.* 3. *caf.* I. *pag.*

---

ab omnibus pro dignitate, utilitate & merito satis excultæ litterariæ, multum commendo. — Etsi vero HAENIUS paullo ante cognitionem fabricæ oculi ex *Physiologicis* sese subponere dixerit, ampliorem tamen denuo historiam oculi anatomicam inseruit. Retinui inde excerptorum forma, nonnisi quædam *Cel.* AUCTORI propria, observata & animadversiones, hinc inde interjectas; omissis aliis, tum ex Anatome, tum ex Physiologia, sat superque aliunde nota. *de* W.

pag. 5. gloriatur, *Cl.* ALBINUM ita hanc membranam præparaſſe.

Tamen *celeb.* ALBINUM audivi dicentem, & vidi demonſtrantem, *Ruyſchianam* membranam veram eſſe choroëidem; ſed cujus in ſuperficie hæreret celluloſa fabrica, per quam vaſa ſtellarum more decurrerent, qua ſeſe choroëidi, quam *Ruyſchianam* RUYSCHIUS vocat, inſerunt & in choroëide decurrunt alio modo quam in illa celluloſa tela.

Verum video apud pleroſque ophthalmicos Auctores rem ſic adpellari; unde poſſumus eos ſequi, ne confuſio oriatur. —— ——

In cavo mediæ ſuperficiei anteriori *vitrei corporis* inhæret ſuperficie ſua poſtica *lens cryſtallina*; anterius, quam poſterius, planior. Lens illa dicitur mira arte in hac ſede contineri. MAITRE-JEAN *tractatu* ſuo pulcerrimo *de morbis oculorum c.* 10., ſub finem, ſtatuit membranam ante expoſitam vitrei humoris ad circulum lentis dehiſcere in duas partes, quarum altera lentem anterius, altera poſterius, ceu capſula, comprehenderet: quæ tamen lens ſuam propriam membranam præterea haberet. Ipſe WINSLOWUS *T. IV. No.* 235. & 929. ait, hæc fieri, quia ipſa membrana vitrei duplicata eſt; adeoque duplex membrana eo commodius ſic ambire lentem poteſt.

Immo, ſi videatis WINSLOWUM *l. c. n.* 237., ſuſpicatur, anterius retinam cum ligamentis ciliaribus lentem adire, novamque laminam dare lenti; inde etiam poſſe in brutis membranam anterius lenti adpoſitam, in duas dividi lamellas. Etiam quidam ex Gallis volunt & a poſteriori parte retina lentem obduci. Negat MORGAGNI, in homine hoc ita eſſe. Capſam alii dicunt non eſſe a vitreo, utpote eo robuſtiorem, & inlæſa illa lentem e vitrea membrana eximi poſſe:

ita

ita FALLOPIUS & PETITUS. Hanc ſententiam & MORGAGNI adoptat. Tamen patet ex aliorum obſervatis, lentem habere capſam propriam, obductam a poſtica parte vitrea membrana certo, ab antica probabilius.

Lentem hanc Gallorum alii dixere in ſuo ambitu cohærere, ut MORAND; ex obpoſito PETITUS lentem in capſula liberam defendit, lentemque a ſolo liquore pauculo, qui adeſt, nutriri. MAITRE-JEAN hunc liquorem ab uvea deducit per ligamenta ciliaria in capſulam lentis, & reſorberi ait per venulas currentes eadem via, cæterum unicam eſſe in corpore humano partem, quæ cum nulla alia cohæreret: idem ſtatuit PORTERFIELD. *Celeb.* vero ALBINUS nobis in Collegiis narravit, & in *libr.* I. *adnotat. acad. c.* 7. *p.* 31. expoſuit, in *tab.* etiam *I. f.* 4. & 5. depinxit, vaſculum eſſe in vitreo humore, ut videbatur, a retina natum, ad lentem porrectum, prius non ramoſum, ſed ad lentem, qua parte hæc vitreo inhæret, abeuntem in ramulos, qui ſenſim ramoſiores undique omnem in ambitum ducebantur ad circumferentiam cryſtallini usque, inhærebantque membranæ, qua lens continetur. RUYSCHIUS in *Theſaur. II. p.* 41. *ſub fin.* & in *Tab. I.* exhibet idem in vituli cryſtallina lente; ſed ALBINUS *l. c.* & in recens nato infante.

In balenis ALBINUS vaſa detexit a retina per vitreum ad lentem pertingere: hæc in maximæ molis animali. Sed 2.) in tam parvo animali, ut eſt rana, idem viſum eſt. Inter præparata *Inl. Bar.* (VAN SWIETEN) ranæ lens injecta invenitur. Sumſerat *Inl. Baro* ranam, pectus aperuit, mucronem cordis abſcidit & injecit ranam totam feliciter. Solvit fila & acus, quibus rana ligata fuerat ſub injectione: injecta rana tota aufugit, tamen denuo deprehenſa. In hac rana

arte-

arteriola injecta a retina per vitreum centrum petebat posticum lentis, ibidem in ramos plures dispersa; ut sine microscopio clare potest videri. Ita, ut hinc cadat subpositio *Cl.* PETIT *Medici* in *Mem. acad. Reg. Sc.* 1730, & ante illum MAITRE-JEAN *c.* II, & *eruditiss.* PORTERFIELD *in Act. Edimb. P.* 3 & 4.

In illis demonstrationibus lentis dolendum est, quod pereat lentis pelluciditas; ita, ut dum *Cel.* ALBINUS nobis coram hunc crystallinum infantis exhibebat, opacus ille inpediret, interiora cernere. Sed sancte adseverabat magnus ille Vir, se in principio oculis microscopio armatis vasa vidisse, quæ ab hoc trunco capsulæ in lentis substantiam profunde penetrarent; scilicet a postica parte: in anteriori vero lentis parte vasa necdum invenire potuerat.

Igitur 1) ex analogia, 2) ex hac fortunata injectione (SWIETENII), quam præsens vidi, 3) ex ALBINI adseveratione de visis per lentis posticam plagam vasculis, concludere fas est, lentem non nutriri modo extraordinario, qualem PETITUS & *Ant.* MAITRE-JEAN describunt, sed communi omnibus corporis partibus lege. Tenerrimas autem ita esse patet, ut leni vi lens a vitreo solvatur. HOVIUS jam idem docuerat *p.* 45. & *fig.* 4. *T. V.* ostenderat; verum PETITUS *Medicus p.* 50. edit. in 8 omnino hoc negat. Si quis plura de his vult, adeat *Cl. J. G.* ZINN, in pulcerrimo *Tractatu de fabrica oculi*, & maxime *T. VII.* cum *explicationibus.* — — —

Nervus opticus ante ingressum in globum oculi videtur satis crassus; sed ad scleroticam perveniens videtur tenuis esse & per admodum parvum foramen intrare; expandit se in calycem cavum, quem *Cl.* ALBINUS nobis ostendit divisum in duas laminas; exteriorem, medullarem, pulposam, laxe adplicatam choroëidi sive Ruyschianæ; interiorem tenuem, vasculo-

sam

ſam & tenuiſſime membraneam : hoc autem ſic maxime adparet poſt vaſorum inpletionem. Media forte pars molis optici ſcleroticam intrantis vaſa ſunt : vaſa ergo ſimul intrant cum medulla ; una arteria major, quam EUSTACH. *T.* 43. exhibet. Vaſis his adhæret medulla. Vaſa hæc inpleta ab origine flexuoſo tortuoſo itinere pergunt in minutiſſimos ramulos. Veſtit retina choroëidem, ſive Ruyſchianam, ad ligamenta ciliaria usque. *V.* ALBIN. *de retina, l.* 3. *acad. adnot. p.* 51.

Mirandum, quod WINSLOW aliique adfirment, retinam non ab optici medulla oriri, ſiquidem eſſet nimis craſſa, quam quæ ab illa originem duceret : quum cuilibet examinanti conſtet, illam retinæ expanſionem muci inſtar diffluere, maxime in junioribus.

MAITRE-JEAN & WINSLOW putant, retinam continuari cum ligamentis ciliaribus ; immo nec deſunt, qui ſupra lentem extenſam dicant, ejusque ab anteriori parte externam membranam efficere. Verum conjectura potius eſt, nulla demonſtratione firmanda. Cæterum fibras eſſe in hoc muco easdemque radiatim expanſas in aqua adparere, multi ſcribunt. — — —

§. 837. *Viſus læſi ſymptomata — — — oſſium, orbitam conſtituentium.* Theca oſſea cedere nequit; intumeſcat jam v. g. glandula innominata, mox intelligitis, oculi bulbum premi oportere. Orta igitur inde figuræ bulbi mutatione, naſcitur illico vel viſus hebetudo, vel halucinatio, vel flammulæ conſpectus, vel oculi extra orbitam protruſio, vel glandulæ ſcirrhoſæ extra palpebras excreſcentia &c.

Habet orbita pinguedinem, qua ceu pulvinari oculus undique molliter fulcitur. Pinguedo hæc conſumi poteſt inflammatione, ſubpuratione, atrophia : ſenſim oculus introtrahitur, inæqualiter expanditur, turbatur omni ſua in actione. Ipſa hæc pinguedo inflammata pre-

premit oculum; ſubpurata quoque eumdem effectum habet: quum etiam pus ſæpe exitum non habeat, putreſcit, & exedit vel orbitam, vel oculum, vel utrumque. — Felicem caſum huc ſpectantem BOERHAAVE habuit. Signa 1) aderant in homine inflammationis validæ in ipſo oculo intra orbitam: 2) tempus longum, dolor perſeverans & pulſatio, docebant, ſubpurationem fieri: 3) ſubito dein adparuit tumor mollis inter adnatam & ſcleroticam. B. concludebat, pus ad marginem orbitæ viam inveniſſe, qua ſecundum ſcleroticam ſub adnata nunc colligeretur: juſſit illico pertundi: natura ſe evacuabat hac via & homo curabatur. Eſt ſane caſus ex fortunatiſſimis.

Ipſa orbita ſeptem conpoſita oſſibus, poteſt, qua oſſea, vario modo adfici; uti cætera oſſa, maxime in ſpina ventoſa, lue venerea, ſcorbuto peſſimo, antra Highmoriana adficiente; quibus peſſumdari poteſt oculi fabrica. Viſa ſunt exempla crudeliſſimæ luis venereæ, exedentis ac deſtruentis membranam inveſtientem os ethmoëide, ſive ſpongioſum, osque ipſum, dein os unguis, canalem & ſaccum lacrymalem, denique ipſum oculum.

Inde figura, humores, circuitus, viſus axis, collectio radiorum in debito loco, depravantur. Cogitate modo, quid in Vobis efficiat fortuita oculi conpreſſio valida: nonne pro eo tempore viſus omnis turbatus eſt? Sed ne bis eadem repetam, dabitur brevi occaſio, apta, hæc explicandi.

Curam hujus multiplicis morbi nunc enarrati dabit exacta hiſtoria mali. Si corpora aut luoſa ſint, aut carioſa, aut rachitica, aut cachectica, ex horum morborum hiſtoria eſt petenda curatio, ſi qua datur. Si inflammatio oculum prehendat in partibus oculo Medici haud patentibus, cura antiphlogiſtica ſumma, actutum, per-

pertinaciter adhibenda eſt, v. ſ., enematibus, purgantibus, revellentibus, fomentis emollientibus fronti inferiori totique oculo circumpoſitis ; ne inflammatio vel perioſtei, vel pinguedinis orbitæ, vel glandulæ innominatæ, in cariem, ſubpurationem, ſcirrhum abeant. Talia tamen contigêre a neglectis in principio malis.

§. 837. *Deinde etiam palpebræ inflammatæ, ſubpuratæ &c. variis quidem de cauſis:* ex omnibus cauſam unam ſumamus, nempe variolas, quæ ſæpe tam dire has partes inflammant, ſubpurant, fœdant, ut eroſis palpebrarum limbis cilia caderent: quæ quidem poſtea recreſcunt ſæpe, ſed aliquando anni, & quod plus eſt, ſpatio indigent, ut recreſcant. (Prorſum deſiderantur, ſi ipſi deſtructi plane ſubpuratione fuerint bulbilli, ciliorum rudimenta recludentes; ut in aliis quoque locis evenit crinitis, ſubpurationem profundiorem ex quacumque demum cauſa paſſis). Variolæ deſtruxiſſe viſæ ſunt carunculam lacrymalem; unde ſpecies fiſtulæ lacrymalis. Puncta lacrymalia eroſa aliam fiſtulæ lacrymalis ſpeciem dederunt. Ipſi canales naſales poſt variolas coaliti, tertiam generarunt fiſtulæ lacrymalis ſpeciem. Omnia hæc & ſimilia ingens nobis negotium faceſſunt, ſi a principio variolarum cura omnis non fuerit adhibita: quum ex obpoſito, ſi variolarum curatio ſecundum vera artis principia & adtentam experientiam emendatior proceſſerit, rariſſime enarrata ſymptomata amplius oriantur. Conſiſtit ea in duobus: 1) in humectatione perpetua, laborioſa oculorum, ſive adhuc apertorum, ſive a morbo clauſorum, ope ſpongiæ madidæ aqua & lacte: 2) in exhibitione frequenti diacodii; diacodium enim dolores oculorum tollit, dum reliqua cura inflammationem mitigat, & bono ſomno quietem oculo conciliat. No-

ftis SYDENHAMUM in pertinacibus oculi inflammationibus pro arcano fere habuiſſe ſyrupum diacodii.

Inflatæ, ut in eryſipelate fit, in hydropicis, in chloroſi. Curatio petatur ex cura morbi principalis & interea ſacculos ex farinaceis palpebræ inponimus.

Conglutinatæ, *concretæ*; ut crebrum his, qui lemmas in oculo nimis diu gerunt; his, quibus deficit humor glandulæ innominatæ, aut Meybomianus. Siccæ oræ palpebrarum illæ tunc excoriantur præ ſiccitate excoriatæque adunantur. Morbum hunc dixere *Græci* ANCYLOBLEPHARON, ſive SYMBLEPHAROSIN; quam MAITRE-JEAN ait, rariſſimam eſſe integram, ſed ſexies ſe vidiſſe ex parte. Curatur, ſi nulla externa juvent, intrudendo quam prudentiſſime tenuem, politiſſimam ſondam excavatam a parte adhuc aperta retro concretos margines ſecundum adnatam & tunc acuto polito cultello, ſuſpenſa manu, crenam concretam aperiendo; vel forcipis (forficis) tenuiſſimæ altero extremo, leviter nodoſo, perſcindendo. Facta operatione levibus collyriis, potius leniter adſtringentibus, quam glutinantibus, illinire oportet cruenta labia adſiduo, diducere ſæpe palpebras & per ſomnum aliquoties hominem expergefacere, ne concreſcant.

Grandinoſæ. Auctores hic varios morbos deſcribunt: 1) CRITEN, ſive HORDEOLUM; 2) CHALAZEON, ſive GRANDINEM; 3) TOPHUM, POROSIN, ſive LAPIDEM. Mala hæc omnia margines palpebrarum obſident prope cilia. Diſtinctio forte nimis ſubtilis eſt: ſed locus plerumque eſt in extremitate ductuum Meybomianorum. Si in oculo recenti exemto palpebras conprimas, ſmegma exprimitur ex omnibus his ductibus: ſi injiciantur, materies ceracea grandinum inſtar ante hæc oſtiola hæret. Si illud ſmegma ſpiſſius fiat, aut ſi frigus, ſi pulveres, ſi fumus acer, oſtiola clau-

elaudat, poſſunt talia tubercula ſic naſci; quæ, ſi oblonga, *hordeola;* ſi rotunda, *grandines;* ſi duriſſima, *lapides* ab Auctoribus nuncupantur.

Sunt homines, qui per omnem vitam hæc tolerent, ſine magno incommodo, ſi minora ſint; at majora magis moleſta ſunt, præcipue ſi inflammentur. Qui de oculorum malis hisce ſcribunt, emplaſtra jubent adhibere, vel ſcalpello aperire. Sane emplaſtra ibi loci difficulter adhibentur, etſi extrorſum penitus vergant tubercula; ſin vero in infimo limbo, vel introrſum ſpectent, tunc non poſſunt adplicari, quin adnatam inflamment. — Unde cataplasmata & fomenta præſtarent: cataplasmata ex mica panis cocta cum lacte, addito pauxillo nitri & florum ſambuci, ut vel inflammatio curetur, vel emolleſcant tubercula. Fomenta ex lacte, aqua ſambuci & tantillo nitri, calidiuſcule, omni momento fere, ſpongia adplicanda ſunt. Si crepuerint tubercula, exit alba ſpiſſa materies, & ſi poſſit fieri, tota exprimatur, ac melle roſaceo ſæpius tangantur. Aqua ſaccharata quoque ſæpe prodeſt.

Si vero renuant emolliendo findi, poſſet croci tantillum reliquis addi, ut grato hoc ſtimulo potius disrumperentur & adtenuaretur materies: (*) ſin minus, prudenti & ſuſpenſa manu, aut ſcalpello, aut acicula,

 ape-

(*) Eſt etiam præſtans remedium cepa ſub cineribus aſſata, in pultem tuſa, & cum cremore lactis, vel inſulſo butyro miſta, oculo adplicata, bis de die renovanda: hinc matureſcunt, vel & disparent. — Succus ſempervivi majoris ad ℥ß. in ℥v. aquæ dilutus, ſæpe admotus, curavit hoc anno ejusmodi latum, rubrum, valde deturpantem & moleſtum tumorem. *de* H.

aperiantur, cavendo, ſi latam baſin habeant, in externa palpebra elevatorem ejus, ne convulſio, inflammatio, paralyſis oriatur.

Pertinent huc ad palpebrarum margines, vel in externa ſuperficie nata ATHEROMATA, STEATOMATA, MELICERIDES, in propria cellula membranæ celluloſæ incluſa, plena materie pultacea, vel adipoſa, vel inſtar mellis ſpiſſa. Parva hæc ſæpe multum mali non faciunt, ſed vel grandiora, vel introrſum verſa, ſummopere nocent: quale HEISTERUS *T. X. f.* 10. exhibet.

Hæc genera tumorum rarius reſolvuntur, ſed indureſcere ſolent; unde cutis aperienda, extrahendusque cum veſicula tumor: ſi hoc ita non fiat, expreſſa materia pellicula includens acriori quodam conſumenda eſt; linteolo ſubpoſito, ne oculo noceat, ſive potius alutæ portione. Si hydatidis inſtar grando aqua turgens dependeat a collo anguſto, vel ligando, vel abſcindendo aufertur. Si durior, pomi toſti pulpa, pauxillo camphoræ miſta, ſæpe juvat; ſed ſi non juvent talia, & tumor viſui ſit inpedimento, auferendus eſt.

Aliquando autem fit, ut concreta & connata ſint intime tubercula; ut erui non poſſint, quin maligna & cancroſa recrudeſcant. Hæc cauterio auferre ſuadent nonnulli; ſed res talis ne quidem ipſa periculo caret, quum vix cohiberi actio ignis hic poſſit, ne noceat ultra, quam deberet; unde tunc vocantur VERRUCÆ, & NOLI ME TANGERE.

Quum ergo, ut HEISTER & alii habent, magna quandoque & ſcabra & introrſum verſa habeantur; non eſt mirum, quod *Textus* ſubjungat: *viſum mire turbant variis quidem de cauſis, ſed maxime frequenter per glandulas ſebaceas male adfectas: etenim omnibus*

oculi

oculi ſordeſcunt, ſimilia pati incipiunt, aciem amittunt, humores pervertunt.

Antequam *palpebras* dimittam, explicanda eſt earum phalangosis. Eſt fœda & incommoda propenſio inflatæ palpebræ ſupra oculum, ut vix, vel non, homo poſſit eamdem adtollere.

Cauſa eſt in inflatione celluloſitatis, ut jam explicui; aut etiam relaxatione paralytica muſculi elevatoris; aut in hydatide adnato palpebræ.

Inflata celluloſa fabrica, ſi ab eryſipelate, aut variolis, aut chlorotica diſpoſitione pendeat, curabitur cura generali adverſus dictos morbos: at vero, ſi peculiaris diſpoſitio talis ſit, aliquando recurrens in tali homine, cætera, vel circiter, ſano, diſcutiente remedio curetur, quod ſimul leniter adſtringat: v. c. aq. Reg. Hung., aq. Anhaltina, emplaſt. ad ruptur. Fernelii; dum ſimul purgante remedio ſerum per alvum evacuetur. Curato morbo, primo per octiduum, dein bis in menſe, ejusmodi purgans ſæpe repetatur: quibus ſi minus auſcultet, veſicans, lene ſtillicidium poſt aures per octiduum continuans, proderit.

Si nimis diu duret, ſi continuo relabatur, ſi ex palpebræ externa laxitate interna membrana ejus corrugetur, ſi incurvet marginem palpebræ in bulbum oculi; tunc ab *adfrictu pilorum* oritur dura inflammatio adnatæ, proſerpens ad oculi reliquas partes. In eo caſu inſtrumento *Petri Adriani* Verduin, ſive *Cl.* Ravii, quod Heister in *Tab. X.* depinxit & deſcripſit, cutis palpebræ intercipitur, abſcinditur, conſuitur & ſic ſæpe reſtituta res eſt. Vocatur hoc ultimum malum ptosis, quæ eſt trichiasis *ſecunda & tertia ſpecies,* ut mox patebit.

2) Si ſit *a relaxatione paralytica muſc. levatoris palpebræ*, vocatur *ἀτονία τῶν βλεφαρῶν*, eſtque malum, quod Auctores ſuadent eodem modo curare atque *ptoſin* mox deſcriptam : ſed ſapienter nos monet MAITRE-JEAN, *p.* 548., tum inutilitatis, tum nocumenti, hujus in hoc caſu operationis. Quid enim juvat, cutim adcurtaſſe, dum muſculus paralyticus manet? Cutis ſiquidem non debebat elevare palpebram, ſed muſculus. Deinde ſi muſculus maneat paralyticus & cutis adcurtata ſit, limbus palpebræ extrorſum trahitur, & ipſa ſuperficies interna palpebræ exteriora verſus ducitur, fœdo ſpectaculo, ſummo nocumento. Paralyſis illa topica roborantibus & remediis internis potius curanda eſſet, ſi ſit curabilis.

3) Si *hydatis* in cauſa ſit, poterit illa, ſi collum anguſtius habeat, ligando auferri; aliter, pertundi, poſteaque conſumi ejus membrana.

Palpebrarum alius morbus eſt CILIORUM LAPSUS, MADAROSIS dictus : ſi margines rubeant valde, MILPHOSIS, ſive MILTHOSIS, ſi vero margo craſſus & calloſus eſſet, PTYLOSIS vocabatur ; inani ac ſubtili nimis diſtinctione, quæ doctrinam medicam obfuſcavit, laboremque tum docentibus creavit, tum diſcentibus.

Malum hoc vidi a variolis ortum, ſed continua humectatione pili poſt annum recreverunt ; uti &, notante MAITRE-JEAN, recreſcunt poſt acutos morbos, poſt quos aliquando decidunt, ut capilli capitis. Si vero deſtructæ & deletæ ſint oræ palpebrarum, concretique folliculi pilorum, inani ſpe recreſcendi fallimus ægros. Corporis ſanitati proſpiciendum tunc eſt, & humectatione perpetua palpebræ efficiendum, ut, ſi qui folliculi necdum penitus deſtructi eſſent, recreſcere cilia poſſent.

Sequi-

Sequitur morbus *palpebrarum*, TRICHIASIS dictus, quam more ſuo dividunt Auctores in tres ſpecies: 1) in DISTICHIASIN, quando duplex ciliorum ordo eſt, unus extrorſum quidem, alter introrſum verſus bulbum proſpiciens: 2) in PHALANGOSIN, quando vel numeroſiores ſunt, vel quando margo palpebræ relaxatæ introrſum vertitur: 3) in PTOSIN, quando, ut jam vidimus, palpebra relaxata introrſum creſcit (*). Varia ex PAULO AEGINETA, AËTIO, CELSO, ALBUCASI exſcripſere Auctores; ſed cordati viri inveniunt inutilia pleraque. Pili potius evellendi ſunt, Auctore MAITRE-JEAN, qui introrſum vertuntur; quo excitatur levis inflammatio & ſubpuratio marginis palpebræ, & calloſitate ſequuta, obſtipantur pori, quibus pili iterum egrederentur. Quodſi autem pili quidam renaſcerentur, iterum forent mox tenaculo extrahendi; quia parvi pili acutius pungerent adnatam, quam longiores.

Sane conati fuimus in noſocomio noſtro talem morbum, palpebram inferiorem infeſtantem, curare incidendo & auferendo portionem cutis ſub palpebra: ad tempus homo melius habuit; verum margo palpebræ ſenſim iterum ſe vertit introrſum vidimusque idem renatum malum. Addite, quod ante ex MAITRE-JEAN monui, ſi abſciſſa cutis ſit, externam palpebræ partem rigidiorem in cauſa eſſe, ut palpebra extrorſum vertatur, lato, rubro, fœdo margine, qui tunc continuas habet inflammationes & alia mala.

(*) Igitur *Phalangoſis* & *Ptoſis* ſunt idem; hinc habuimus hos morbos nomine *phalangoſeos* & *ptoſeos*, *de* H.

Auctores, qui multiplicare morbos oculi studuerunt, & græcis eos nominibus, quo mirabiliores viderentur, insigniverunt, referunt morbum dictum PHTHIRIASIN, quando pediculi inter cilia gignebantur. Tamen, qui millenos pauperes in nosocomiis tractaverunt, illi testantur, se nunquam illum morbum vidisse. Testatur MAITRE-JEAN, se vidisse quidem, pediculos illos fœdos, planos, dictos *inguinales*, sive *axillares*, des morpions, platluizen, cilia, ut reliqua loca pilosa, obsedisse; sed non eo sensu, ut peculiarem morbum constituerent: quodsi veri pediculi ibi hospitarentur, putat eos debere auferri, vel aqua rosacea, cui pauxillum aloës permistum, locum ablui posse.

PALPEBRARUM NICTITATIO CONTINUA, involuntaria, quasi convulsiva, vaga, morbus certe incommodus est & indecorus. Videtur vitium subponere vel in fibris, vel in spiritibus levatoris palpebræ, vel in renixu nimio tarsi cartilaginei palpebræ, unde perpetuus antagonismus quasi oritur actionis utriusque. Sunt, quibus a nativitate id vitii est, aut saltem a teneris: sunt, quibus a consuetudine cum aliis simile quid fit; sunt, quibus post convulsiones. Si quid remedii est post convulsiones, in generali cura convulsionum & peculiari adplicatione topica similium, sita est. Quæ cura, quum ex varia natura & origine convulsionum deducatur, inde repetenda erit. Si pueri id æmulentur, cavendum, ne cum talibus ultra consuescant.

Sequitur LAGOPHTHALMOS, OCULUS LEPORINUS: quum scribant V. V., lepores aperta palpebra dormire, *oculum* LEPORINUM vocavere, quando palpebra *superior* oculum tegere, ne in somno quidem, non potest: si vero *inferior*, dicitur ECTROPION. Causæ vel congenitæ, vel a vulnere, aut ignis actione ortæ, raro curabiles, nisi emollitione perpetua; si

a tu-

a tumore, forte curabilis morbus, tumore exſtirpato. Si in homine acute decumbente, nec antea conſueto, id obſervemus, mali ominis: HIPP. *Coac.* 2. *c.* 5. *n.* 3.; *Aph.* 6 — 52.; *Prognoſt.* *No.* 3. inter ſigna mala ponit, album oculi videri ægro dormienti, niſi a keneangeia. A keneangeia enim aliquando vires reſtitutæ poſſunt etiam hoc malum emendare. Verum ſi a morbo ita conſumtæ vires & ſpiritus, ut muſculus orbicularis oculorum magnam partem paralyticus ſit, fere conclamata res eſt. Orbicularis habet nervulos a tribus ramis rami ophthalmici quinti paris; habet & a pari ſeptimo, ergo a quatuor diverſis locis: unde notabilis muſculus eſt; quo paralytico plures nervi jam demonſtrantur inutiles eſſe, ergo ſummum adeſſe vitæ periculum. Ratio, cur excipiat HIPPOCRATES keneangeiam, eſt, quod, ſi vaſa evacuata, ſine nova evacuatione ſenſim repleantur, ſpiritus denuo regenerentur, qui orbiculari movendo inſerviant. In acutis vero nova liquida ingeri non poſſunt, quia deeſt adpetitus eo tempore, quo oculi ita ſe habent; viæ lacteæ obſtructæ non admitterent nova liquida; vaſa vitalia non amplius laborarent ad ſpirituum materiem præparandam. Sed, ut dixi, caveatis a prognoſi mala ex ſolo hoc phænomeno; niſi examinaveritis antea, an homo ille ita dormire non adſueverit. Narravi alia occaſione Vobis, me ſemel ita erraſſe poſteaque deprehendiſſe, plures homines ita dormire conſueviſſe. Deinde ex uno ſigno malo nunquam debemus prognoſticum formare; ſed ex pluribus, ſimul junctis. In tranſitu dicam, orbicularem palpebrarum muſculum quidem voluntarium eſſe, verum pertinere etiam ad illas partes, quæ duplicem motus originem habent. Sic & in apoplexia obſervamus, quamdam deglutitionis, veſicæ urinariæ & alvi excernendæ actionem ſupereſſe, quamvis omnes

actiones voluntariæ penitus cessent: unde verosimile fieret, has partes quoque habere a cerebello nervos actioni spontaneæ destinatos: ita & in orbiculari palpebrarum videtur; nam nobis dormientibus superat resistentiam elevatoris, ut & in apoplecticis.

Si hæc vera sint, est oculus semiclausus in fine acutorum eo perniciosior, quia non tantum animales, sed & vitales functiones labascunt.

ENCANTHIS nunc consideranda: MAITRE-JEAN, *St.* YVES, HEISTER, *de* GORTER, aliique post V. V. animadverterunt, in angulo majori oculi nasci tumorem loco duplici, sive in caruncula lacrymali, sive in pellicula illa, quæ post carunculam in angulo oculi adparens utramque nectit palpebram. *Benignam* alteram *encanthidem* vocant, quæ mollis & indolens; alteram *malignam*, quæ dolens, plumbea, immo sæpe cancrosa, fit.

MAITRE-JEAN testatur, se vidisse, si encanthis illa esset fungosa, rubescens, indolens, nec magna valde, quod sua sese sponte separaret. Sunt ex rarioribus tales casus. Sæpe crescunt valide & cancrosæ fiunt. Antequam vero maligna fiat encanthis, præstat ipsi lenia adstringentia & corrodentia adplicare; ut

℞. Ærugin. ust. gr. xv.
alum. ust. gr. x.
irid. florent. ℈j.
sacchari cand. ʒj.

f. pulvis tenuissimus, cujus tantillum quater de die carunculæ adplicetur, cavendo, ne in oculum cadat; semihora postea lavetur oculus, ne quid inde lædatur, aqua rosar., vel euphras.,

vel

℞.

℞. Virid. æris ℈j.
vitriol. rom. ad albed. calcin. gr. xvj.
borracis
lapidis pumic. aa gr. xij.
facchari cand. ʒj.
mucilag. gum. tragac. ʒiij.
aq. ftillat. rut.
— — — chelidon. maj. aa ℥iv.
quater de die loco adplicetur.

HEISTERUS laudat pulverem fequentem:
℞. Sacchar. alb. canar. ʒj.
vitriol. alb. calcinat. gr. xv.
M.

Sumit aliquando loco vitrioli eamdem copiam aluminis ufti; dum interea revellentia, epifpaftica, fonticuli, fetacea, purgantia & refrigerantia remedia adhibeantur.

Si vero omnibus his encanthis non obaudiat, exftirpanda eft, antequam maligna fiat; fi nempe magna fit, & oculo umbraculum faciat. Curam v. apud *St.* YVES, MAITRE-JEAN, HEISTERUM aliosque. — Encanthis ab oleo vitrioli maligna facta fruftra pofthac ligata fuit, TULP. *l.* I. *obf.* 29.; nam vix adtingi potuit, quin copiofum fanguinem funderet, — Ab olei vitrioli adplicatione maligna facta caruncula excreverat in molem tegentem magnam genæ partem. Adeo temerarium eft, acria illa a principio adplicare!

Alius oculorum morbus eft, dum CARUNCULA LACRYMALIS poft operationem, vel poft fpontaneum cafum, vel poft feparationem offis unguis dicti in oculo, vel a pure ex fubpuratione fiftulæ lacrymalis, ABLATA, vel CONSUMTA eft. Hinc in operatione encanthidis malignæ adnitendum eft, ut, fi fieri poffit,

ca-

carunculæ quid residuum maneat, quod recrescat; & si forte fistula lacrymalis hoc malum producat, ut illa cito curetur.

In cantho majori nascuntur quandoque PUSTULÆ admodum PRURIGINOSÆ, vel etiam ULCUSCULA PRURIGINOSA; & maturandæ & emundandæ erunt, primo emollientibus, deinde mundantibus & exsiccantibus.

Tandem in cantho majori nascitur morbus, dictus ANCHYLOPS, sive *absscessus inter angulum majorem oculi & nasum*. Fit post inflammationem subpuratio, vel aliquando quasi atheroma. Apti hi tumores facile fistulosi fiunt vel scirrhosi. Resolutio primum vel maturatio tentanda & mundatio. Dum aperitur, tentandum, an os subjectum non adfectum sit: si sit adfectum, cura ex *chirurgicis* petenda; si non, mundandum & consolidandum est. — HEISTER ponit *anchylopem* vel *tumore* enato in loco hoc, vel *hernia sacci lacrymalis*.

§. 838. *Quin etiam peccato lacrymarum abundantium, exacerbescentium, spissescentium, ad limbos palpebræ utriusque natantium guttatim, inde in genas ex oculis destillantium, fiunt hic humiditates turbantes aciem.* Fertilem iterum morborum oculi causam adgredimur, ac primo quidem ex NIMIIS LACRYMIS humiditates turbantes visum.

Homines hi dum in templo adspiciunt candelas in altari lucentes, vel dum volunt vespertino tempore legere, aliquid adspicere, spectacula contemplari, vident flammis candelarum extremis inferioribus & superioribus adhærere radios laterales, quasi virgas, quæ visum mire turbant, [& quod in his mirabile, dum opacum corpus inter oculum & radios inferiores ponimus, radii

radii ſuperiores disparent; ſi inter oculum & radios ſuperiores, primum disparent inferiores] abstergunt lacrymas, pro momento denuo vident: redeuntibus mox humoribus, idem turbatus viſus. ROHAULT ſe multum torſit, ut hoc explicaret, ſed melius LA HIRE poſtque illum *magnus* MUSSCHENBROEK, *p.* 528. *&* 529. *Inſtit. Phyſic.* 1748. Nempe conniventes palpebræ humorem abstergere conantur, qui humor collectus, adhærens oculo & palpebræ, ſpeciem trigoni format, ob ſitum loci inter oculum & palpebram: (*) unde, dum lux candelæ in ſupremum trigonum incidit, refringitur, & radii, qui ab inferiori parte flammæ candelæ oriebantur, in ſuperiori retinæ parte pinguntur, veluti a priſmate radii refracti oblongam imaginem formant: ita & radii, qui a ſuperiori parte flammæ orti erant, refringuntur ab humore ad inferiorem palpebræ partem poſito, ut in inferiori retinæ regione pingantur: hinc interpoſito opaco, digito v. c., disparent radiorum origines veræ & non ut imaginari ſibi homo aliter potuiſſet.

Eroſiones inflammatoriæ; dum lacryma ſalſior membranæ adnatæ, internæ palpebræ, marginibus ejus, genis, continuo adplicata ſit.

Obfuſcationes; quia 1) turbant inlapſuros radios; 2) quia ſolida oculi disturpant.

Fiſtulæ lacrymales: contingunt illæ 1) *vitio laxitatis nimiæ in glandula lacrymali* 2 — 9, morbos ocu-

(*) Aqua adplicata ad externam corneam, facit medium, in quo radii refringuntur, antequam in corneam cadant. Eſt refractio ut in cornea, ut in humore aqueo: turbatur ergo viſus, quia refractio jam incipit, antequam radii in corneam incidant. *de* H.

oculorum conplures jam recenſuimus, plurimi adhuc recenſendi ſuperſunt. Ultra 300 nonnulli adnumerarunt; ſaltem famoſus *John* TAYLOR 1743 edidit *Londini* Catalogum morborum 243, qui oculos adficiunt, totidemque icones pictas apud ipſum vidi. Verum, ſi ita cum unoquoque viſcere fieret, milliones forte morborum inde exſurgerent. Sunt revera quidem multi oculorum morbi, verum inanitas ſubtilitatis in diſtinguendo parit diſcendi difficultatem: præcipuos tamen recenſere decet Pathologica Explicantem. — FISTULA LACRYMALIS, unus nomine morbus, hic Vobis a perſpicaciſſimo BOERHAAVIO a novem differentibus cauſis deducitur. Dicitur enim FISTULA LACRYMALIS, quando lacrymæ involuntariæ haud abſorbentur eo deſtinatis hauſtris, ſed per genas decidunt; unde inflammationes variis in partibus in *textu* enumeratis, aliaque mala. Revocate in memoriam hiſtoriam punctorum lacrymalium, ſaccorum lacrymalium & canalium naſalium; mox neceſſitatem (indolem) hujus morbi conprehenditis. Igitur, ſi a ſimplici obſtructione per materiam mucoſam, ea facile curatur ſtylulo, ſive filo, argenteo ſubtiliſſimo, inducto per punctum lacrymale: tum aquæ mellitæ injectione per *fiſtulam* (ſyringam) dictam *Anellianam*; quæ per punctum lacrymale injecta, in nares exit, una cum obſtruente materie; (*) ſed ſi canalis, aut ſaccus, obſtru-

(*) Si vitium ſit in uno canaliculorum, qui a punctis lacrymalibus ducunt lacrymas in ſaccum lacrymalem, fieri poteſt, ut Chirurgus ſubtili ſuo filo argenteo per punctum lacrymale perveniat in ſaccum lacrymalem, & per canalem naſalem in nares & tamen malum non ſit curatum. Igitur tunc

ſtructus ſit, quod variolæ ibidem ſubpurando laterum fecerint coalitum; vel quod lues venerea cariem fecerit oſſis unguis & canalem deſtruxerit; vel quod plane conſumta ſit caruncula in cantho majori, quæ lacrymas in puncta lacrymalia determinaſſet; vel quod ſubpuratione limbi oculi puncta lacrymalia concreta ſint: facile intelligitis, morbum haud facile curari inanesque eſſe curationem ſemper promittentium jactantias. Hoc loco conſulendi *Auctores chirurgici*, MAITRE-JEAN inprimis, *St.* YVES, HEISTER, PETIT in *Actis Acad. Reg. Pariſ.* Etiam operæ pretium erit, legere *Acta Acad. chirurg. Pariſ.* ubi famoſi Viri in arte BORDENAVE, LA FOREST & LOUIS tres egregias dedere diſſertationes, quibus ſapienter demonſtrarunt, peccare Chirurgos, qui ſuam methodum propriam univerſaliter methodo aliorum præferant; nam omnes varias methodos ita convenire, ut nulla excludat aliam, ob cauſæ diverſitatem: ita, ut quandoque os unguis perterebrandum ſit, ad novam viam in nares parandam pro lacrymis, & ſæpenumero hæc methodus maxime ſit condemnanda, condemnandique illi Chirurgi, qui illico pertinaces fiſtulas curaturi ferro candenti os unguis perforant; dum quandoque facili negotio ſolvantur per alias methodos, immo aliquando per ſolam naturam; ut duobus notabilibus exemplis MAITRE-JEAN demonſtravit.

Ha-

---

tunc filum ſubtiliſſimum ſuum argenteum inmittat in alterum punctum lacrymale & conetur ſic prudenter venire in ſaccum & canalem. Si eo perveniat, reſeravit viam per medium mucum, vel curavit fiſtulam lacrymalem, *de* H.

Habetur in laudatis *Actis chirurgicis* nova etiam methodus curandi fiſtulas lacrymales, inducto ſtylo in canalem naſalem per ipſas nares, id quod fieri poteſt, ſi non penitus ille canalis coaluerit: quam methodum ANELLUS jam exercuit & ante illum VALSALVA, teſte MORGAGNI *Epiſt.* 13. (Circa methodos varias curandi fiſtulas lacrymales legendus eſt præſtans libellus *Cl.* MEZGER: *curationum chirurgicarum, quæ ad fiſtulam lacrymalem hucusque fuerunt adhibitæ, hiſtoria critica.*)

Sunt autem omnes cauſæ, quæ priores enarratas creant, quam plurimæ: etenim cauſæ illæ novem enarratæ, non oriuntur ſæpe, niſi præceſſerit vel lues venerea, vel variolæ, vel temperies ſcorbutica, putrida, aut rachitica, aut ulcera ad loca illa, aut vulnera, aut narium polypi &c. — Curatio ergo dependet a curatione originis mali. Ridiculus eſſet, qui arte vellet fiſtulam lacrymalem curare, dum cauſa eſt polypus conprimens & obturans exitum lacrymarum in naribus: curetur polypus, ſi curabilis ſit, & curata erit fiſtula lacrymalis: vel ſi conpreſſus maneat tunc canalis naſalis, ex arte cura aperire; jam ſaltem cauſa amota eſt, quæ conpreſſerat.

§. 839. *Deinde vero depravatur, inpeditur, abòletur viſio, tunicæ corneæ atque adnatæ obſcuratione &c.*

(Proſequitur hic HAENIUS in codice tum theorias varias circa modum, quo viſus fiat; tum pro radiis & contra eos a Viris celeberrimis in medium prolatas theorias, CARTESII quoque adferens hypotheſin; monens tamen ſimul, ſemper manere illam mirabilitatem, cur mota lux a tot millionibus punctorum non confundatur in foramine chartulæ, &

redar-

redarguisse Deum JOBUM de nimia cœlestium perscrutatione, *an consideraverit, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit?* Pluribus tum exponit, quomodo radiorum fiat refractio, actio in oculum, eamque subsequens visus ipse, qua in parte oculi hic fiat, &c. Quum autem hæc omnia tum in *Physicis*, tum in *Physiologicis* dudum fuerint tradita; omissis illis, quæ aliunde in *Pathologia* nemo desideraverit, ipsam nunc exhibeo adfectionum oculi morbosarum historiam reliquam; præmittens unice sequentia, circa *claritatem visus* & *distinctionem;* quum hæc præfixos non multum lædant cancellos, nec a pathologica expositione adeo recedant.)

Claritas visus dependet 1) a lucis copia majori, ab objecto reflexa; quod fit, si objectum propinquum, aut colore vivaci pictum sit; aut ita figuratum, ut plurimos ad oculum radios repercutiat:

2) ab amplitudine pupillæ & iridis mobilitate:

3) a pelluciditate triplicis humoris:

4) a nervi optici teneritudine cæterisque conditionibus (integris.)

Hinc patet, cur myopes objecta clariora, quam senes, videant? Postulant enim ea propiora; deinde dilatatam solent habere pupillam, unde plus radiorum admittunt.

Patet etiam, cur senes minus distincte res videant, quam vel pueri, vel myopes: habent enim senes pupillam contractiorem, humores minus pellucentes, tandem callosiorem ab usu retinam.

Hæc de *claritate* visionis: sed datur etiam visionis *distinctio;* possumus enim *clare* videre & tamen non *distincte;* v. g. fortissimum jubar, sed indistinctum. *Distincte* dicimur videre, quando objecti limites clare

& bene terminati adparent; deinde, quando quælibet ejus partes ab aliis poſſunt diſtingui figura, loco, colore.

Pendet hoc 1) ab eo, quod radii, qui ab uno objecti puncto reflexi fuerint, in retinæ unico puncto cogant.

2) Quando imago depingitur magna in retina: ut fere omnes radii tot diverſa imaginis puncta ſuper retinam forment, ac ſunt objecti puncta, unde emittebantur. Ideo myopes diſtinctius vident, quia objecta habent propinquiora.

3) Quando objecta ita inluminantur, ut pro ratione viſuri oculi conveniat: vividior lux obcœcat; debilior non ſatis ferit retinam.

4) Quando cum adtentione & diu videmus: oculum enim tunc omnem in formam adcommodamus.

Coarctata pupilla multum facit ad diſtinctionem, maxime in propinquo objecto: unde videmus homines, qui aliquod objectum videre bene nequeunt, coarctare pupillam: qui id nequeunt, quandoque juvantur charta cum exili foramine oculo adpoſita. Objecti propinqui parum divergentes radii eam permeant, facile refringendi, ut concurrant in retina.

Deinde vero depravatur — — — dealbatione, incraſſatione. Cornea erat inſtrumenti viſus ea primaria pars, in quam radii ab objectis inlapſi inciperent refringi, & a qua refracti reliquos oculi humores deberent pertranſire. Si jam conſideretis adnatam non terminari ad limbum corneæ, ſed corneæ probabiliter (*) ſupertendi, conprehenditis facile, inlapſum radio-
rum

(*) *Probabiliter:* die 9. Jan. 1756 juvenem ex neglecto hypopyo corneæ peſſime laborantem vi-
di

rum vel *integre* inpediri, ſi toti anteriori parti, vel *partim*, ſi parti corneæ talis obſcuratio naſcatur.

Obſcuratione, *dealbatione*, *incraſſatione:* hæc porro fiunt 1) ab *oëdemate*, quod poteſt eſſe inter adnatam & corneam; ſi vel vas lymphaticum fractum fuerit, aut major ſecretio roris, humidas has partes tenentis, quam ejusdem reſorptio fuerit. Purgantia hydragoga, veſicantia, & collyria leniſſime adſtringentia conveniunt.

2) *Phlyctena;* conjunctivæ & corneæ commune genus puſtularum duplex ſic vocatur. Primum, veſicularum, ſive bullularum, aqua plenarum, ut ſunt puſtulæ poſt conbuſtionem: proprio nomine *phlyctenæ* hæ nominantur. Alterum genus continet materiem utcunque ſpiſſiorem. Cauſæ ſunt, prægreſſa inflammatio, humorum acrimonia, variolæ occupantes has tunicas, ardor nimius ſolis (frequentius ignis) ſcintillæ igneæ inlapſus, muſca, aranea, adplicata acria. Phlyctenarum color varius non eſt, ſed ita adparet: ſi enim inflammatio adeſt, rubra puſtula, ſi prope limbum corneæ puſtula, fuſca vel nigreſcens adparet; ſed ſi a latere adſpiciamus, videmus transparere: ſi quandoque alius coloris ſint, ſenſim palleſcunt.

di & oſtendi binis Adſiſtentibus & Chirurgo D. LEBER, id nunc certum videri: *nam vas rubrum ex angulo majori oculi in adnata ſupergrediebatur corneam*, & dividebatur in rubros ramos: erant tam conſpicui, ut nulla injectio clarius demonſtrare poſſet. Idem plusquam 20 aliis experimentis clare conſtitit. *de* H.

Prognoſis: in ulcera maligna corroſiva aliquando degenerant; quod tamen minus ab aquoſis phlyctenis timendum, quam ab iis, quæ ſpiſſiorem gerunt materiem. (*) Tum externæ in adnata minus periculoſæ, quam quæ profundius corneæ inhærent: periculoſæ etiam minus in ambitu, quam ante pupillam: minus periculoſæ ab externa quæ oriuntur, quam quæ ab interna, cauſa.

Revulſio, refrigeratio humorum requiritur per v. ſ., balnea pedum, hydragoga lenia, veſicantia, epiſpaſtica, remedia nitroſa, (v. Collect. meam: *Pandectæ Phyſico - medicæ*, &c. ſ. 3—5), ſubacida: unde totæ aliquando diſparent. Sin minus metus ſubpurationis eſt, conveniet ſequens;

℞. Mucilag. ſem. cydon. ℥j.
aq. chamom.
— fœnic.
— roſar. aa ℥iij.
croc. auſtr. gr. x.

Infund. coletur; ſæpius linteis oculo adplicetur eique inſtilletur.

Hinc efficitur id, ut aliquando ſponte rumpantur phlyctenæ: quod ſi non fiat, acicula a latere inflicta, aut ſubtili cultello, apice tantum nudo, reliqua ſui parte obvoluto, pertundantur.

Apertis his, ſive ſponte ſua, ſive per artem, ſint collyria mundantia & exſiccantia:

℞.

(*) Eſt, acſi acrimonia materiæ exeſio corneæ fieret; nam, dum phlyctena rumpitur, concavus fit locus; vel tumefactæ margines veluti cavum repræſentant. *de* H.

℞. Trochisc. alb. Rhazis ℈j. (*)
myrrhæ gr. x.
vitriol. alb. gr. v.
sacchari cand. ʒß.
aq. rosar. ℥viij.

Quavis hora aliquot guttæ oculo instillentur & linteo adplicentur. Agitur eodem modo cum his phlyctenis, quæ post variolas; sed bene monet MAITRE-JEAN; præstare, humectatione oculorum prævenire, quam curare.

3) *Inflammatione*, quæ sane dirus est frequentissimusque oculorum morbus. Obtinet in adnata, in ipsa quoque cornea. Adnata constat arteriolis venisque, quæ non solent rubrum humorem gerere; saltem non, qua parte tegit corneam; & si ad corneam opacam adnata rubra vasa habeat, ea pauca; in inflammatione

 vero

(*) Variant in *Dispensatoriis* trochisci hi, seu sief album RHAZIS: quædam habent cum camphora, alia sine: quædam cum opio, alia sine. Etiam cerussa superat in aliquibus dosin reliquorum mucilaginosorum: in aliis mucilaginosa superant longe cerussam. In *Vindob. Dispensat.* habentur sine camphora, & cerussa tantum $\frac{1}{4}$ facit massæ omnium aliorum pulverum: ergo mites adstringendi vires. Debemus hoc nosse, ubi praxin erimus exercitaturi; nam, si duplo plus cerussæ inest, duplo etiam magis adstringet, atque tunc minor copia ejus addenda, vel omittendum vitriolum. *Vindobonenses* habent cum & sine opio. Opium obesse non potest: in *Vindobonensi* 20. pars ingredientium est opium. *de* H.

vero innumera. Cornea etiam ex multis lamellis conſtans deprehenditur habere inter ſingulas lamellas quidquam aquæ ex ruptis lymphaticis vaſis inter laminas decurrentibus. Vaſa ergo adnatæ ante corneam, vaſa illa inter laminas, per errorem loci admittentia ſerum flavum, ſeu etiam rubros globulos; *aut* oculos rubros, lippientes faciunt, potius a ſtagnatione, vel obſtructione, quam ab inflammatione; *aut* inflammatione vera, aliquando dolentiſſima, oculos agitant & pervertunt.

Cauſæ ſunt inflammationis generales: tum, vaſorum diſpoſitio laxior, ab aëre externo humido calido, a continuo foco, a lacrymis, vel vitio glandulæ innominatæ, vel a mœrore & triſtitia, effuſis. Hinc cauſa frequens ingreſſus flavi, aut rubri ſanguinis in hæc vaſa: ſi tunc accedat poſtea vel frigus aëris, vel fumus acer, vel inlapſus pulverum, arenarum, quisquiliarum, facile hinc poterit inflammatio naſci.

Eſt morbus hic adeo quibusdam familiaris, ut vix una inflammatione curata, altera ſuccedat, ob cauſas mox explicatas. (Inprimis, ſi vitæ genus intenſionem multam, frequentem, nocturnam etiam, oculorum exigat; v c. in Litteratis, Chalcographis, Cælatoribus &c.)

Subtiles in diſtinguendo Auctores diſtinguunt in *ophthalmiam ſpuriam*, ſeu *vix dolorificam*, *taraxin*, & *veram*; *humidam* & *ſiccam*; denique in *violentiſſimam*, ſive *chemoſin*. (Quæ diſtinctiones non omnino arbitrariæ, aut ſuperfluæ, in praxi ſane ſunt.)

Curatio pro violentia ſymptomatum petenda ex cura generali inflammationis; quæ hic non repetenda; v. ſ., purgant., clyſm., epiſpaſt., collyria: interea dum generalia hæc remedia adhibentur, oculo adplicanda ſunt

ſunt primo in violentia inflammationis refrigerantia, demulcentia:

℞. Mucilag. ſem. cyd., aq. rec. extr. ℥vj.
aq. roſar.
— plantag. aa ℥j.

Si inflammatio non ſit nimis violenta, videntur oculi pati poſſe, ut tali collyrio gr. 3. 4 pulv. croci addantur, quo leniſſimo hoc ſtimulo eo citius vaſa propellant contentum humorem.

Non male agunt, qui hoc in caſu continuo lac muliebre, vel bovillum, inſtillant, modo recens. (Bonos etiam effectus productos adferere poſſum ab inſtillato lacte, ſeu emulſo, amygdalino, vel ſeminum, ſic dictorum, refrigerantium; quod præ lacte muliebri aut bovillo prærogativam in quibusdam caſibus meretur, quum coloſtrum non adeo deponat glutinoſum, uti lac animantium ex uberibus eductum.)

Etiam

℞. Aq. roſar.
— melilot. aa ℥ij.
croc. auſtr. gr. x.
ſem. cydon. No. xv.

Stent parum, agitentur, colentur.

Collyria ſupra dicta linteis duplicatis oculis adplicata a vehemente calore aliquando cito ſiccefcunt; unde ſæpius renovanda. Etiam ſi oculi lippiant, acribus lacrymis inprægnatur nimis linteum hoc; ergo renovetur ſæpius.

Notate mucilaginoſa ſæpe collyriis addi, 1) quia laxant fibras & acrimoniam obtundunt; 2) quia reliqua adplicata, alioqui cito diffluxura, nunc eorum ope diutius in oculo hærent.

Utiliter etiam adhibetur sequens:

℞. Pulpæ pomor. dulc. tost. ℥iß.
mucilag. sem. cyd. ℥j.
album. ovi diu conquassat. No. j.
lactis dulcis ℥j.
croci austr. gr. vj.

M. forma cataplasmatis oculo inponatur, sæpius renovandum.

Vel

℞. Micæ panis tenerrim. ℥ij.
lact. dulc.
aq. rosar. aa q. s. eodem scopo.

Quum inflammatio minuitur dolorque, & jam humor obstruens resolvitur, mutabuntur collyria & cataplasmata, ut minus emolliant, sed vasis laxatis robur addere possint:

unde

℞. Flor. rosar. rubr.
— sambuc. aa Mj.

infunde per horam vase clauso, per momentum coque; tum adde colaturæ ℥x.
sacch. saturn. gr. x.
camphoræ gr. v.

Si vasa laxata nimis maneant, loco sacchari saturni potest addi vitriolum album.

Si sublata inflammatione membrana externa oculi veluti turgida maneat, augetur vitrioli albi dosis paucis granis, vel alumen additur. Etiam tunc juvat album ovi tamdiu frustulo aluminis conquassare, ut fiat instar unguenti illudque linteis oculo adplicare.

Sunt, qui ament hoc:

℞.

℞. Pulp. cydon. coct. ℥ij.
pulv. rosar. rubr. ʒj.
sacch. saturn. gr. x.
M.

Si ad finem aliquid rubri hinc inde maneat, aut levis subinde dolor, collyria parantur talia:

℞. Aq. stillat. cyani segetum
— — — euphragiæ aa ℥v. (*)
spir. vini ʒiv. (**)
mucilag. sem. cyd. ʒij.
M.

(*) Euphragia, planta diangia, polysperma, nota ab omni tempore ob vim adtenuandi: unde in incipiente glaucomate & cataracta potest larga copia infundendo parata (ejus infusum) potari, bono cum effectu. Hinc & solet in collyriis adhiberi ubi adtenuandum: vel etiam, ubi inter vasorum adstrictionem per alia remedia, simul volumus inpactos humores diluere. *de* H.

(**) Lippitudines expositæ sæpe curantur refrigerantibus & lenissime adstringentibus: v. g. centies curavi hoc remedio:

℞. Aq. pluv. ℥v.
vitriol. alb.
sal. marin. aa gr. v.

Verum sunt aliquando pertinacissimæ & continuo redeuntes. Erat vir quidam in Belgio litteratus, qui frustraneam opem expertus omnium fere remediorum cogebatur propter quædam negotia Parisios pergere. Redeunte ibidem lippitudine, casu

℞. Sem. fœnic.
— anis.
flor. balaust. aa pugill. j.
vini alb. mitis ℥vj.
post macerationem 24 horar. colentur.

Maxime autem notandum hic, adstringentia sæpe nocere in summis inflammationibus & multos oculos destrui hoc modo. Inde dolendum, empyrico more tot aquas ophthalmicas laudari, quæ forte uno in casu prosunt, in viginti aliis nocent.

In inflammationibus oculorum demum adponenda etiam nonnunquam vesicantia post aures, vel ad nucham; admovendæ hirudines ad tempora & retro aures, eæque repetendæ.

(Seminum cydoniorum loco, ut aqua reddatur mucilaginosa, optime substitui potest nonnunquam parva dosis radicis salep. — Adscripsit HAENIUS in margine codicis formulam aquæ ophthalmicæ sequentem:

℞.

---

casu loquitur cum R. Pastore *Sti* SULPITII, qui illum a longo tempore hoc malo laborantem intelligens, se eum mox curaturum spopondit. Dedit illi liquorem, cujus subinde unicam guttulam oculo instillaret. Actutum curabatur & rediens malum illico sistebatur manebatque curatus. Tunc Pastor candide illi formulam dedit, ut vel seipsum, si rediret malum, vel alios curare posset. Nil erat, nisi spiritus vini rectificatissimi pars una, aquæ purissimæ p. iij. iv. mista. Centenos ille vir, in Belgium redux, hoc remedio curavit. *de* H.

℞. Pulv. zinci ʒj.
aq. roſar. ℥vj.
M.

An ſub *pulvere* zinci intellexit *flores* zinci, qui ſane ceu remedium ophthalmicum paſſim laudari ſolent; utut nihiloſecius dubitem ſatis de ſpecifica illorum hoc ſcopo virtute? Non ſatis concinne foret, ſi quis, uti D*** voluit, ipſum zinci *metallicum pulverem* aquæ roſarum jungendum crederet, ut remedium exin naſceretur, curaretur oculorum morbus. Cogitatio, parum adeo chemicæ, quam therapeuticæ, doctrinæ congrua!)

4) *Ungue: unguis, ungula, pterygion, pannus, panniculus*, ſunt maculæ in tunica albuginea, plerumque ortæ ex angulo majori oculi e membrana, ſeu ligamento poſt carunculam lacrymalem, quo palpebræ conjunguntur, ſenſim in anteriora creſcentes & quandoque partim, vel totam, corneam tegentes. Hinc prognoſis facilis.

Si in principio, dum mollis eſt illa membrana & parva aliqua inflammatio concomitatur, ea pro re nata generali cura inflammationum curetur; deinde prudenter ſæpiusque adplicentur remedia ſequentia ex HEISTERO:

℞. Sacchar alb. ʒj.
vitriol. alb. gr. v.
M.

vel

℞. Oſſ. ſæpiæ ℈j.
ſacchar. alb. ʒj.
M.

Per tubum ex calamo ſcriptorio factum oculo quotidie bis, ter, inſuffletur.

Vel

Vel

℞. Fellis anguillæ ʒ ß.
mucilag. gumm. tragac. ℥ ß.
aq. euphrag. ℥vj.
M.

vel

℞. Lapid. medicament. CROLLII gr. xij. (*)
aq. flor. keyri ℥v.
M.

Si reliquus oculus ab his adplicatis, aut per oculum diffluentibus, adficiatur, erit ille ſæpe aqua pura, vel aqua roſarum, &c. abluendus.

Maculas corneæ ex variolis jam peſſimas puer habebat. Mater didicerat remedium ab alia femina, quod illico paravit & diu adplicando puerum integre curavit. Erat hepar piſcis cujusquam, quod dimiſſum in vaſe ſponte dat oleum copioſum, quo illinito oculo ſæpius

(*) *Lapis medicamentoſus* CROLLII ex adſtringentibus foſſilibus & ſalibus adtenuantibus alkalinis paratus. CROLLIUS, ejus Auctor, ſcribit in *Baſilica chymica*, *p.* 271. „ Oculorum lacrymas reſtinguit, rubedinem & oculorum dolores tollit & caliginem, ſi pluma madefacta anguli oculorum externi irrorentur. Si in ophthalmia utimur, poteſt ſolvi in aqua roſarum vel euphragiæ, vel verbenæ.“ Habetur hic lapis in *Diſpenſat. Vindob.*, verum mutatus multum & ſalium alkalinorum longe minorem copiam habens, ac cætera omnia mutata; quam ob cauſam ignoro; moneo tantum, ut ſciretis. Vidi deſperatiſſima ulcera dyſepulotica hinc ſanari. *de* H.

sæpius de die ope penicilli, egregia cura perfecta. Piscis vocatur apud RONDELETIUM *l. de piscib. fluviat. p.* 164. *c.* 19. lota *Lugdunensibus*, motella vero *Gebennensibus*. Addit sub finem: „Si quis *lotam* mustellam lacustrem vel fluviatilem adpellaverit, non inepte mea quidem sententia fecerit; modo non eam accipiat, quæ ex mari fluvios petit: qualis est mustella AUSONII, qui *mustellæ* nomine lampetram nostram describere videtur; de qua fusius diximus in *opere de piscibus marinis*.“

Utique plures maculas jam fere detersimus hoc oleo; sed quum fere curati pauperes non redeant, non possumus de pluribus dicere, quod curati fuerint. Credo quoque vetustius illud rancescere; unde præstat, sæpe recens parare. Piscis *Germanis* Rutten dicitur.

(Confirmare hic possum frequentiori experientia egregios successus hepatis hujus, quos *Cel.* HAENIUS ex integro absolutos videre non poterat, quum pauperes, notabile mali levamen experti, nosocomium non ultra adire soliti sint. Certissimum præterea est, quod Ille dubius quasi proposuit, liquorem hunc oleosum mora corrumpi, & evadere rancidum; tum vero auxilii loco damna nova generat, excitans inflammationes adnatæ, carunculæ, ac epithelii, aptius enim nomen non invenio, corneæ, excitans quoque pustulas prurientes ac phlyctenas. Verum ea hominum, plebejorum inprimis, sors est, ut, indolis talium rerum plane ignari, pro levamine mali ac medela, novam sæpenumero sibi excitent symptomatum adversorum syndromen. Alia fors occasione latius agere potero de damnis, quæ nascuntur ex variis remediis, cætera saluberrimis, unice proficiscentibus vel a mora nimis longa, qua fuerunt adser-

adservata, vel a loci aut vasis indole, quo continentur, vel demum a perversa adplicandi methodo, tum ratione ipsius remedii; tum, cui adplicantur, subjecti. Ad hæc non solum homines ex plebe, sed & Pharmacopœi, sed & Chirurgi, sed & ipsi Medici, non semper satis respexerunt.)

Si talia non juvent, vel sero vocemur, operatione chirurgica opus est. Unco subtilissimo elevet Chirurgus membranam, & acum incurvam subtilem cum filo conetur infigere & perducere, si possit, per membranæ longitudinem; arcte tunc filum stringat ligetque & conetur leni agitatione separare; vel si non possit, leniter prudenterque cultello, ad apicem fere vestito, separet. Oculum posthac collyrio antiphlogistico & mucilaginoso abluere sæpe & munire debet. TAYLOR dexterrime vidi aliquoties hanc operationem facere forcipibus (forficibus) subtilissimis.

HEISTER auctor est, curam aliquando tentare per abscissionem arteriarum ex angulo majori in talem membranam currentium; post quam membrana non amplius nutritur; unde tunc facilius per remedia consumitur. Etiam ALBINUS testatur, se aliquando sic curam bonam fecisse. (Usu prudenti adstringentium & lenissime acrium antea tentanda membranæ talis artificialis consumtio & extenuatio vasorum in eam decurrentium.)

Sunt membranæ tales, quæ quasi adiposi quid habent: felle taurino, & anguillæ facile consumuntur: an hæc TOBIÆ cœcitas? (Omisi hic denuo historiam ex *sacris litteris* ab HAENIO hic adlatam morbi, curationisque TOBIÆ, tum & EZECHIÆ, ut demonstraret, DEUM MEDICUM selegisse remedia simplicia.)

Sunt

Sunt autem tales, quæ auferri non possunt propter firmam cum cornea cohæsionem; quas relinquere præstat: cornea enim inpune non læditur.

In operatione hac sanguis semper turbat eam: hinc MAITRE-JEAN usu laudat pulverem adplicandum tunc ex

Boli armen.
gumm. arab. aa. ℥j.
colcoth. vitriol. gr. x.

Sunt denique tales maculæ, quæ dolores, rubedines, ulcera, crustas, copiosas acres lacrymas, tumores, corneam opacam, tumidas palpebras, lucis intolerantiam (photophobian) juncta habent: has præstat, non adtingere, sed palliare.

5) *Albugine: albugo, leucoma, nebula, nubecula, poros, porosis*, est macula inter membranam adnatam & corneam, secundum MAITRE-JEAN. Alii vero cum HEISTERO, & rectius, in ipsa cornea sedem ponunt. Nomina varia hæc varios designant mali gradus. Sunt *eminentes*, & *non eminentes*, sine ullo tumore, in ipsa corneæ substantia; sunt, qui adhuc subtilius distinxerunt; *aquilam* vocaverunt, quod album oculi occupat, non corneam; *albuginem*, quod semper corneam.

Causæ sunt humores lenti, stagnationes, subpurationes, ulcera, remedia rodentia, (rancida), male adplicata, ustio, variolæ, vulnusculum ex panno, qui olim corneæ adfixus fuerat. Vidimus enim antea, inter laminas corneæ vasa intercurrere. In *Mem. Acad. Reg. scient. Par.* 1726. *Edit. in* 8. *p.* 96. PETIT *Medicus* ait: „ multa nos inducere, ut vasa sanguinea in cornea admittamus. Formantur siquidem in cornea abscessuli, ut in hypopyo, phlyctenis, pustulisque cernimus; id quod solet oriri a sanguine extravasato: tamen

men inde non esse concludendum, quod in statu naturali sanguinea vasa cornea habeat: — — — hypopyon, pustulas aliosque abscessus in cornea aliquando non habere prægressam inflammationem, rubedinemve, ubi pro causa contusionem non habent. Egregium exemplum habetur apud *Inl. Baronem* VAN SWIETEN oculi ante mortem dirissime inflammati, & ita viam tam patulam pro injectione facientis, ut cornea infinita rubrorum vasorum inter suas laminas referta videretur copia.

Tales albugines aliquando corrosis lamellis per pustulas in adnata aperiuntur & pus effundunt. Si pustula incipiat adparere, illico pertundenda est, ne ultra erodatur cornea. Cæterum a principio herbis discutientibus vino incoctis, sacculo inclusis, est materiæ adtenuatio ac dissipatio promovenda. — Si malum pergat & pustula variolosa ibi exsurgat, illa mox pertundatur, & dein oculus foveatur aquosis ac mucilaginosis. — Si macula magna videatur, & ex adnata vascula adpareant ad hunc locum pergere, illa vasa prudenter abscindantur.

Si post inflammationem albugo incipiat nasci, emollientibus, laxantibus & dein lenissime adstringentibus, agendum est, non omissis revellentibus; quum valida adstringentia materiem figant in vasis, adeoque malum augeant.

Maculæ autem tales, sive leucomata, quæ ab adstringentibus nimiis, a vulneribus, ab ulceribus in cornea manserint, frustra remediis debellare satagimus: unde talia sibi relinquenda sunt.

Sed, si cum, vel sine, inflammatione prægressa a lenta congestione nascantur, & grandescant tales in cornea albugines, usum sæpe habent fella lucii piscis, carpionis, anguillæ, tauri, bovis, perdicis &c.; albugo

bis

bis de die tangitur plumaceolo intincto bili, & semihora post oculus aqua foenic., rosar., keyri, euphragiæ, abluitur.

Laudant hic quoque oleum linteaminum, vel oleum papyri. Parant oleum hoc, linteamina vel papyrum incendendo inter duas patinas, non ita conpressas, quin flamma urere (ardere) possit. Tum residuum pauca saliva madefaciunt, & albuginem penicillo, eo inbuto, tangunt; alii olei guayaci guttam inponendam suadent. (In utroque casu oleum empyreumaticum, satis causticum, uti lingua percipi facile potest, maculæ admovetur; unde prudenter fiat operatio, ne denuo irritatio fiat ac inflammatio adnatæ, internæ palpebræ &c.)

6) *Sarcosi*: est excrescentia carnosa dicta, quandoque terribilis, fungosa, eminens admodum, & aliquando dura; benigna, vel maligna.

Causæ plerumque sunt ulcera, vel vulnera: nascuntur utplurimum in sclerotica, sed aliquando tamen etiam in cornea, immo sunt, quarum origo ex iride & uvea habetur. MAITRE-JEAN semel rebellem per annos ad omnia remedia in milite vidit: usta, corrosa, secta sæpius fuerat sarcosis illa, sed intra mensem recreverat, jamque adeo magna facta, ut palpebras diduceret a sese & dolores intolerabiles crearet. Actum igitur de oculo videbatur. MAITRE-JEAN curavit hominem, escharotico fortissimo consumendo excrescentiam carnosam: verum, dum ad fundum pervenit, vidit corneam apertam esse & aqueum humorem effluere; radicem porro in iride infigi: brevi post lens crystallina ipsumque vitreum corpus per aperturam cecidere in genas: unde perdito penitus oculo, homo ille, ab omni dolore liber, nautam egit diu postea. Videmus ergo, sarcoses has terribiles esse: sed ad *staphyloma* nonne facilius referenda talis sarcosis?

Si benignæ ſint poſt ulcera & in principio, ſæpe conſumuntur inſufflatione vel adplicatione pulveris ex tutiæ præparat., irid. florent., ſacch. candi aa. part. æqualibus : ſi hoc non ſufficiat, parum aluminis uſti addatur : ſi necdum juvet, loco aluminis pauca grana vitrioli albi jungantur.

His incaſſum adhibitis circumligatur filum, ſi apta ſit ſuſcipiendi fili ſarcoſis ; vel abſcinditur : ablata ſarcoſi pulvere mox deſcripto inſpergendus locus.

Si maligna & cancroſa ſarcoſis ſit, cavendum ab omnibus his : tantum dilutis plumbatis (ſaturninis) & mucilaginoſis res pallianda eſt. (*)

7)

(*) Homo W**. 50 circite rannorum, 14. Nov. (1757) acceſſit me, dixitque contigiſſe ſibi, ut a 9 circiter ſeptimanis ex cantho majori oculi dextri tuberculum excreverit, primo piſi magnitudine, ſed a 6 ſeptimanis idem creverit per integram palpebram, maxime parte infra corneam : demum tota adnaita intumuit, ut cornea deliteſceret quaſi inter pulvinar. Corneæ rotunda figura præciſe circumſcripta manebat ad margines ſuos & in toto rotundo ambitu pulvinaris inſtar ; eminebat tumor ſupra ſcleroticam : pruritus validus. — Tumor tum ex angulo majori excreſcens, non hæret pedunculo, ſed in tota adnata fixus hæret, qua tota parte oculus adſpectabilis eſt. — Natura tumoris ita adparet, ac ſi fruſtum carnis oculum totum expleret, excepta cornea, — Dolores magnos patitur in capitis ea parte, & fronte, & orbita ipſoque quandoque in bulbo : oculus cætera bonus eſt. — V. ſ., purgantia, diſcutientia,

cucur-

7) Hic inferendum eſt *ſtaphyloma*, notabilis corneæ & ſcleroticæ morbus. Dividitur in *ſtaphyloma corneæ* & *ſtaphyloma ſcleroticæ* : ſed *ſtaphyloma*, ſive *proptoſis*, nomen generale eſt. *Staphyloma* deſignat acinum uvarum; *proptoſis* caſum verſus anteriora. Quum ſtaphyloma tale diverſas figuras habeat, etiam ab Auctoribus iterum variis nominibus inſignitur, pro ſimilitudine rei, quam gerere videtur; magna denuo

---

cucurbitæ, repetita; nil juverunt. Miſi hominem ad *Inluſt.* PRÆSIDEM, quum anxius eſſem de cura. — Adplicuimus ſequens:

℞. Spirit. ſal. ammon. ℥j.
aceti vini q. ſ. ad ſaturationem perfect.
[id erat aceti ℥iſs.]
aq. puræ libr. ij. M.

Pergendo cum cucurbitis multis & revellentibus. Hinc nihil profectum. — Homo hic ſero cubitum ire & mature ſurgere in vita adſuetus, paucas per horas dormierat : ſed in morbo hoc oculorum non poterat dormire fere præ dolore; nec juvit opium. — Quum nil lucraretur, 17. Dec. 1757. exivit ex noſocomio, me ægrotante. — Audivi dein, hominem conſilio cujusdam mulierculæ auſcultaſſe & demum poſt intolerabiles dolores oculi periiſſe circa 13. aut 14. Februarii 1758. Audivi id modo triduo poſt ejus ſepulturam; alioqui conatus fuiſſem, in mortuo hunc oculum examinare. *de H.*

Sarcoſis terribilis anno 1761. ſemel fere curata, ſenſim recreſcens in femina, quæ ideo fruſtra uſa eſt cicuta in noſocomio. *de H.*

tum docentium, tum difcentium confufione & labore: onerarunt enim memoriam multiplici nominum varietate, & ut rem difficiliorem redderent, græce illas differentias baptizarunt. Interim, quum nomina hæc in arte adhibeantur, & in confultationibus nobis magno fæpe faftu recitentur, Profefforis eft, Tironibus ea explicare.

Prima fpecies eft, quæ nomen *ftaphylomatis* retinet, eaque iterum duplex eft; vel a cornea prius debiliori reddita poft ulcus; aut preffione humoris aquei in tumorem acino uvæ fimilem extenfa: eft quafi corneæ hernia; cornea tamen integra eft.

Secunda fpecies ftaphylomatis fit a cornea perrupta, per quam rupturam exftillat humor aqueus & iris extrorfum cadit.

Sed fecunda hæc fpecies dividitur 1) in *malum*, five *melonem*; 2) in *helos*, five *clavum*; 3) in *myocephalon*, feu *formicale*.

Quando iris cum uvea adeo excrefcit, in illo foramine, ut fpeciem pomi parvi referat, vocant *malum*, five *melonem*.

Quando iris in femiglobofam formam crefcens caput rotundum infixi clavi exhibet, tunc *helos* vocant, five *clavum*.

Quando iris elapfa format quafi mufcæ, five papilionis parvum caput, vocant *myocephalon*; alii *formicale* vocant. Videtis nunc, quid nomina illa varia fignificent, & quod fint unus tantum morbus, fed varia figura (& magnitudine) differens.

Nonnullæ fpecies vifum omnino auferunt: ftaphyloma mitius relinquit aliquam vifionem.

Morbus tamen plerumque incurabilis, nifi initio admodum cura adhiberetur: in decurfu tamen adeo ferox & dolens, ut cum oculi deftructione utcunque cu-

retur:

retur : sed destructio oculi hic præferenda, quum cæteroqui oculus cœcus sit.

Mox igitur, ubi advertere incipimus, corneam determinata quadam sui parte eminere, tunc linteolo conprimente, conpressivo ut vocant, in aqua aluminosa madefacto, prematur leniter ille locus & circum caput ligatura illa apte firmetur (*). Elapsa si iris cum uvea sit & recenter id contigerit, instrumento obtuso, subtili repulsio ejus prudentissime tentetur; [si scilicet tantum iris sit, & non excrescentia ex iride; nam repositio talis excrescentiæ nil juvaret] Jubeamus ægrum, semper dorso incumbat; ab omni motu, sternutatione, emunctione valida narium, abstineat; ne etiam durarum fæcum adgestu cogatur subinde fortiter alvum deprimere, ante operationem probe purgandus est, & diu post operationem jure carnium, pane biscocto, nutriendus; unde paucæ tantum fæces generantur. Facta operatione albumine ovi, mucilagine cydoniorum cornea tegenda, donec apertura coaluerit. Hæc circiter HEISTERI est methodus.

Celeberr. Amstelædamensis Chirurgus ULHOORN in suis *in* HEISTERUM *Commentariis* adseverat, se incipiens staphyloma felicissime plerumque curasse hac methodo : ex cornea, in loco tumente, inflicto per lanceolam vulnusculo, sinebat humorem aqueum elabi,

 con-

(*) Tunc scilicet, quando videtur sine ullo vitio externo cornea quasi herniosa fieri. Si sit 1ma species, sine vitio in iride, curabile est malum hac arte : sed si illa prominentia oriatur a tumore nascente ex iride, aut uvea, non juvabimus : aut si tumor ille corneam extendere possit, excrescet intus in camera prima, & visum inpediet. *de* H.

conlabente cornea ; vulnusculum tegebat defenſivo. Sequenti die, aqua renaſcente, eumdem pertudit locum, & ſic per aliquot dies. Hinc ſenſim contractior cornea fiebat ac manebat ; ita, ut homines ſæpe caput certo modo dirigentes, radios lucis ſecundum cicatricis latera admitterent & utcunque bene illo oculo cernerent. — Certe eſſet levioris ſpeciei, ſeu herniæ corneæ, curatio præferenda leni conpreſſione ope linteoli aqua aluminoſa gravidi, quam ea, quæ fit contractione cicatricum.

Si vero malum inveteratum ſit, ſuadent Auctores, ut fila bina acu per radicem tumoris traducantur, & ligentur, donec mortuus cadat. Juvat filum illud duplex eſſe, etiam duplicis coloris, v. c. albi & rubri; ut nempe rubrum cum albo ligetur ; ne ſtaphyloma alioqui findatur & foramen majus in cornea faciat. Hac vero arte fila ſe decuſſant & efficiunt bonam, non dilacerantem, ligaturam.

Sed operatio per ligaturam talem aliquando magnas inflammationes & ſubpurationes efficit : unde præſtaret methodus abſcindendi. Ita teſtatur HEISTERUS, ſe curaſſe ſtaphyloma articuli digiti magnitudine & unguis forma. ST. YVES etiam methodum abſcindendi explicat & demonſtrat *p.* 233. Sed videamus, quî fiat illa abſciſſio ; nam externa recreſcit & fit maligna, unde fieri in oculo debet. Ergo curationis ejusmodi effectus eſt oculi jactura : nam in magno ſtaphylomate cum elapſa iride, cornea tota usque poſt annulum ciliarem in toto ambitu exſcinditur, ut cum cornea tota uvea ſimul auferatur : unde cryſtallinus & vitreus humor excidunt, bulbus reliquus corrugatur & vitreus oculus pictus artificioſe inducitur. Sed a principio cavendum eſt, ne palpebræ, ultra non ſustentatæ, ita claudant oculum, ut humores ex oculo exire nequeant.

MAI-

Maitre-Jean putat, ſtaphyloma naſcens exulcere corneæ poſſe curari, ſi adſtringentia ulceri inſpergantur, quibus ille locus quaſi indureſcat : nec nocere poſſe leves inflammationes, quæ in ambitu inde oriantur, immo inde adhuc plus margines indurari. Disſuadet ille operationem, qua perditur oculus. Sed, in magno & inveterato ſtaphylomate oculus non videbit amplius, dolor intolerabilis ſæpe adeſt, difformitas horrenda : poſt operationem vero dolor ceſſat, & artificiali oculo difformitas utcunque tollitur : ergo operatio præferenda.

8) *Fiſtula corneæ* hic quoque recenſetur, quæ fit poſt corneæ ulcus : evadunt margines calloſi & aqueus humor ſenſim utcunque exſtillat. Etiam poſt vulnera oculi punctim facta talia viſa ſunt.

Videtis viſum turbari, quia corrugatur cornea, aqueo humore non ſatis ſustentata. Cornea corrugata clauderet quidem aperturam, ſed calloſi margines id inpediunt. Calloſos margines aliis in locis norunt conſumere Chirurgi, hic vero non : corrodentia per foramen internum in oculum forte inciderent & magna mala facerent : dein vicina in cornea æque corroderent.

Vidit Maitre-Jean quater hoc malum & ſemel a curato ſtaphylomate. Hoc non mirum, quum prima methodus *Domini de* St. Yves curandi ſtaphyloma id præſubponat, ut poſtea ſemper fiſtula corneæ maneat.

9) *Cicatrice* ; ut poſt ulcera & vulnera ; hic, uti ubique, fere inevitabili. Si parva, parum ; ſi magna, multum, viſum inpedit. Eſt malum incurabile.

Addenda *Perla*, quando excreſcentia fit in adnata, vel cornea, tuberoſa ; ſeu macula elata in rotunditatem ; ſeu ubi tuber cartilagineum fit. Cauſa puſtula elata, quæ non reſolvitur, ſed cum tenaci liquido, particulis tenuioribus reſorptis, concreſcit in du-

rum album tuberculum. Perla eſt opaca, alioqui tumor *phlyctænæ* pellucidus quoque vocaretur perla: ſed, ſi phlyctæna non reſolvitur, aut aperitur, ac frigus externum conſtringat illam, poteſt ſenſim tumor opacus, ſive perla, fieri.

§. 840. *Quando etiam humor aqueus deficit, fit oculi marcor, corneæ corrugatio.* Id jam toties vidimus in hiſtoria fabricæ & uſus oculi, aqueum humorem, præter alios uſus, etiam hunc habere, ut bulbum oculi extendat æquabiliſſime. Eſt vitium penitus viſum turbans & obfuſcans, etiamſi in majori malo, ut ſtaphyloma erat, homo ſe hoc vitio conſoletur, ut a ſtaphylomate liberetur.

Si ſine vitio externo, a mero defectu aquei humoris fiat, tunc cauſa eſſe debet nimia durities in cornea, ut ſe ſufficienter explicari & extendi haud ſinat ab aqueo humore: aut quod deficiente humore aqueo cornea haud extendatur æquabiliter. Si ab ipſius corneæ vitio, remedium eſt, corneam vapore tepidæ, ejusque continua adplicatione, emolliire, extenſilem reddere, ut ab aqueo humore expandi queat. Etenim deficere aqueus humor poteſt, quia coarctante ſe vitioſe cornea, minuit cameram anteriorem oculi, quo corneæ vitio correcto forte aqueus humor plus ſpatii nactus corneam denuo extenderet.

Si autem vitium verum eſt, quia aqueus minore copia ſecernitur, vitium adeſſe ſubponitur in vaſis illis tenuiſſimis iridis & uveæ, unde forte ſecernitur ille humor. Quid remedii hic, ſolvendi in loco adeo abscondito & profundo obſtructiones? Etenim arteriæ exhalantes obſtructæ ſunt. Solus mercurius, inpacta exiliſſimorum vaſorum ſolvens hic aliquid præſtabit.

Si

Si abundet, oculus nascitur elephantinus : vocatur sic oculus, qui omni dimensione major fit ; ita, ut demum palpebræ amplius nequeant claudi & ut mox extra limbum orbitæ excrescat in difformem figuram, *proptosin* dictam ; ut a conpressione in illo limbo orbitæ & ad palpebras dolores oriantur intolerabiles ; qui sensim cum oculo interno communicati ibidem inflammationes subpurationesque creant : ut etiam opticus nervus ac musculi oculi motorii, in anteriora valide tracti, oculi convulsiones, destructiones ultro producant.

Oculus elephantinus spurius , ubi sarcoma nascitur in orbita, in ejus sæpe fundo & toto ambitu ; unde oculus totus extra orbitam vertitur ; ita tamen, ut visus non semper pereat. Vidimus id in Rev. Patre Piarista, æstate 1761., cui, id volenti, D. LEBER omnem, quantum potuit, sarcosin exscidit ; sed dolores tanti, ut non potuerit ferre, & ut apoplecticus moreretur. Operatio semper disfuadenda ob periculum.

Causæ mali teterrimi (oculi elephantini veri) nimia copia humoris aquei ; sed & vitreus copia & mole auctus reperitur. Si aqueus peccet, *hydrophthalmia* vocatur. Oritur aliquando ex crassis, vel corruptis in oculo humoribus : a scirrho, aut cancro, oculi ; ut terribile exemplum exhibetur ab HEISTERO *Tab. XIII. F.* 2. ; solet tunc *ficus*, sive *fungus, oculi* nuncupari.

Prima causa, nempe nimia copia humoris aquei, oriri potest a nimia ejus per arteriolas iridis & uveæ secretione ; vel a vitio venularum aquam resorbentium. Humores enim perpetuo renovantur ; unde, si in venis resorbentibus vitium sit, hydrophthalmia nascitur. Ab utra autem causa malum hic nascatur, incertum omnino est.

Unde in principio morbi mox tentamus, an poſſit adfluxu humorum ad oculum minuto oculus detumeſcere, ſi cauſa ſit nimia ejus ſecretio: quem in finem utimur v. ſ., purgantibus, derivantibus, epiſpaſticis &c. Si non juvet, ſubtili inſtrumento in inferiori ſclerotica inflicto, aqua educatur: id quotidie, vel alterno die, repetendum; interea oculus uniendus linteolo in aqua roſarum cum albumine ovorum conquaſſata intincto; lamina tenui plumbea ſuper linteolum inducta, & idonea ligatura firmata: ita NUCKIUS *p.* 120. *de ductibus oculorum aquoſis*; ita & HEISTERUS narrat, ſe hæc mala curaſſe.

Si humores illi abundantes craſſi ſint ob lentorem forte, quia non reſorbentur; ſpes non datur, fore ut per mercurium aliaque adtenuentur ac adtenuati reſorbeantur: hærent enim extra leges circulationis, ut mercurius illos disſolvere amplius nequeat. Adplicata adtenuantia externa raro per craſſam corneam, aut ſcleroticam penetrabunt; tentari tamen poſſunt. Si non juvent, ut in caſu priori paracenteſi educendi ſunt humores.

Si humores purulenti adpareant, tunc eſſet *hypopyon*; paracenteſi quoque curandum.

Si corrupti plane humores internam fabricam deſtruant, omnia mala ſunt metuenda; unde operatio alia inſtituenda. HEISTERUS cruciata inciſione aperit oculum anteriorem, omnia educit corrupta & reliquum ut apoſtema curat: ſed ſi tamen moles tam magna adhuc maneret, ut claudere ſe palpebræ non poſſent, a parte anteriori aufert, quantum ſatis; dein oculo artificiali inpletur vacuum.

Sunt Auctores, qui hoc in caſu velint oculum radicitus evelli: HILDANUS, MUYS, BARTISCH, ita jubent, ita fecerunt. Verum exempla non probavere

feli-

felicitatem curæ, quum malignæ excrefcentiæ fuccederent. TULPIUS *l.* I. *c.* 28. operationem hanc rejicit. ULHOORNIUS bis eamdem Amftelædami fecit, feliciter ut videbatur; fed poft aliquot menfes rebelle aliquid recrevit, non coërcibile, ex fundo oculi & miferrimam induxit mortem. Unde ULHOORN in ultima operatione tali fcribit, fe cauterio actuali voluiffe prudenter exurere fundum oculi, fed adfuiffe alios operationi, qui ferrum candens ipfi e manibus fubripuerunt, actionem temerariam effe opinati; nec injuria; fi enim teneritudinem offei lacunaris, in quod incumbit cerebrum, confideremus, fi actionem ignis in fundum optici nervi intueamur, horrenda videtur actio.

Unde præftaret, loco exftirpationis oculi totius, curam perficere abfcindendo partem oculi anteriorem poft corneæ limbum & humores educere; quæ ftaphylomatis cura erat, tuncque oculo artificiali cavum inplere. (Qua tamen ratione recrementum indomabile, fungofum, fubinde, ut in cafu ULHOORNII primo, contingens, non coërcebitur.)

Si vero fcirrhus, aut cancer oculi, in caufa fint, videte curam apud HEISTERUM.

3) Ex prægreffis fimul intelligitis *textum* noftrum dicentem: *fi ftagnet non renovatus, putrefcendo totam fabricam oculi peffumdat.* Quid hoc effet, dixi.

4) *Si colorem accipit, fpiffaturve, five in muci, five in pituitofi, indolem; hinc* SUBFUSIONES, CATARACTÆ; OCULORUM COLOR ALIENUS; *hæc plerumque inter interiora uveæ, & inter lentem cryftallinam: eftque caufa fere inflammatio, cacochymia, aut nimis coagulantium inprudens adplicatio.*

Hic nunc ingredimur vaftum illum belli campum, in quo, ineunte hoc fæculo, acriter utrinque pugnatum eft *de vera cataractæ natura.* V. V. omnes per *cata-*

ractam

ractam intellexere pelliculam, quæ, ut cataracta in flumine, ita hic in oculo, transitum radiorum lucis interciperet. Chirurgus vero Tornacensis BRISSEAU primus scriptis editis cataractam solam adstruit esse opacam lentem crystallinam, idque, quod acu ab operatore optico (Ophthalmiatro) exprimeretur, non esse pelliculam, sed ipsam lentem. WOOLHOUZE, Medicus ocularius Regis Britanniæ JACOBI II. contrariam defendebat opinionem, una cum omnibus suis discipulis Gallorumque non paucis; quos inter LA HIRE *Pater* & *Filius*, MERY, LITTRE, aliique. Vigente hoc bello *Antonius* MAITRE-JEAN, Chirurgus urbis gallicæ dictæ *Mery sur Seine*, publici juris fecit anno 1707. egregium librum in 4., quem longis retro ab annis jam conscripserat, ac in quo theoriam & praxin opticam (ophthalmiatricam) eruditissime & pulcerrime tractat; (BRISSEAU sententiæ accedens). Effectum hinc, ut in BRISSEAU & MAITRE-JEAN partes abirent PETITUS; ipse olim adeo contrarius illis; MERY & sensim plerique aliorum. Dissertationes utrinque traditæ sensim habentur utplurimum in *Act. Acad. Reg. Sc. ab anno* 1706. *ad* 1710. Ipse noster *magnus* BOERHAAVE 1708. quum tantum Medicinæ Prælector adhuc esset, morbis oculi secundum V. V. explicandis præcise erat occupatus, quum *Celeb. L.* HEISTERUS, postea tantus in arte vir & BOERHAAVII quondam discipulus, ipsi adferret novum hunc MAITRE-JEAN librum; quem BOERHAAVE eousque ignorabat. Lecto hoc libro, & factis de industria experimentis, BOERHAAVE mox in collegiis V. V. doctrinam repulit, novam amplexus est, & experimentis egregie defendit. Hinc factum, ut ipse HEISTERUS, brevi post gradum doctoratus ambiens, dissertationi inaugurali hocce adnexuerit corollarium: „ cataractam esse len-

tis

tis cryſtallinæ obſcurationem, & non humoris aquei vitium: hinc in operatione cataractæ non pelliculam, ſicut vulgaris fert hypotheſis, ſed lentem cryſtallinam, deprimi. " Poſthac, ubi HEISTERUS viderat omnia, quæ BRISSEAU, MAITRE-JEAN, BOERHAAVE, PETIT, aliique ACADEMICI PARISIENSES in confirmationem novæ doctrinæ obſervaverant & evulgaverant; poſtquam ipſe exercitum Batavum ut Medicus ſequens experimentis multis rei veritatem confirmatam vidiſſet, edidit egregium ſuum librum anno 1713. *Altorfii de cataracta, glaucomate & amauroſi.* Opinionem autem novam, dum V. V. ſcripta evolverent, invenerunt minus novam eſſe, quam putarint; quum medio ſuperiori ſæculo GASSENDI, LASNIER, ROHAULT, & poſtea MARIOTTE, eam ſcriptis ſuis inſeruiſſent.

BOERHAAVIUM tamen tædebat acrium invectivarum, quas in hoc erudito bello partes obpoſitæ aliæ in alias conjiciebant. Volebant enim novæ opinionis patroni, cataractæ nomine non recenſenda eſſe alia oculi mala, præterquam lentis opacitatem: tamen rogabat BOERHAAVE, an, quia nomen cataractæ id omne deſignaret, quod tranſitum radiorum inpediret, pellicula in humoris aquei camera prima, pellicula in camera ſecunda, ſimiliter radios haud interciperent; adeoque veræ cataractæ non eſſent? Poſſe igitur dici pelliculam in prima camera, *cataractam primi generis;* in ſecunda, *cataractam ſecundi generis;* inſpiſſatam lentem, *cataractam tertii generis;* inſpiſſatum humorem vitreum, a colore viridi glaucoma multis dictum, *cataractam quarti generis.*

[Poſſet quinta ſpecies, *Cel. de* HAEN in margine ait, addi, quam patet in *Hiſt. Acad. ſc. Par.* 1722. detexiſſe MORAND & LA PEYRONIE: ubi lente per ope-

operationem depressa, membrana capsularis anterior opacatur; vel, ubi depressa lente, opacatur membrana vitrei, cui lens inhæserat. In *Act. Acad. Reg. chirurg. in* 4. editis, anno 1753. finiente, *Dom.* HOIN detexit quoque talem cataractam in oculo, quem a morte hominis examinabat. Operator HILMER cataractam illi tam bene depresserat, ut homo egregie videret prima die, & de industria ostenderet inprudenter, se videre, omni amico visitanti sese. Post diras inde natas inflammationes moritur, tribus septimanis post inflammationem.

Invenit HOIN crystallinam lentem in fundo oculi, sed membranam capsularem tota substantia inspissatam, depressit facile & invenit humorem vitreum omnino bonum.

In prioribus casibus videtur membrana hæc naturaliter sic se habuisse ante operationem cataractæ; in ultimo inspissatio videtur nata ab inflammatione post operationem: nam quomodo homo aliter tam bene prima die vidisset? Ergo hæc *quinta* species cataractæ eaque *membranacea* quidem; sed non ut in specie prima & secunda.

Cataracta quoque est *naturalis*, ubi præternaturaliter ab ipso ortu membrana innata est ipsi pupillæ. Talem descripsit LITTRE in *Hist. Acad. Reg. sc. Paris.* 1707. Vide etiam *Commerc. litter. Norimb.* 1740., *Cl.* ALBIN. *Acad. adnotat.* l. I. c. 8. Est *congenita cataracta*, sextæ speciei. *de H.*]

Sic distinguimus hac ratione varia oculi mala, bene inter sese omnia dividendo, intelligimusque id demum, quod χαρακτηριστικῶς cataracta dicitur, lentis inspissationem esse. Ergo quando BOERHAAVE in nostro textu ait, ab inspissatione aquei humoris nasci cataractam, designat cataractam primi, vel secundi gene-

ris

ris, quæ eſt ab inſpiſſatione humoris aquei facta veluti quædam membranula; & prout membranula talis alba, gryſea, alius ve coloris eſt, intelligimus, cur B. dicat hic, *oculorum colorem alienum.* Curatio talis pelliculæ mox dabitur in curatione cataractæ.

Cauſa, ait B., *fere eſt inflammatio.* Sit v. c. inflammatio in internis laminis corneæ, vel ſcleroticæ, aut in iride, aut in uvea, aut in ligamentis ciliaribus adeo vaſculoſis; ſtat primo omnis inflammatus liquor ante ora exhalantium arteriarum: humectatione aquei humoris, vi vitæ, demum humor inflammatorius, non quidem ita ſpiſſus quam antea, ſed tamen naturali ſpiſſior, effunditur in cameram 1. & 2. oculi; qui, ſi non adtenuetur ibi, omnino ab oris reſorbentium venarum abſorberi non poteſt: hinc ſenſim opacatur aqueus humor, & ab adunatione craſſarum particularum ſpecies membranæ producitur.

Unde in inflammatione dira oculi interna cane pejus & angue vitentur adſtringentia fortia, ut ſæpe monui, ne humores inſpiſſentur: qui, ſi poſt inflammationem inſpiſſati videantur, ſacculi inponantur oculo, in quibus flores ſambuc., melilot., chamomil., keyri, cyani ſegetum, folia meliſſæ & vino tabefacta incluſa ſint; ut ſic talis humor dividi poſſet.

2) *Cacochymia*; unde lenti humores facile hic omnia poſſunt turbare: cura externa, ut mox in inflammatione: interna vero cura petatur ex curatione ſpecificæ hujus cacochymiæ; ſive ſcorbuticæ, ſive rachiticæ, ſive venereæ.

3) *Aut nimis coagulantium inprudens adplicatio:* ut mox in inflammatione monui: neſcio an penetrent per ſcleroticam aut corneam: ſaltem conſtringunt illam & forte penetrant eorum particulæ ſubtiliſſimæ.

§. 841.

§. 841. *Si uvea inflammatur, oritur ophthalmia maxime dolens, brevi perniciosissima visui:* uvea scilicet cum iride & pupilla, tota illa cortina mobilis, perforata. Ex oculi descriptione videtis, quam sit tenerrima, nervosissima tamen & vasculosa. Hinc, si inflammatio hic oriatur, est dirissima & brevi perniciosa: si igitur Medicus advocetur & videat externe inflammatum nihil; aut etsi externe inflammatio adsit, tamen dolorem majorem, intolerantiam lucis adesse majorem, quam in externa inflammatione adesse solet; cura instituatur haud alia, quam in sævissima pleuritide, tota antiphlogistica, iteratis largis v. s., enematibus, diluentibus, refrigerantibus; collyriis etiam emollientissimis, diluentissimis; revellentibus omni ex parte adplicatis &c. unde sæpe feliciter curatur; nam

Si subpuratur, perditur acies & visus: solet enim tunc corrugari, vel destrui & pupilla e loco suo detrahitur, figura mutatur, fit angulosa, contracta, vel destructa. Hinc radii non amplius recte per illam transeunt in locum, ubi axis visus cadit: unde, si versus nasum detracta sit pupilla, radii plurimi admissi cadunt in nigrum ad processus ciliares ante vitreum & absorbentur; pauciores per lentem & tantum per lentis partem; unde imago perfecta non potest in retina pingi. Ex hac ratione homines hi obvertunt oculum versus humerum, ut plures radii in lentem cadant. Contrarium prorsus, sed eodem modo, fit, si contracta pupilla est versus angulum oculi externum: ut videant, latus tibi obponunt, ut te contemplentur, & videntur nobis inurbane nobiscum agere, quod latus nobis obponant loquentes, & tamen tunc nos melius adspiciunt; itidem caput adtollunt, vel deprimunt, si pupilla superiora, inferiorave sit contracta.

Si destruatur pupilla, destructa uvea, humor aqueus sæpe turbatur filamentis ejus & præterea radii lucis, non moderati amplius a pupilla, dolorem enormem in oculis excitant, nimis vivide copioseque in retinam inlapsi; unde hebes demum retina fit & insensilis.

Si inmobilis sit, simulque contracta, oritur ἡμεραλωπία: ἡμεραλωπία & νυκταλωπία duo morbi notabiles paucis explicandi. Ex doctrina *physiologica* nostis, dum vivida lux nos adficit, pupillam nos reddere minimam, ut pauciores tantum radios admittamus, & objectum distinguamus; quum jubar splendidum confusionem in visu pariat, retinam nimis vivide adficiundo. Ex obposito, dum, die advesperascente, vel in cavea, volumus objectum distinguere, pupillam inmense dilatamus, ut tot capiamus, quot possimus, radios, & ut radii copiosiores subpleant, saltem utcunque, paucitatem & sic in retina objectum utcunque distinctius pingatur.

Quibus igitur post inflammationem uveæ & iridis pupilla in angustius contracta est, illi modo vident per diem, ubi plures radii intrant; in obscuriori loco non vident, quia non possunt dilatare pupillam ad copiosiores radios admittendos. Hi dicuntur tantum de die videntes: ἡμεράλωποι. Idem verum in iis, quibus post uveæ inflammationem pupilla inmobilis fit; ut plura exempla docent. Fibræ nerveæ longitudinales concretæ videntur, destructæve; unde inmobilis pupilla: ergo illi non possunt in obscuro loco illam dilatare.

Quibus vero vis fibrarum orbicularium pupillæ periit, illi habent pupillam amplam: his simul inpossibile, ut illam contrahant, perditis orbicularibus. Dum tales in vivida luce versantur, fere cœci sunt, quia retina non potest ferre adpulsum tot radiorum: hinc

illi non vident diſtincte, niſi in debili luce, ac fere in tenebris; habent enim tunc plures radios inlabentes in retinam, quam alii homines; dicuntur ideo νυκτάλωποι. (Qui diu in obſcurioribus, locis ſubterraneis, carceribus &c. verſati fuerint, demum evadunt plurimum νυκτάλωποι, deſuetudine inlapſus majoris copiæ radiorum vividiorum in retinam. Animalia, quæ facultate gaudent, noctu videndi, felinum genus, noctuæ, papiliones noctivagi &c. viſum per diem obſcuriorem, quædam fere nullum, habent; noctu eo acriorem.)

Juvamen aliquod habere poſſunt ἡμεράλωποι a perſpicillis convexis, ut plus radiorum ſic accipiant: νυκτάλωποι a perſpicillis concavis, ut vividiores radii dispergantur magis, antequam in corneam incidant.

Quæ [ἡμεραλωπία] *& contingit, ubi cataracta minor, ad margines tenuior, in medio ſpiſſior, adeſt.* Exdlicabo mox, ubi cataractam examinabo.

Sed vitium, hic non notatum, memorari oportet; quando nempe vel ex ipſa uvea, aut iride, vel ex humore aqueo, naſcitur membranula; partim, vel integre, occludens pupillam, eique adcreta: talem vidit LITTRE in *Mem. Acad. R. Sc. Pariſ.* 1707, *Commerc. litt. Norimb.* 1740, *Cl.* ALBIN. in *Acad. adnot. l.* I. *c.* 8., ULHOORN 1735 *in Not. ad* HEISTERUM. (Eſt paullo ante ab HAENIO recenſita ſexta ſpecies cataractæ congenita.

Si qua cura ſupereſſet, oporteret fieri operationem quaſi cataractæ & acu ſolvere membranulam ac deprimere, aut frangere (dividere): ſed quantum periculi pro uvea! An ſine ejus læſione id fieret? ULHOORN vidit, quod TAYLOR id tentaverit, ſed peſſimo cum ſucceſſu.

§. 842.

§. 842. *Verum etiam fit, ut lens cryſtallina opaca, inflammata, ſubpurata, hydropica, corrupta, atrophica facta, producat* GLAUCOMA, CATARACTAM, VISUM HEBETEM *&c.*

Dixi antea, hanc tertiam ſpeciem cataractæ omnium cataractarum ita frequentiſſimam eſſe, ut ſola fere nomen cataractæ retinuerit. Unde plerumque nunc, dum dicimus hominem cataracta laborare, intelligimus vitioſam lentem.

Lentis ſtructuram ante dedi: fit illa 1) *opaca*, quando ejus vel capſula, vel propria membrana, vel cellulæ ejus humorem includentes, obſtruuntur, vel inflammantur, aut lenta materie obplentur, nec per venas illa materies obſtruens, aut inflammans, aufertur. Tunc quaſi concreſcunt cum vaſis liquida & denegant transitum radiis: idem fit, ſi *ſubpuretur;* nam pus non permittit radios tranſire: unde ſimul intelligitur, cur

2) *inflammata*, (*)

3) *ſubpurata*, lens opaca fiat.

4) *Hydropica*, dum nempe inter lentem & capſulam colligitur lympha, quæ molem totam augeat, ipſam vero lentis ſubſtantiam conprimat. Etiam fit, dum vas unum lymphaticum varicoſum redditur & hydati-

 dicum,

(*) Lentem poſſe vere inflammari, id, puto, Vobis triplici experimento (in noſocomio) conſtitiſſe; quo patuit, arteriolam ex retina, vel choroëide per vitreum penetrare, lenti poſticæ inferi, in infinitos ramos diſpergi, & ſubſtantiam ejus penetrare. Ut (etiam) poteſtis videre in opere *magni* ALBINI deſcriptum & tabula expreſſum. *de* H.

dicum, ut in aliis corporis locis. In omnibus his casibus refractio radiorum est, ut per aquam; quæ non sufficit, ut ex ante dictis patuit.

5) *Corrupta*, ab acrimonia venerea, aliave; unde simul vascula ejus læduntur & crassescunt.

6) *Atrophica*, dum, arteriis obstructis advehentibus, desinit nutriri. Contrahitur tunc & spissescit: perinde, ac lens depressa, post operationem in fundo oculi locata, minor fit & contrahitur: nam arteria caret, qua ante depressionem nutriebatur.

7) [*Lapidea*] in *Mem. Ac. Sc. Paris.* 1730 *T. II.*, *Dominus* MORAND descripsit examen a se factum oculi hominis mortui, ubi videbatur sibi videre cataractam flavam, eamque ob causam eruerat oculum. Stupens vidit, & tab. dein repræsentavit, lentem plane lapideam, foraminosam, & magnum lapidem loco vitrei, in quem lapidem ingrediebatur opticus. A 20 annis cœcus ille noluerat operationem subire. Quid non inveniretur, si semper cadavera secaremus.

In omnibus his casibus producit

1) *Glaucoma.* Disputant Auctores, quid proprie sit *glaucoma*. Glaucon, γλαῦκον, quod colorem viridem marinum habet. Plerique cum GALENO, CELSO, pro glaucomate habent lentem viridescere incipientem: ita & hic loci BOERHAAVE; ita & MORAND in *Act. Paris.* 1722. Verum multi, quos inter HEISTERUS, ULHOORN, aliique, ita vocant vitreum inspissatum. Nulla hic medela; nisi forte in initio fusio humorum per mercurium.

2) *Cataractam* proprie dictam, degeneratione lentis crystallinæ factam; qua fit, ut radii omnes ita intercipiantur, ut homo nil amplius videat, nisi unicam differentiam inter diem noctemque.

Causa

Caufa proxima eft humoris hujus infpiffatio, vel membranarum, cellularumve incraffatio. Caufa proëgumena hujus caufæ eft obftructio, vel inflammatio ab humoribus phlogifticis, aut lente infpiffatis. Caufæ procatarcticæ: cafus, (lapfus), percuffio, inpulfio, inpactio, conbuftio.

Varia admodum eft cataracta: 1) enim eft vel libere hærens, vel pupillæ concreta; id quod patet, fi pupilla a majori minorive luce non mutatur; etiamfi digitis oculum parumper conmoverimus.

2) Aliquando poft pupillam tantum varias maculas cernimus; (*) quæ vel *cataracta maculata* funt, vel excrefcentiæ ex uvea, quæ fæpe una membranula (in unam membranulam) concrefcunt.

3) Nonnunquam cataracta in ambitu lentis eft infpiffata, in medio pellucida: vident hi homines aliquantum, fed non clare diftincteque, ob radiorum paucitatem. Plurimi Veftrum viderunt in nofocomio hominem, qui perfectum albiffimum circulum exhibebat, quartam fere partem lentis circa angulum oculi externum occupantem.

4) Vel, in ambitu pellucida, in folo centro opaca eft lens: vident hi, fed omnia foraminibus pertufa.

(*) Semper hoc firmum animo habetote, per pupillam nihil oportere videri, fed tantum unum nigrum nigerrimum adparere debere: mox ubi in toto, vel in parte, aliquid videtur, eft ibi alienum: inquirendum tunc ex fignis mox dandis, an fit cataracta. *de* H.

5) Vel polygona fit; & tunc vident pro uno objecto plura; prout in varias facies radii inlapsi fuerint. Vidit BOERHAAVE hominem, qui quintuplex semper videbat objectum.

6) Vel lineam divisionis, perscissa quasi, habet: hi vident omnia objecta in duas fissa partes.

7) Aliquando inter solem tenebrasque interstinguere norunt, aliquando non norunt. Ultimi adtingendi operatione non sunt: metus enim est, ne etiam *amaurosis* adsit præter cataractam. Notabile exemplum habetur in *Act. Acad. chirurg. Paris.*, ubi *D.* MORAND 11. Jun 1753 cataractam bene depresserat, quæ cadebat tamen continuo ante pupillam. Methodo *Davieliana D.* POYET extraxit lentem. Oculus externe omnino bonus videtur, tamen homo nil videt. Unde bene conclusit Cl. Vir, simul adesse retinæ vitium, quod *amaurosin* vocat. Unde, ut id antea sciatur, jubet PORTERFIELD in *Act. Edimb. Part.* 3., in eorum, quibus cataracta deprimenda videtur, examine inquirere, an homo talis in tenebris fricans oculi partem inferiorem, vel lateralem, tunc oculum a fricante digito in angulum obpositum vertens, in parte oculi obposita cernat vividos igneosve colores. Si id non percipiat, signat indolentiam retinæ, quæ alioqui in omni homine hoc modo adficitur: futuram itaque inutilem monet cataractæ depressionem, insensili prorsum retina.

8) Bonæ cataractæ uniformiter perlæ colorem æmulantur, vel saltem utcunque gryseum: hæ sunt operationi aptiores. Multæ flavent, fuscescunt, ferri nancifcuntur colorem: hæ omnes operationi minus favent. Perfecte lactei coloris, i. e. penitus albæ, etiam minus bonæ; quia molliores, acui minus resistentes & diffluentes. (Observatum fuit, lentis cry-

stal-

ſtallinæ cellulas, quin ulla adfuiſſet ſubpuratio in oculo, repleviſſe humorem lentum, cremore lactis nonnihil ſpiſſiorem; membranulis coërcentibus tenerrimis, &, quin fere adhuc tangeretur lens ab acu, dehiſcentibus; effuſo tum liquore; incaſſum inſtituta operatione.)

9) Bonæ ſunt, quæ non niſi 2. 3. 4. 5 annos habent, cæteris paribus; licet etiam annoſiores feliciter curatæ fuerint. Annoſiores tamen ſolent in pulverem album fatiſcere ad conpreſſionem acus: unde juvat, ſenes, in quibus etiam cito in pulverem fatiſcit lens, operationi admovere ante plenam maturationem.

Adparent igitur bonæ omnes conditiones, quæ felici operationi faveant; licet vel optimæ quandoque fallant. Id tamen non eo dictum velim, ac ſi non niſi bonis eſſet operatio facienda. Minime. Ubi homo utroque oculo cataractam habet, oportet minus malem ſeligere pro operatione; modo vel aliqua ſigna bona cum pravis habeat: dubiam ſibi factam operationem cœcus facile ſubit; quum, ſi quid lucretur, multum lucretur; ſi non lucretur, nil perdat: niſi forte, quid infortunati accideret infelici operatione, ut quandoque viſum.

Si corpus ergo ſanum ſit, facta paullo ante v. ſ. & dato purgante, ponatur æger in ſedili non alto, oculis verſus lucem directis, ſed non nimis vividam, ne retina mox poſt depreſſam cataractam nimis vivide adficiatur & homo ſe moveat, acu adhuc in oculo degente: unde HEISTERUS aliique ægrum a latere lucis ponunt. Operator e regione ſedeat, in ſedili paullo altiori; genibus cœci inter ſua genua ſuſceptis, & ægro ſuas manus operantis femoribus inponente. Adſit unus aptus Adſiſtens, qui caput hominis, in quo operatio inſtituitur, binis manibus polite, ſed firmiter,

ſuo pectori adpreſſum teneat. Oculus bonus ægri apte ligetur; ne oculus ille, a luce adfectus, cogat & alterum moveri, neve viſo inſtrumento terreatur. Sit præterea alius Adſiſtens, qui inſtrumenta porrigat. Operator moneat ægrum, ut, ſi dolorem ſentiat, non retrotrahat caput, aut clamet, aut brachio repellat Operantem; quum forte ſic oculum disſcinderet; ſed petat ab illo, ut, dolore percepto, premat manu ſua, femori Operantis inpoſita, ejus femur: ex quo ſigno ipſe intellecturus ſit, adeſſe dolorem. Moneatur inſuper æger, ne, videns aliquid adfecto oculo poſt depreſſam cataractam, præ gaudio exſultet, aut exclamet, ne disſcindatur oculus. Moneatur, oculum verſus naſum ducere. Tunc Operator digitis liberæ manus diducat palpebras & prehendat acum ſuam inter pollicem indicemque, acſi calamum ſcriptorium haberet; genæ ægri digitum auricularem & annularem inponat, ut manus fulciatur & duabus lineis, vel duabus cum dimidia, a limbo corneæ, paullo tantum infra centrum bulbi, acum infigat; ſi inmanis dolor tunc oriatur, nervus inter ſcleroticam & choroëidem currens pungitur; unde poſthac inflammatio, vomitus, convulſio. Hinc retrotrahat Operator acum & parum inde remotius infigat, ubi tunc nervus non eſt, & blande conetur bulbum penetrare. (*) Tunc ubi

(*) Petit tamen animadvertit in *Mem. de l'Acad. des Sc. &c.* 1725, plerumque unum horum nervulorum decurrere præciſe in altitudine centri bulbi; adeoque Chirurgum, qui paullo infra altitudinem centri infigit acum, raro habere periculum, pungendi nervum. *de* H.

ubi mollitiem percipit, inclinet acum leviter, ut per pupillam acum videat. Si eam viderit, tentet, an vera cataracta sit, an pellicula: nam etsi planior facies pelliculæ plerumque ante operationem adpareat, fallit quandoque hoc signum. Si pellicula ergo plana, acus suæ superficie ducat teneatque deorsum: si adhærescat pupillæ, summa cum prudentia conetur separare; sed hoc opus plenum aleæ. Nam facile læditur pupilla, sive uvea; unde pessima mala supra descripta possunt oriri; ut dixi TAYLORO contigisse.

Si jam cataracta sit, operatores nonnulli dicunt, se deprimere tantum a parte superiori illam; facile eam solvi conpressione, & locari inter superficiem anteriorem vitrei processuumque ciliarium & inter uveam. Ita *Cl.* ALBINUS, qui operationem ipse sæpe fecit.

Tamen ex famosioribus Gallis non desunt, qui inpossibilitatem hujus ita peragendæ operationis demonstrare conantur.

1) Enim, ajunt, processus ciliares læderent: quum namque per vitreum acum ducant, non posse cataractam deprimere in fundo cameræ secundæ oculi, quin necessario lædant, dilacerent, processus ciliares.

2) Cameram secundam angustiorem esse, quam ut capere posset totam lentem duram, non cedentem.

3) Motu oculi, iridis, plerumque ante pupillam sese posituram.

Responderi potest 1) processus ciliares ab omnibus videri perprimi; quum, qui in humorem vitreum acu pervenerit, non potest acum ante cataractam post pupillam cernere, quin processus ciliares, anteriorem vitrei faciem tegentes, penetraverit: non enim datur alia via ex vitreo in cameram secundam. Quomodo etiam illi sine læsione processuum ciliarium ponent lentam depressam in destructo vitreo? Non datur ex camera se-

cunda via in vitrei fundum, nisi per ligamenta ciliaris. Licet enim parum contracta hærent fibris & vasculis cum vitreo; & saltem integra sunt in fundo, ubi lens cecidit & in vitreum intrudi debet.

2) Camera anterior quidem angusta est, sed lens depressa premitur ad fundum oculi; ibi habetur vitreus. Fundus oculi ibi multum descendit, nam globus ibi fit major. Est uvea tantum parvus circuli arcus, sed lens deprimitur, & pressa vergit ad ipsum circuli diametron; cedunt facile processus ciliares, quia ab interiori ad lentem insertione jam liberi hærent; & vitreus humor, qui hic loco depellitur, aptiorem locum, quo id depulsum locet, non invenit, nisi cavum, in quo lens hæserat; unde mox ibi protuberat. Hinc factum, ut plures dicant, se invenisse post hominum, quibus depressa olim cataracta fuerat, mortem, locatam lentem in ipso vitreo, quem acu se perscidisse & solvisse putabant. Facile sic credere potuerunt, quum vitreus lentem tangat. Deinde, quum acu depressere lentem in cameram secundam, si tunc intra ipsum vitreum locarent, deberent membranam anteriorem vitrei destruere & processus ciliares: unde certe videtur ingens inflammatio, vitrei destructio, oriri posse.

3) Etiam illis contingit sæpe, immo sæpissime, ut lens redeat, vel adsurgat, quibus ea sententia est, quod in diffracto vitreo lentem collocaverint.

Operatores sunt, qui scribant, se capsulam aperire inferius; qua aperta vel sponte lens decidat, oculi pressione, vel acu pressa. Quibus contraria demum adfirmant alii; adferentes, raro hoc modo lentem decidere.

Lens talis, interea dum solvitur ex capsula sua, quandoque vel frangitur, vel præ nimia mollitie plicatur, diffluit. Tunc prudenter partes omnes solvere conan-

conantur, & feparatim ad fundum deprimunt ac retinent: fed fæpe flocculi redeunt.

Nonnunquam lens concrevit cum pupilla; qui eam inde prudenter ita folvat, ut non lædatur pupilla, erit magnus Apollo; plerumque enim pupilla, aut uvea, inde læditur, quod malorum multorum deinceps origo.

Egregius Morand, & difcipuli ejus, ajunt, fe lentem folvere ex capfula fua & eam capfulæ partem, quæ ante lentem eft, religiofe fervare, quia illa ut plurimum pellucet: fed fi lenti adcrevit, non poteft fervari. Interim Morand fatetur, aliquando contigiffe, ut illa membrana capfularis anterior fervata, poft depreffam cataractam utcunque opacata vifa fuerit, & indies magis opaca reddita.

St. Yves animadvertit, opacam quandoque fieri illam vitrei membranam, in qua lens poftica parte hæferat.

Depreffa quacunque ratione cataracta Operator eam quandoque depreffam retinet; inftrumentum utcunque elevat; vifurus, num maneat depreffa: fi maneat, prudenter inftrumentum educit: fi redeat; femel, bis, ter, repetit lenem conpreffionem.

Contingit nonnunquam, ut inftrumentum adtollens Operator ducat fecum lentem, eidem adfixam. Suadebat *Cl.* Albinus, ut hoc præcaveatur, primo leviffime acum retrotrahendam, dein adtollendam.

Sed aliquando contingit, ut lens, utut depreffa, nequeat depreffa manere: folent tunc rem dimittere, ea fpe, ut lens foluta fenfim extenuetur, & ad fundum præcipitetur; ut fieri poffe, exempla docent.

Si vero lens non fatis firma frangatur, aliqui motu acus dividunt folutas partes, quantum poffunt: alii rem fic relinquunt; quia exempla funt, quod adtenuata fuerit illa fubftantia lentis, & vifus redierit.

Facta

Facta operatione duo præcavenda sunt:

1) Ne oriatur inflammatio; 2) ne lens resurgat: utrumque præcavetur collyriis contra inflammationem inpositis & lenissima oculi conpressione, privatione omnis lucis primis diebus, decubitu in dorsum capite non nimis declivi; abstinentia a loquela, a manducatione, aut masticatione, narium emunctione, sternutatione: ne etiam vi aliqua utatur æger in excrementis deponendis, diæta sit ex mero carnium jure cum pane biscocto, & subinde detur enema: aucto dolore, aut febri, illico v. s. semel, aut sæpius, repetatur, ex pede, vena jugulari, temporali arteria; opiata exhibeantur vespertina.

Post octiduum per gradus levissimos lucis usura conceditur, & sic adhuc per octo dies alios pergitur; ita, ut lux concessa debilissima sit. Dein paullatim lux augetur, prout oculi tolerant.

Infortunium accidit aliquando, ut sanguis intra oculum effundatur sub operatione, quo turbatur aqueus humor, turbaturque & operator. Si non multum sit effusum, dissipatur extrinsecus adpositis herbis vino albo dulci incoctis, salvia, fœniculo, euphragia, hyssopo, aniso. Si vero multum adfluat sanguinis, nec resorbeatur, fit *hypopyon*, de quo agetur postea.

Visus est quandoque effluere aqueus humor inter operationem & collabascere cornea. Nil hinc mali: bidui spatio recrescit ille & cornea æque inpleta adparet. Docuit hoc *Josephus* BURRHUS, (*) circumforaneus,

(*) Est famosus ille BURRHI, sive BORRI, Mediolanus, Chemicus, dein Medicus, Hæresiarcha. Quum dogmata ejus Romæ & Mediolani plures

foraneus, qui arcano se gaudere jactitabat, aqueum humorem regenerandi. Experimentum in brutis fecit & in homine. Verum fraus detecta est arcana venditantis. Effuso aqueo posthac viderunt Medici, sola quiete claudi vulnus & aqueum humorem recrescere.

Post sanatam cataractam plerumque homines opus habent perspicillo; sive, quia minus inplet vitreum cavum illud, unde lens evulsa est; unde planiorem superficiem hic habent radii, minus ideo refringendi; vel, quia

---

plures sectatores haberent, & inquisitio illum prehensura esset, aufugit clam & mansit Argentorati; [dum interea imagines ejus inquisitio Romae carnificis manu uri jussit,] ubi epistolam edidit de humorum oculi restituendorum arcano; qua omnes Medicos, hujus rei passim ignaros, in sui admirationem rapuit: sed, ut dixi, fraus brevi detecta est. Deinde in Hollandia, Germania septemtrionali, Dania, quaerendi lapidis philosophici dulcedine, Regum divitumque crumenas emunxit; aufugit, apud Turcas asylum quaesiturus. Verum, quum tunc temporis conspiratio Magnatum in Hungaria detegeretur, BURRHI, ignotus ibi transiens, ut conspirationis consors capitur. Quum epistolam adprehensionis ejus Inperator aperiret, aderat forte Nuntius Papae, qui audito nomine BURRHI illico eum reclamavit. Concessit Inperator; vitam BURRHI spondens suo intercessu, a Pontifice se obtenturum. Romam ductus in arce Sti Angeli animam efflavit, annos natus septuaginta novem. *de* H.

quia humor vitreus ipse minus refringit radios, quam cryſtallinus; vel, quia non vitreus, ſed aliquando aqueus, humor, adhuc minus refringens, hoc cavum explet. Vidua *Caroli* DRELINCURTII, Profeſſoris Leydenſis famoſi, a *Cl.* RAU bene curata erat a cataracta, & tamen vix videbat. Longis annis poſtea BOERHAAVE, videns oculum bonum, ipſi ſuaſit, per variæ convexitatis perſpicilla periculum videndi faceret. Fecit; bene poſthac vidit.

3) *Viſum hebetem*, a lentis incipiente, necdum penitus formata, ſpiſſitudine: ſunt cataractæ initia.

4) *Cæcitatem opacam*, ex ſpiſſitudine promota eo usque, ut inter diem noctemque vix differentiam ægri videant.

5) Ἀμβλυωπίαν; ἀμβλὺς, ἀμβλέος, *obtuſus, hebes;* ita ἀμβλυώπτω, *cæcutio, halucinor, hebetem habeo aciem oculorum.* Eſt fere idem, quod viſus hebes, ſed gradu auctius, magis ad veram cataractam accedens.

Si vero eadem læditur in ſua figura, mole, ſpiſſitudine, tenuitate, creabit multa, varia, & ſæpe mirabilia, mala, viſui accedentia: quæ omnia expoſui initio hujus paragraphi, de lente agens.

Sed 6) hic adjungendus eſt ille caſus, ubi lens ſponte ſoluta in camera ſecunda, vel prima, fuit inventa mobilis, viſum inpediens, nunc adſcendens, nunc relabens. Hic methodus *Davieliana* juvat. Celeberrimus ille Chirurgus in Germania famam magnam ſibi conciliavit, cataractam curando, non depreſſione, ſed eductione extra oculum; corneam lunari ſectione inferius perſcindendo, verſus ſuperiora reclinando, & cataractam ope inſtrumenti ſolvendo, prehendendo, edu-

cendo,

cendo; tum corneam reponendo in ſitu, collyrium ex albumine ovi inponendo ac deligando: bidui ſpatio ſic apertura coaleſcit & humor aqueus, qui effluxerat, renatus eſt. (*) Hæc ergo methodus convenit, ſi lens ſua

---

(*) Hanc methodum DAVIELI emendare & perficere conatus eſt *Celeberr. Chirurgus la* FAYE. Quum enim DAVIEL quatuor inſtrumentis in una operatione uteretur, *la* FAYE omnem operationem perficit unico. Ut exemplum videamus diverſarum methodorum, legi poterunt *Acta Chirurgica Pariſina.* Erant ſimul novemdecim homines cataracta laborantes, undecima Junii 1753; MORAND methodo ordinaria in ſex hominibus operationem fecit; e quibus tres viderunt. *La* FAYE etiam in ſex; quorum duo viderunt, duo minus, duo nil viderunt. In ſeptem aliis fecit *D.* POYET, qui alio modo emendaſſe ſe putat methodum *Davielianam*: ex his ſeptem viderunt duo, alii duo minus, unus diſtinxit tantum diem a nocte, duo fuerunt omnino cœci. Verum, videntur teſtimonia hæc operationem preſſe ſequuta; unde neſcimus, quid poſt hæc contigerit. Ratio, cur dubitem, eſt, quod omnia teſtimonia non conveniant. Teſtimonia enim hic adlata ſunt ſignata a *DD.* MORAND & VERDIER, ut Academiæ Commiſſariis; porro in iisdem Actis *la* FAYE deſcribit ipſiſſimam hanc operationem, unde viderentur quatuor curati eſſe. Videtur ergo tempus adtuliſſe mutationem pejorem in duobus. An non ita de cæteris dubitandi locus; præſertim, quum omnia teſtimonia tam cito ab operatione ſumta ſint? *de* H.

ſua ſponte ex cavo vitrei excidens viſum in cameris anterioribus inpediret. Convenit etiam, ubi in depreſſione lentis Operatori accidit, ut lens reſurgat, & poſt, vel ante, pupillam percipiatur: quamquam, ſi poſt pupillam ſit, multi ament potius, communi via repreſſionem tentare.

Inventi tamen caſus ſunt, & notantur apud Auctores, quibus patet, lentem ſponte ſolutam, vel etiam arte depreſſam & continuo viſum inpedientem, ſpatio temporis emarcuiſſe, & ita inminutam mole fuiſſe, ut viſum vel nihil, vel parum, inpediret.

§. 843. *Immo & figura minus ſphærica prominentis bulbi, quin etiam parvitas pupillæ, & multæ conditiones, minus clare hactenus perſpectæ, in longitudine oculi, in ipſa lente, ejusque ſitu, poterunt μυωπίαν variam efficere &c.* Eſt μύωψ homo, qui oculis conniventibus videat: qualis eſt omnis, qui oculos rotundiores, ſive corneam globoſiorem, habet, & lentem globoſiorem ſimulque parvam pupillam. Si tales objecta velint diſtincte videre, ſolent connivere palpebris, ut per rimam anguſtiorem radii minus confuſi intrent: cornea tum ſua rotundiore plures radios accipiunt; per pupillam minorem plures transmittunt ad lentem: radii plus refracti in transitu per corneam & aqueum humorem, quam in iis, qui corneam planiorem habent: plures illi radii, jam refracti, ad lentem etiam rotundiorem adpellentes, magis denuo refringuntur; unde tunc vivida imago pingitur in ipſorum retina: quando vero objectum remotius eſt, radii copia minores in oculum intrant; hinc viſus debilior: ſed iidem radii ab objecto remotiori minus refringuntur; ergo cadet imago poſt retinam; ergo viſus nullus, vel confuſus.

Caufa myopiæ fæpe ab infantia. Myopes funt omnes infantes : norunt id omnes pictores. Hinc, ubi videtis beatam Virginem cum Servatore noftro infantis forma in brachio, in bonis picturis & ftatuis videbitis oculos Servatoris longe, quam beatæ Matris, rotundiores. Si pueri omnia propinqua oculis ponentes, ut videant, in hac confuetudine pergant, vix poffunt poftea aliter videre, quia oculum lentisque cryftallinæ directionem tali radiorum perceptioni adfuefecerunt. Unde, etfi pofthac per ætatem quidem planefcat cornea, ipfa lens propterea non fit planior, & confueverunt certa quadam diftantia lentis objecta cernere.

Idem fit, notante RAMAZZINI *lib. de morb. artific.*, in iis, qui objectis minimis, politis, parandis operam navant. Horologiarii, pictores *in miniatura*, ut vocant &c. habitum oculorum contrahunt, ut nonnifi ad talem diftantiam, quæ ob parvitatem objectorum minima femper fuerat, cernere aliquid diftincte queant.

In iis, qui corneam planiorem habent, planiorem lentem, majorem pupillam, prorfum contrarium fit. Collectio radiorum ab objecto propinquo ipfis fit longe poft retinam ; ergo vifio debilis eft & confufa. Priores juvat vitrum concavum, difpergens radios ; pofteriores convexum, eosdem colligens.

Myopia mutatur per ætatem aliquantum : unde ? quia minuuntur per ætatem humores, folida augentur : hinc partes folidæ oculi magis robuftæ contractæque fiunt. Unde homo juventute plane myops, jam quadragenarius incipit diftinctius cernere in remota diftantia objectum, quod olim vix, aut parum, diftingueret. Quum etiam myopes hominem, fe adloquentem, & per aliquot pedes remotum, minus diftincte vident; quum præterea tales in conventu aliquo decem homines v. g. ad longam menfam adfidentes diftincte non

vident; hinc animæ illorum non inprimuntur notæ tales, ut posthac eosdem homines videntes rite cognoscant. Unde sæpe citra suam culpam pro inurbanis habentur, quod non salutent in loco publico &c. illos, quibuscum paullo ante familiariter epulati erant.

Eamdem ob causam habentur myopes pro stupidis hominibus; eo, quod non conspiciant adloquentem se: non enim præ verecundia, ut quidam solent, sed quia non bene notas characteristicas hominum distinguunt, minus adtenti sunt ad contuendum & audiunt oculis in terram versis, loquentem. Hinc creduntur non adtenti esse præ stupiditate ad ea, quæ dicuntur; quum ex obposito sæpius melius intelligant, quia non distrahuntur.

Ut myopia per ætatem emendari solet, ita præsbyopia deterior fit: quo enim fibræ magis contrahuntur, cornea plus adplanatur, majorique indies luce indigebunt, ut legant, vel aliquid subtile videant, & magis magisque convexis perspicillis.

Casus tamen obpositi visi sunt, quos ex datis regulis explicare difficile: explicabimus tamen, considerando, quod tales præsbyopes, dum ad 40. 50. annum valde pinguescunt, id utilitatis inde habeant, ut crescente ea, quæ orbitam obpleat, pinguedine, oculi figura mutari possit in oblongiorem, adeoque anteriore parte globosiorem: dum hoc fit, præsbyopia emendatur: *vid.* PORTERFIELD, *Part.* 4. *act. Edimb.*

Sed ab eadem causa myops, in media ætate valde pinguescens, potest non modo non emendari, sed depravari in sua myopia.

§. 844. *Sed* VITREUS HUMOR *iisdem vitiis jam enarratis* (840. 842.) *obnoxius, mala satis similia pati & producere poterit.* Dixi jam antea, *glaucoma*

poni

poni ab Auctoribus pluribus in vitreo, qui coloris viridis marini fieret. *Egregius* LANCISIUS ſcripſit ad HEISTERUM exemplum vitrei humoris, plane cartilaginei facti: antea vidimus etiam inſtantiam ex MORAND, vitrei facti lapidei. Talia maxime a morte cognoſcuntur, raro in vita; niſi mutatus ejus color per cryſtallinam conſpiciatur. Sed tunc lens quoque brevi adficitur. Nec curam malum admittit. MAITRE-JEAN putat, aliquando, ſed difficulter, tamen poſſe vitrei humoris abundantiæ tribui oculorum majorem protuberantiam; verum idem accidere æque a pinguedinis orbitæ inflammatione, aut induratione; unde non poteſt cognoſci. Sed nimia ejus copia poteſt in cauſa eſſe, ut oculus fiat *elephantinus*. Ejus imminutio, marcor, extenuatio, facit viſus imminutionem, depravationem, perditionem, & *cataractam*, ut vocant, *motitantem*, vel *errantem*; quia non habet amplius firmum in vitreo fundamentum lens cryſtallina.

§ 845. *Membranæ* RETINÆ *varia vaſa multa pati, diverſa efficere queunt; etenim*

1) *eorum hydrops:* omnia, quæ nunc narrantur, efficiunt, ut membrana retinæ vel non accipiat, vel non ſufficienter, vel depravate, accipiat radios lucis pingentes imaginem. Vaſa lymphatica multa habet retina. Si obſtructio in uno fiat & inde hydatis, radii per aquam illam in retinam cadentes, novam refractionem ſuſtinent, adeoque minus vivide pinguntur & focum faciunt ante retinam. Si radii partim cadant in hydatidem, partim in nudam retinam, idem objectum parte ſui elata clare videbitur, parte alia confuſe. Poſt felicem vaſorum inpletionem apud *Cel.* ALBINUM vidi retinam quaſi duplici parte conſtare: altera tota fere pulpoſa, adhærens laxe Ruyſchianæ tunicæ, altera

versus vitreum vasculosa. Vasa illa quadam adunantur cellulositate, quæ oedematosa fieri hic, ut ubique, potest. Hinc conprimuntur omnia adjacentia, etiam pulpa medullosa: unde iterum visus turbatus. Hinc dicitur

2) *Oedema*, ut nunc exposui.

3) *Phlyctæna*, *φλυκταίνα*, *tumor*, seu *tuberculum*, *natum ex adustione*, a verbo *φλύω*, quod uno sensu significat *nugare*, *jocari*, alio sensu *fervere*, *ebullire*, *amburere*. Videtur *phlyctæna* designare bullulas illas aquosas, quæ post ustionem in cute adparent. Auctores, qui de oculis (eorum morbis) scripsere, phlyctænas duplici sensu sumunt. Vocaverunt sic bullulas aquosas cum circulo rubro in cornea & adnata observatas, quæ similitudinem habent bullularum ab ambustione natarum; quasque antea explicui. Verum alii, ut & hic BOERHAAVE, etiam vocavere phlyctænam, quando ipsa retina in suis vasis lymphaticis tales bullulas exhiberet & visum inde turbaret.

4) *Inflammatio*; vasa enim habet rubra & lymphatica, arteriosa, venosa.

5) *Conpressio*: dum humor vitreus nimia augetur copia, dum choroëides inflammatione tumet, dum ipsa vasa retinæ obstructa, inflammata turgent, medulla conprimitur, ad suscipiendas imagines ineptior redditur.

6) Addi potest *retinæ occallescentia nimia*; ita, ut præ continua adplicatione radiorum plurimorum, vix ultra, nisi a maxima luce, adficiatur: ut contingit opificibus, qui vitam triverunt objectis parvis ad magnam lucem semper intuendis & perficiundis: sunt *ἡμεράλωποι*.

7) *Retinæ teneritudo maxima*; ut doleat a luce vividiori: hi homines parciores modo radios admittere possunt, ut bene videant: unde in plena die non

possunt

poſſunt videre, quin doleant; ſed in obſcuriori luce & in incipientibus tenebris: ſunt νυκτάλωποι. *Nyctalopiam* & *hemeralopiam* antea vidimus ortam a pupilla vel dilatatiori, vel anguſtiori; hic a retinæ majori aut minori ſenſibilitate.

8) *Ut & nervi optici ipſius atque membranarum eum involventium, ſimiles morbi.* Nervi optici, bulbum ingredientis, tota moles fere media parte vaſis conſtat: ergo *inflammatio*, *obſtructio*, *ſubpuratio*, *gangræna*, *ſcirrhus*, ibidem locum poſſunt habere. In tali obſtructione, aut inflammatione, homines quaſi trabem vident in mediis objectis, quia imago cadit tunc trans, vel cis, obſtructum vas in retina. Si ſimul magnus dolor capitis & oculi profundioris, intelligitis, opus eſſe cura vere antipleuritica. Si vero inflammatio occupet *arterias*, quæ in ingreſſu nervi illum circumdant & penetrant, oritur *amauroſis*, de qua mox.

9) *Tum tumor*, *ſteatoma*, *abſceſſus*, *hydatis*, *lapis*, *inflammatio*, *extenuatio*, *exeſio*, *corruptio*, *obſtructio*, *cerebro accidens ita*, *ut libera communicatio inter nervum opticum*, *ejusque originem*, *in parte medulloſa cerebri inpediatur*, *vel omnino aboleatur.* Si v. g. in ſpina bifida obſtructio eſt in theca vertebrarum, inpediens omnem transfluxum nervei ſpiritus, partes corporis intra locum obſtructum paralyticæ fiunt, marceſcunt & plerumque gangræna a defectu pereunt. Idem adplicate opticis nervis: ab origine ſua ex illis eminentiis, quæ *thalami opticorum nervorum* vocantur, extrorſum tunc vertuntur, reclinantur ad ſe invicem & adſcendentes ſupra ſellam ſphœnoidalem, turcicam, baſeos cranii, ſupra partem anteriorem glandulæ pituitariæ, uniuntur, mox iterum disperguntur & ingrediuntur orbitas. Ab origine illa usque in ingreſſum in oculum poſſunt nervi hi pati dictos morbos. Nolo

longus esse in referendis cujusque plagæ in hoc itinere nervi optici adfectionibus, exemplo inlustratis. Videte BONETUM, MANGETUM, BORELLUM, TIMÆUM, TULPIUM, *Acta Eruditorum* varia; videbitis *Anatomicos* etiam plurima habere; & quod per transennam monebo, ex iisdem exemplis constitit, amaurosin natam dextro oculo ex marcore optici dextri jam ante coalitum supra sellam turcicam observando. Unde simul cadit opinio eorum, qui opticos sese in coalitu decussare arbitrabantur. Videri poterunt plura exempla apud SANTORINI, & maxime apud laudatum jam sæpius PORTERFIELD.

Omnia igitur *hæc vario modo efficiunt*

1) *imagines*, non emanantes ab objectis, sed a perversa nervi dispositione ortas. Si v. g. vas arteriosum cum laterali ramo turgeat, emineat, medullam optici premet: poterit adfectio forte in anima nasci, ac si radii lucis objectum tale ibi pingerent: vel saltem si radii lucis objectum aliquod in retina ibi loci pingant, judicabit homo, in illo objecto revera adesse truncum cum ramis.

2) *Floccos*: si vasa lymphatica turgeant nimis, & tamen adhuc transmittant contentum fluidum, tunc ab illo motu systolico & diastolico in aucta diametro vasis, undæ, flocci & similia adparent, dum quis in lucem adspicit. Etiam in tenebris, & clausis oculis, potest ab illo motu pulpa medullosa sic adfici, ac si ab objecto externo id fieret.

Excipio hic illos homines, qui videntur a natura hoc habere, ut semper videant quosdam flocculos, vel globulos, sive albos, sive nigros, cadere, dum in plena luce quid intueantur. Plerique (multi) hoc habent, nec conqueruntur, quia adsueti sunt. Videntur in his vasa plura retinæ majora esse, diastole & systole movere pulpam optici & quasi motum eidem inprimere: si

tale

tale vas ſub ſe medullam habeat, tunc globuli rubri, ſero innatantes, globuli ſeroſi, innatantes lymphæ, globuli lymphatici, tenuiori humore vecti, quaſi nigros, rubros, flavos, albos, globulos referre poſſunt: ſi globuli brevi ſe mutuo ſequantur, flocculos volitantes repræſentare poſſunt. Sed homines huic rei adſueti non advertunt, niſi moniti, nec incommodi quidquam inde habent, & pulcro pro ætate viſu gaudent, ad mortem usque. Erant ex Vobis forte, qui nunquam id adverterint, nunc moniti id advertant: erunt, qui olim id advertentes anxii redditi fuerint metu malorum; diſcant hi, anxietatem deponere & tranquilli eſſe.

3) *Scintillas*: ſcitis, dum Vobis pruriginoſæ ſunt palpebræ, & premitis fricatisque in tenebris oculum, quod videamini mox ignem & ſcintillas videre. Optimus MUSSCHENBROECK problematice reſpondet ad hoc problema: „ an non, inquit, quia fluidum electricum, quod deliteſcit in oculi humoribus, ſuſcitatur, ſuaque luce prodiens retinam adficit? " Si res ita ſit, pulſationes inflammatoriæ poſſunt vicinum vitreum ita adficere & agitare, ut in retina quaſi ſcintillarum actio excitetur.

Tamen egregius MORGAGNI, *adverſar. anat. VI. c. 73. p. 92.*, contra MANGETUM ſtatuit, fallax aliquid eſſe, quod animæ ſic repræſentetur. MANGETUS tales ſcintillas fricando productas conparabat cum ſcintillis lucidis, quibus oculos felium de nocte quandoque lucere videmus: ſed reſpondet MORGAGNI, id in oculis felium verum ignem eſſe; namque nobis adſpicientibus lucere: in humano autem oculo frictionem producere aliquid, quod animæ ut ignis repræſentatur, ignis verus tamen non eſt; id noſſe ſe, quia ſumebat ſecum in tenebris hominem, viſu optimo pollentem, jubens, ut bene adverteret, an aliquid luminis

perciperet, dum ita MORGAGNI fricuiſſet oculum, ut igneos circulos cerneret: verum faſſus ille eſt, nil luminis in eo ſe percepiſſe. SCHEINERUS preſſioni cryſtallini, KEPLERUS filamentis iridis coloratis frictis id adſcripſit; verum adfectio retinæ videtur.

4) *Amauroſin, dictam guttam ſerenam.* Ἀμαυρος *obſcurus, qui non bene adparet: interdum etiam evanidus, & ſimilis flammæ, quæ exſtinguitur:* inde ἀμαύρωσις, *exſtinctio lucis.* Dicitur illa perfecta cœcitatis ſpecies, qua homo non videt, cum oculis externo adſpectu bonis. Cur Latinis *gutta ſerena* dicta ſit, non capio; an quia *minime ſerena?*

Cauſa latet in nunc deſcriptis malis, quæ nervo optico a ſua ex medulla origine usque ad ultimam retinæ expanſionem accidere poſſe nunc vidimus. Diſtinguitur cœcitas hæc a cataracta, quia in cataracta coloratum quid cernitur; in gutta ſerena nigrum nigerrimum, ut in bono oculo. Diſtinguitur a glaucomate, ſive viridi humoris vitrei colore, quia in gutta ſerena videtur nihil, niſi nigrum.

Adfectiones igitur nervorum opticorum antea deſcriptæ, tumor, ſteatoma, abſceſſus, hydatis, lapis, inflammatio, extenuatio, exeſio, obſtructio, corruptio, hoc malum producunt.

An incurabile malum? Sæpenumero; aliquando tamen curabile viſum eſt; unde homines non ablegandi ſine ulla ſpe. Ab inflammatione cerebri, ſeu phrenitide, quandoque oritur amauroſis, quæ tamen cum bona phrenitidis criſi quoque ſolvitur; quamvis exempla ſint amauroſeos poſt phrenitidem curatam non ſolutæ: immo St. YVES advertit, poſt acutas inflammatorias febres amauroſin natam uno in oculo, & poſt ſimilem acutam febrim, intra annum recurrentem, etiam in altero oculo amauroſin natam. Hinc prognoſis, in tali febri contingente amauroſi, dubia fiat.

Si

Si tumores, abfceffus, hydatides, obftructiones in caufa fint, mala hæc ignoramus; tamen cafu quandoque curaverunt Medici homines, dum v. f. purgantia, deobftruentia, & maxime mercurium, diu multumque, fed prudenter, dederunt; unde falivatio mercurialis aliquando profuit.

Prodeffe poteft etiam (in margine codicis ait H.) prudens fublimati ufus ex præparatione, qua uti folemus ex præfcripto *Inl.* PRÆSIDIS; dum ℥j. fpiritus frumenti additur femigranum merc. fublim. corrofivi, & primo cochlear. j. datur jejuno, poft aliquot dies, fi bene ferat, etiam bihorio ante cœnam aliud cochleare.

Quid de mirabili cura amaurofeos dicendum, quam refert *Job* VAN MEEKEREN, *obferv. N.* 27.? „ *Andreas* BANG *von* MECKLENBURG, MEEKEREN ait, a longis retro annis amaurofi perfecta ambobus oculis laboraverat multumque pecuniæ, ut videret, fruftra expenderat. Baculo, ut folent cœci, ambulare didicerat: eunti autem illi per platæam, iter palpitante baculo moderanti, accidit, ut cerevifiæ portator, quam maxime ebrius, humero ferens oblongum, grave & ferro munitum lignum, quo duo portatores pendulos cerevifiæ cados inter fefe gerunt; ut, inquam, ebrius ille homo præ ebrietate illa vecte graviter feriret caput hujus cœci hominis; qui fic caput percuffus humi concidit. Vidit tota urbs Amftelædamenfis illum hominem, poftquam ad fe rediiffet, amaurofi omnino liberatum.

Quid hoc fuit, A. A.? Certe folutum fubito aliquid obftruens fuit, valida hac cerebri, nervorum, oculorum, concuffione; quo foluto via iterum patula fpiritibus fuit a retina in fenforium commune. Docent talia, poffe aliquando deobftruentibus validis & folida

concutientibus (fulmine electrico) folvi obftacula, quæ amaurofin faciant. Novi virum, qui & vino deditus & fecretioribus reipublicæ transfcribendis diu noctuque occupatus, in amaurofin incipientem inciderat; quem *B. S.* ALBINUS, folo millepedum ufu, per plures menfes continuato, perfecte reftituit. Habent millepedes aliquid mire ftimulans & agitans folidas noftri corporis partes.

Sed omnia hæc fucceffus incerti funt. Vidi adplicata talia fine fucceffu; vidi corpora agitata per violenta remedia, per falivationes horrendas, fed incaffum; vidi incipientem amaurofin in perfectam mutatam. Sunt igitur ambigua remedia; quorum ambiguitatis monendi funt ægri, antequam adplicentur, Quis enim novit, an revera talis obftruens caufa adfit, quæ actione remediorum discuti folvique poffit? Quid, fi mera inertia nervi optici, five retinæ, fit? An non illa remedia concutientia & fundentia, v. g. mercurius, fæpe relinquent poft fe debilitatem, qua inertes partes inreparabiliter debilitantur? Tunc funt remedia certe, quæ fi non juvent, toti corpori nocent, vifui non profunt.

De fternutamentis validis hoc cafu adplicatis idem, vel deterius, judicium efto.

Egregius Fred. DEKKERS in pulcris fuis *Exercitationibus practicis* agitat quæftionem hanc, an in incipiente amaurofi fternutamenta conveniant? „ Aft aliis, inquit, remediis tentanda potius curatio, antequam ad errhina & inprimis fternutatoria deveniatur. Novimus Matronam quamdam jam cœcam, quæ primo non nifi oculorum hebetudine levi adfligebatur; juffu vero & mandato Medici cujusdam ipfi familiaris, fternutatoriis vehementioribus bis, terve, in hebdomade, mane utebatur:

batur: inde malum indies fuit auctum, ut cœca procul dubio fit manfura."

„ Vir 48 circiter annorum, doctus, pius, ftudiis noctu dieque fere incumbens, menfe Augufto fubita quadam capitis gravitate, aft levi, adfectus eft; qua de caufa bis, terve, & quidem intra horam, levi fternutatorio ufus fuit, non tantum absque levamine, verum intra biduum, triduumve, nec legere nec adcurate videre potuit. Domeftici ipfum adfpectum glaucum effe obfervabant, ftatimque monebant. Quare fummo mœrore adfectus, ftudiis jam valedicendum putavit, ac brevi de virium languore, debilitate &c. conqueftus eft." Curabatur vir ille remediis roborantibus, interpolatis aliquando hydragogis, quæ temperamentum ejus mucofum pofcebat. Roborantia maxime fuere meliff., majoran., rofmar., betonic., guayaci lign., farzaparilla, angelic., falvia, lavend., ambra grifea, fal. volat. oleof. Curationem fimul perfecerunt cucuphæ, five facculi, temporibus ac fronti & palpebris admoti, una cum veficantibus.

Ergo in omnibus confiderandum temperamentum ægri; in quod agendo aliquando etiam amaurofi, ex temperamenti vitio oriundæ, medebimur. Si in temperamento nil, quod culpes, invenias, generalia medicamenta moventia, fundentia, folventia, prudenter adplicanda funt. Si quid lucremur, audacius progrediamur. Multa hic adplicari poterunt eorum, quæ in cura paralyfeos folent adhiberi.

Idem DEKKERUS, *p.* 108. narrat, virginem 24 annorum primo pituita, dein diæta prava, tandem menfium fubpreffione laboraffe, & ab omnibus his demum curatam, conqueri cœpiffe oculos dolentes inter nendum & fuendum, mufcasque oculis obvolitantes; denique fequutam perfectam cœcitatem. Hæc vera

erat,

erat, per gradus aucta, gutta serena. Curante *Ant.* NUCKIO, celebri Anatomico Leydensi, ibidemque Professore, curabatur setaceo, purgantibus validioribus, apophlegmatismis: verum post annum cœcitas rediit. Tunc, NUCKIO curante, fonticulus in concursu suturæ sagittalis & coronalis inustus est, ad os usque: quando incepit iterum videre, videreque perrexit, donec ulcus clauderetur: clauso ulcere iterum erat cœca. Secunda vice inustus fonticulus ad diploën fuit, sed cum effectu malo; clauso eo post tertiam inustionem ossis fragmentum separabatur, magnitudine monetæ septem cruciferorum, & exinde cœcitas non rediit; saltem quo tempore DEKKERS hæc scribebat, non redierat: sed fonticulum apertum servaverunt. (*)

An est motus tremulus ab agitatione ignis (**) & posthac globuli, ac medicamentorum acrium, quibus fonticulus apertus tenebatur; qui in languidis nervis mo-

---

(*) *P.* FORESTUS *l.* 10. *p.* 494. multa habet de inustione tum medii cranii, tum occipitis, tum & colli; ut solemni & proficua admodum ante ducentos annos in epilepsia. *Benedictus* FAVENTINUS, FORESTI Præceptor, Bononiæ multum hanc commendavit methodum. *de* H.

(**) Notandum autem, a fonticulis sectione factis nonnunquam non minus oriturum levamen, quam ab aliis, cauterio factis: tum docuerunt etiam observationes extra controversiam positæ, non per omnia requiri, ut his in casibus fonticulus adplicetur ipsi thecæ enkephali; ut adeo motus tremulus ab agitatione ignis minus pro expositione phænomeni adhiberi posse videretur. *de* W.

motum excitavit, lentos humores ex cerebro discussit, & sic effecit, ut objectorum imagines a retina cum sensorio communi potuerint communicari? Etiam NUCKIUS aliquando sic epilepticos desperatos curaverat, ut præsentem vidisse se audivi *Cl. H.* OOSTERDYCK-SCACHT, olim venerandum meum Professorem. (In hoc vero morbo requiri videtur, ut fonticulus & inustione fiat, & hæc non superficialis sit, & supra ipsam galeam cranii instituatur.)

In igne artificiali telum missile non crepans in terram cecidit: adcurrente orphano, capturo illud, crepuit ingenti cum fragore & fulmine telum. Clamat orphanus, se omnino cœcum esse: adspiciunt eum adstantes bene, sed inlæsos plane oculos viderunt. Ducitur in orphanotrophium Haganum adhibetque Medicus & Chirurgus orphanotrophii omnia interna externaque remedia evacuantia, derivantia &c. sine ullo effectu. Leydense orphanotrophium juvenem ad sese curat adferendum. Quarta die perfectæ cœcitatis Leydenses inuunt fonticulum in sutura sagittali, eo cum effectu, ut puer, & aperto fonticulo, & curato eodem, omnia distinctissime videre potuerit. A quatuor annis jam erat perfecte curatus, dum sæpius adductus DEKKERS hoc scribebat.

Quis morbus hic fuit? Quæ ejus diagnosis & prognosis? Fuit amaurosis, nata ex subito vividissimoque jubare lucis ex crepante telo emisso; unde pulpa optici tam vivide adfecta fuit, ut pene mortua, saltem paralytica, jacuerit, nec apta postmodum fuerit imaginum adfectionibus suscipiendis, sensorioque communi transferendis. (*) Crudelis inustio cranii, in diploën

(*) Doctus itinerator NIEUWHOFF, in *relat. itin. in Ind. orient. p.* 100., dum describit regnum Ormi,

ploën usque penetrans, totum cranium & cerebrum succussit, motum humorum acceleravit, spiritus copiosiores secrevit, & sic ad omnes fines nervorum actio humorum ac spirituum vehementer accelerata est. Hinc pulpæ retinæ prostratæ ac paralyticæ vis major accessit, qua vivificata imaginibus suscipiendis demum fuit.

Hæc volui Vobiscum communicare, ut in rebus desperatis non omnino desperaretis. Homo inde non morietur, si non juvet experimentum: si juvet, lucratus est rem omnium rerum carissimam.

An vis electrica nihil juvaret, si videamus, quid illæ irritationes & concussiones fecerint? Experimenta capere volui, sed non perrexere cœci. *Dux* CLEMENS *Bavariæ* (HAENIUS in margine codicis ait) toto corpore paralyticus fuit, anni circiter abhinc spatio, & amaurosin simul fere perfectam habuit, sub finem Septembris habui curam ejus. Remediis internis externisque multum quidem lucratus sum quoad utrumque malum, sed multum tamen ejus superest. Jam a sex

---

Ormi, ait, Reges solere omnes suos consanguineos, qui possunt thronum petere, excœcare; quia lege cautum, ne quis cœcus thronum conscendat. Refert sic fieri excœcationem: vas æneum, penitus ignitum, ante oculos sæpe ponunt; quo perit visus, licet oculi splendidi & boni viderentur; id quod ajebant, & candenti ferro fieri. An ergo amaurosis a nervo optico, igne tanto insensili reddito? An, quia oculus bonus manet, ignis minus læderet partes anteriores, quam retinam? *de* H.

ſex ſeptimanis cum his remediis vis electrica adhibetur, & jam ambulat ſolus per palatium, & legit librum, & propria manu jam ſcripſit mihi epiſtolam.

In morbis porro oculorum hucusque explicatis nihil de cauſis illis dixi, quæ vulneribus debentur; quum partium deſtructiones, inde natæ, ex natura peculiaris vulneris ſatis queant intelligi, & mens tantum ſit, Medicos docere, quinam morbi, mere medici, hac in parte occurrant.

§. 846. *Eſt paralyſis, vel ſpaſmus, muſculorum, qui oculum agitant, horum distractiones variæ, ortæ 1) ex oſſibus orbitæ male adfectis; 2) tum etiam vulnera; 3) ulcera; 4) inflammatio; 5) preſſio, poſſunt facere ῥινοπτίαν.* Morbos oculorum nunc adgredimur alius ſpeciei, qui in perfecta cœcitate non conſiſtunt, ſed in viſu vitioſo; quorum tamen nonnulli pejores, quod in perfectam cœcitatem transire queant.

1) Recenſetur *paralyſis* unius vel plurium, bulbi oculi *muſculorum;* vel unius, pluriumve, *ſpaſmus:* noſtis enim, hominibus datos eſſe ſex tales muſculos, ut bulbum oculi in diverſas partes moveant, ac in æquilibrio teneant. Si prævaleat unus ſpaſmodica contractione, certe ille, prævalens antagoniſtæ ſuo, trahet oculum in partem illam, cui præeſt. Si unus fiat paralyticus, antagoniſta ejus ſua vi naturali contractili curtior fiet, quia a ſuo antagoniſta non tenetur in æquilibrio: hinc *ſtrabiſmus* fit, furſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum. Axis viſus in hominibus his mutatur: id enim ex Optica conſtat, ſi unius objecti imagines eodem utriusque retinæ puncto pingantur, animam noſtram ſolere judicare, quod unicum objectum ſit; ſi vero axis viſus ita mutetur, ut radii ab uno

ob-

objecto visibili cadant in consueto retinæ puncto in uno oculo, at vero in altero oculo in loco inde remotiori, duo videbuntur animæ objecta esse. Dantur strabismi miri prorsum: si homines utroque oculo lusci, vel uno tantum oculo utantur, hi recta nunquam, sed oblique, nos adspiciunt; ut enim nos intueantur, oportet ut, si deorsum contracta sit pupilla, collum supinent, & quasi naso in aërem sursum elato; si sit oculus sursum contractus, caput inclinent versus genua tua, ut minime putes, Te adspicere; si in latere, admovent Tibi id latus, in quod pupilla dirigitur.

Sunt, quibus solet debilior plerumque esse illa imago, quam perverso oculo cernunt, quia cadit in retinæ plagam minus sensilem.

Sunt, qui uno, sunt, qui ambobus oculis, lusci sunt. Solent debilius adfici utrisque oculis, si oculus multum perversus uterque sit; quia axes visus cadunt in minus sensibilem retinæ locum. Hi ultimi objecta duplicia vix videre videntur; dum enim oculum admovent uni objecto, radii vix possunt ab illo objecto cadere in oculum alterum, quum ita vertatur in posteriora.

Quæritur, an omnes strabismo laborantes duplicia objecta videant. Vidimus antea, multos esse, qui ignorent, se uno tantum oculo uti, donec oculus, quo utuntur, male adficiatur, illique & velint tunc altero oculo uti; vel dum forte microscopium adplicant oculo, quo uti non solebant. Hi, si strabones sint, non videbunt objecta duplicia; uti nec illi, quibus in utroque oculo tam magna pupillæ est distorsio, ut, dum objectum cadit in unum oculum, radii ejusdem in altero oculo non possint per pupillam transire. Plures etiam eorum, qui utroque oculo strabones sunt, dum uno oculo objectum bene vident, habent illud in

altero

altero debiliſſime pictum; quia & radii obliqui nimis incidunt, & ille locus in retina lateralis eſt ipſe debilior, quam in medio: unde ita debilis eſt ibidem picta imago, ut vix illam percipiant. Cæterum plerique alii vident objecta duplicia.

Cauſæ luſcitatis variæ. Eſt 1) *congenitus* quandoque *morbus* a tali parente: quamquam dubitare forte poſſemus, an tales infantes, quibus congenita luſcitas dicitur, non contrahant a teneris illam, adſpiciendo motum perverſum oculorum parentum? Tamen exempla referuntur ſaltem connatæ luſcitatis in infantibus, quorum matres, graviditatis tempore, multum conmotæ eſſent a luſco homine adtente adſpiciundo.

2) Inter frequentiſſimas cauſas eſt, *infantum in cunis* ea *poſitura*, qua dies vel candela ab uno latere tantum percipitur. Infantes, qui ſemper lucem videre amant, primo quidem corpore toto invertunt ſe; ſed quia hoc incommodum, ſenſim torquent oculum, propiorem lumini, eo vertere, & ſic ſemper gerunt illum contortum. Idem fit, ſi mater, aut cuſtos &c. ſemper ſoleat ab uno eodemque cunarum latere ſedere & infantem ſæpe adloqui. Etiam, quando feminæ occupatæ ſolent in ſummitate cunarum pendere aliquam imaginem, aut puppam, ut intuens illam infans continuo tranquillus maneat. Vertuntur oculi continuo in altum & manent denique ſic; ita, ut poſthac ſemper cogantur caput inclinare in pectus, ſi bene aliquid velint adſpicere: hi tamen unum modo videbunt objectum, quia non in latera contorti ſunt oculi, ſed in altitudinem; hinc cadit axis optica præciſe in idem retinæ cujusque punctum. Id vero ita acceptum velim, ut, ſi alter oculus altero ſit in alterum contractior, ille infans duplicia viſurus ſit objecta; quia

tunc radii non pingent imaginem in eodem puncto utriusque retinæ.

3) *Paralyſin*, ac *ſpaſmum*, jam vidimus hoc malum gignere. Exempla ſunt, has nervorum adfectiones quandoque paucos, quandoque unum modo muſculum adficere. Sic palpebra pendet ſupra oculum inmobilis, quia levator palpebræ paralyſi adfectus. Sic ſola lingua fit aliquando paralytica, unus digitus &c. Idem de ſpaſmo verum.

4) *Oſſea orbita*, ſeptem oſſibus conſtans, in *rachitide*, *ſpina ventoſa*, maxime in *lue venerea*, poteſt alicubi in ſuo perioſteo inflammari, laminis ſecedere, oſſea fragmenta infigere in muſculos membranasve oculi, ichore a corrupta ſua ſubſtantia peſſime inficere pinguedinem orbitæ, ipſumque oculum & inde ſummum malum oculo creare, ſi multum, ſaltem luſcitatem, ſi parum tantum, corruptio proſerpit. Curentur modo hæc mala perfecte; id non inpedit, quin orbitæ pars fungoſior, aut calloſior hinc inde plus introrſum vergat & oculum inæqualiter premat,

5) De *vulneribus* non eſt dubium. LANGIUS *l.* 1. *Epiſt.* 7., narrat, oculi vulnus in homine quopiam a Chirurgo peſſime adeo curatum fuiſſe, ut cum inferiori palpebra coadunaretur: unde ſtrabiſmus & objecti unius perceptio duplex. Tamen contigit, ut homo ille continuo conatu movendi oculum hunc ſicut alterum, membranam adnatam extenderet, elongaret ac tandem oculum habuerit in eadem axis opticæ directione cum oculo bono.

6) *Ebrii*, qui non adeo ebrii ſunt, ut vino ſepulti jaceant, teſtantur, ſe in principio ebrietatis duplicia objecta videre. Sane, ut motus inregularis obſervantur in reliquis eorum membris, non mirandum, unum oculum præ alio moveri inregulariter.

7)

7) *Moribundos* audimus aliquando uno binisve diebus ante mortem hoc idem conqueri. Sunt ſpaſmi vagi in exhauſtis corporibus.

8) *Inflammatio* muſculorum oculi facile intelligitur, idem efficere poſſe.

9) *Preſſio* quandoque *a pure* collecto in orbita extra bulbum; quæ collectio quandoque magno hominis bono pergit ex orbita prodire inter membranam conjunctivam & ſcleroticam, ac magnum tumorem fluctuantem ibidem facere; qui tunc ſcalpello pertundendus eſt & finem ſtrabiſmi facit.

10) Maitre-Jean aliam cauſam ſtrabiſmi invenit in *cornea oblique rotunda*, unde neceſſario radii alio modo refracti in aliud retinæ punctum incidunt.

11) Porterfield etiam meminit *poſituræ obliquæ lentis cryſtallinæ;* quæ mutata refractione imaginem alio quoque in retinæ loco depingit.

(Addi poterit 12. vitium in lente, hic loci ab *Ophthalmonoſologis* non adductum; *lentis non æqualis in ſua ſubſtantia denſitas:* vitium hoc, poſt mortem primum animadverſum in homine lue venerea laborante, nec ullo alio oculi malo, cui ſtrabiſmi adſcribi potuiſſet ratio. Quodſi antea cognoſci poſſet, *ſolutio mercurialis* Swieteniana pro cura tentari poſſet. *de* W.)

Omnes hæ cauſæ poſſunt facere 1) *ῥινοπτίαν (viſum naſalem)*: quando homo unius oculi axin ſemper habet directum verſus naſum. Schenckius *l.* 1. *obſ.* 318. exemplum habet hominis ex male curato vulnere ita adfecti, ut oculo directo in angulum majorem prope naſum, objecta per naſum videret; quum caruncula lacrymalis & os unguis ipſi periiſſent. Smetius talem hominem vidiſſe ſe ſcribit *l.* 10. *p.* 531.;

Ff 2 dextro

dextro oculo idem, jam puer, fuerat privatus; tandem juvenis ex cerafo arbore decidit in faftigiatum palum & oculum finiftrum ac nafum horrende contudit ac fregit: utcunque, fed fœdiffime, curatus poft anni fpatium, homo ille cœpit per patulum nafum, in apertum fuperiore cum oculo correfpondentem, objecta cernere. Perierant enim mufculus adtollens & rectus abducens, ut axis vifus modo in cantho oculi interno inferius (deorfum) dirigeretur. „ Medicorum igitur collegio, ait SMETIUS, pridie calendas Martii, juffu Electoris, exhibebatur; cum fuo enim Chirurgo, in jus vocato, contendebat. - - - Officula nafi non fracta modo, fed & luxata quodammodo, concinne reftitui non potuerunt." Videte plura in hanc rem apud SENNERTUM *Tom. III. l.* 1. *p.* 228. *&c.*

2) *Strabifmum*, ubi homo duplicia objecta videt; vel, ubi caput certa ratione vertat oportet, ut videat objecta. Caufas explicuimus. Tales homines *ftrabones* dicuntur. (*)

3) *Lufcitatem*, ubi homo ita contortum & aberrantem habet unum oculum, ut ab uno eodemque objecto radii in retinam cadere nequeant; id eft, ut fi in uno oculo radii pingant in retina bonam imaginem, radii in alterum oculum tam oblique incidant, ut ab iride reflectantur, aut a nigro obtegente proceffus ciliares vitreumque, reforbeantur. Habent ergo hi binos oculos, quibus imagines recipiant; fed fimul, & bene, binis his oculis videre non poffunt idem objectum.

4)

(*) Putant, *ftrabonem* fignificare eum, qui oculis contortis eft, & *lufcum*, qui modo uno oculo uti poteft fimul. *de* H.

4) *Adſpectum trucem & talia mirabilia mala.* Paralyſis, v. g. muſculi recti adducentis, ſive bibitorii, efficit, ut rectus abducens oculum trahat in canthum externum. Unde, qui hominem ab illo latere videt, trucem adſpectum horret. Hinc nervus ſexti paris vocatur indignatorius, quia, maximam partem in abductorem oculi abſumtus, facit in paſſione indignabundi animi talem adſpectum. Spaſmus, vulnus &c. abductoris muſculi hujus idem efficiunt.

Et talia mirabilia mala, ait *textus*: ſit v. g. oculo utroque laxatus abductor, non penitus, ſed parumper, ita, ut adductor parum vincat priorem fortitudine; tunc ſtrabiſmus fit oculorum, axi utrinque parumper verſus canthum internum, ſive majorem, directa. Eſt vitium in viſu; nam ſi objectum velint tales videre diſtincte, debent caput parum vertere oblique: verum eſt tale vitium, quod emendare utcunque norunt nonnulli, maxime mulieres. HORATIUS vocabat hos oculos *pætos*, id eſt, *ludibundos*, *amatorios*, & quodammodo *laſciviores*; quia, dum puellæ cum amore adſpiciunt hominem, ſolent quaſi ambos oculos ad ſe invicem adducere, unde ipſæ percipiunt, viſum ſibi hebeſcere. Hinc non inmerito videbitis apud plures Auctores, muſculos rectos internos oculorum vocari *amatorios*, quia ſic oculos ad ſe invicem adducunt. Hinc ſolent homines illas puellas, quæ in conſortio cavent, ne oblique caput vertant, vocare *ſtrabones pulcras*, (Auſtriacis Liebäuglerinnen), quod oculos ſemper amatorios gerant. (*)

(*) Addere hic oportet obſervationem *D. de* BUFFON in *Act. Acad. Reg. Sc. Pariſ.* 1743. Ille ſiqui-

Remedia contra luſcitatem in infantibus ſunt ſequentia. Mox ubi advertimus initia mali, ſtudendum eſt, ut matrem, nutricem, cuſtodem, lucem, candelam

---

ſiquidem nimis carpit cauſas alias ſtrabiſmi, ut ſtatuat ſuum ſyſtema de ſtrabiſmo, nato ex debiliori uno oculo, altero fortiori. Unde homines illi debilius objecta vident utroque oculo, quum debilis imago in debili oculo vividam alterius oculi imaginem in repræſentatione ad mentem facta plus minus obfuſcat. Unde tales homines tandem diſcunt debilem oculum avertere introrſum vel extrorſum, ut bono & forti oculo tantum videant. Remedium optimum ſe inveniſſe ait, quod ab ALLEN in *ſynopſi medica* jam antea dictum erat. Bonum oculum tegit per 15 dies; quo tempore homo ita diſcit dirigere oculum debiliorem, ut poſthac iterum ſit in eadem cum altero directione. Sed, quod plus eſt, dum ille debilis oculus ſolus agere debet, ita roboratur, ut poſthac homo utroque æque bene utatur. Exemplo utitur hominis, qui mala conſuetudine ſiniſtra manu utitur; illi dextra debilior ineptior videbitur: liga ei ſiniſtram, ut dextra cogatur ſola uti: ſenſim aptior, robuſtior dextra fiet.

Verum eſt vitium in argumento: differt enim multum, a qua cauſa debilitas illa oriatur. Si homo utatur ſiniſtra, quia debilitas in dextra ab adfecto, obſtructo, nervo, non poterit hoc conſilium prodeſſe: ſi oculus unus debilior a debili optico, non emendabitur ille oculus exercitio: cura eſt, nervi

lam, puppas & omnia luſoria inſtrumenta ita poſita habeant, quo axis objecti cadat directa ſemper in utriusque retinæ eumdem locum. Sic plurimi infantes curantur. Si tamen res nimis pertinax aut inveterata ſit, inſtrumentum parandum eſt; invenietis apud plerosque Auctores opticos & apud HEISTERUM, tabula expreſſum. Id fronti adplicatur & rotundum foramen habet, quo lux intret; diſcunt hinc ſenſim infantes, pupillam dirigere verſus foramen iſtud, & diuturno uſu tunc fit demum utriusque pupillæ eadem directio: ſed per gradus fiat emendatio; foramina primo parum, ſenſim plus, a conſueta axi deducantur. Tamen ſunt, quos neque ſic emendes; qui hoc inſtrumento adpoſito ſoleant uno oculo bene directo uti; & altero aberrante otiari. Tunc bonus oculus ipſis eſt obligandus, ne eo uti poſſint, & inſtrumentum perforatum oculo ſtraboni adponendum, ut cogantur, velint, nolint, pupillam eo verſus dirigere, ſi videre velint. Ultima tamen hæc præcautio non poterit adhiberi, ſi utroque oculo ſtrabones ſint; ſed ſi in uno. Si in utroque, inſtrumentum oculo utrique adplicatum maneat.

Qui ſtrabiſmi a nativitate, qui a longis annis pertinaces hæſere; qui a mala conformatione orbitæ, aut muſculorum, poſt vulnera, ulcera, cariem &c. orti;

---

nervi vitium emendare, ſi poſſit; ut cura in dextro brachio erat, vitium in nervo emendare.

Tamen, quia quandoque debilitas poteſt oriri, eo quod unus oculus minus exerceatur, & quia curationes ſtupendas ſtrabiſmi talis, tam in adultis, quam in infantibus, Auctor refert; poſſumus facile experimentum capere. *de* H.

plerumque ſunt incurabiles. Qui a ſpaſmis aut paralyſi; remediis contra paralyſin poſſunt aliquando curari: forte etiam fonticulus in cranio, ut in amauroſi, prodeſſet. Incurabiles vero ſtrabones moneri poſſunt, ut in maxime decenti forma oculos gerant in cœtu hominum.

§. 847. *Tunica tandem choroëides &c.* ὑπόπυον, ſive *oculum purulentum;* malum ſæpe peſſimum, cum deſtructione partium conjunctum.

Hypopyi nomen varie deſumitur ab Auctoribus: nam *St.* Yves vocat pus poſt corneam in aqueo humore *unguem*, ſive *onychem;* ſi vero inter ipſas corneæ laminas hæreat pus, hoc vocat *hypopyon.*

Sed Maitre-Jean melius diſtinxit. Vocat merito *oculum purulentum*, ſive *hypopyon*: 1) quando pus eſt collectum inter laminas corneæ, maxime interiores; 2) ubi pus effuſum in camera prima & ſecunda oculi. Poſſumus 3) cum Boerhaavio hypopyon vocare, quando tunicæ choroëides vel *Ruyſchiana*, etiam in poſteriori oculi ſemicirculo purulentas collectiones habeant.

Si pus hæreat ad externam magis corneæ partem, eſt prognoſis benignior; ſi introrſum, minus benigna; ſi vero in oculi camera prima, aut ſecunda, mala.

Si ex ſymptomatibus judicemus, illud in choroëide, aut *Ruyſchiana* hærere, acerba admodum prognoſis erit, quum ibidem queat rodere omnia, & incluſum manens deſtruere retinam, vitreum, & omnia. Redigere etiam eo ſolent Chirurgi effuſionem ſanguinis, quæ poſt vulnera, contuſiones &c. contingit ita, ut cum pure ſimul multum ſanguinis inpleat oculi cavum.

Cauſæ hypopyi ſunt omnes contuſiones, inflammationes, ſubpurationes, & maxime a ſanguine cacochymico,

mico, in cornea, iride, cæterisque oculi membranis, infelices cataractæ, depositiones &c. variolæ, morbilli; orbitæ vitia, festucæ, neglecta caries antri Highmori: unde dolores enormes solent gigni, atque sæpenumero totus oculus pessumdari.

Levior hypopyi species distinguitur a phlyctænis, eo, uod phlyctænæ supra corneæ exteriorem superficiem emineant, materiemque ut plurimum pellucidiorem gerant: hujus vero materies intra laminas hæreat, materiaque spissior sit.

Si hypopyon inter corneæ laminas exteriores hæreat, solet extrorsum extuberare; unde tunc habet figuram *clavi*; si in medio circiter corneæ, tumor planior est; si versus interiorem corneæ partem, nullus ibidem tumor adparet.

Si inflammatio & subpuratio doceat, esse primum genus hypopyi, flores chamomill., sambuc., melilot., folia meliss., euphrag., sem. fœnic. &c. (vino, aqua nonnihil diluto) infusa & tantillo croci mista adponenda sunt; vel & ipsæ herbæ, prius vino coctæ, sacculis inclusæ.

Si non juvet & tumor externus purulentus adpareat, prudenter obvoluta lanceola, pertundatur: deinde locus lacte, (mucilagine) sem. psylii, cydonior. curetur.

Sed sæpe fit, ut pus collectum pondere aut acrimonia sua valde separet a se invicem corneæ lamellas, & ut tunc latam occupet plagam: si hoc fiat, remediis mox dictis discussio tentetur per quatriduum; si non discutiatur, locus aperiendus est, in quem ultimo declinavit, aut rodendo sibi viam faceret & fistulam aliquando pravam excitaret. Forte in principio nil effluet, sed adposito anodyno remedio ex panis mica,

cocta cum lacte, addito croci tantillo, pus sensim adteuuatum exstillabit.

Si vero pus ex corneæ laminis viam sibi faciat introrsum, tunc est *onyx* apud *St.* YVES & alios Auctores; sed potius dicendum *hypopyon.*

Sunt casus apud MAITRE-JEAN, quod pus effusum ex cornea in primam oculi cameram, si non sit acre, nil mali faciat, nisi quod iridi colorem albidum conciliet; sed si acre sit, brevi pessumdat iridem, destruit pupillam oculumque. Hinc, si id metuatur, ut dixi, pertusio fiat, ante limbum corneæ, sed prudentissime, ne iris lædatur.

Est tamen mirum hujus mali curandi genus, quod GALENUS refert, quodque MAITRE-JEAN, HEISTERUM aliosque multum exercuit. Ait GALENUS *l.* 14. *Method. med. c.* 19. „ ætate vero nostra ocularius quidam Medicus, cui JUSTO nomen erat, etiam concussione capitis multos hypopyos sanavit. Collocans enim eos in sella rectos, & capita eorum utrinque a lateribus adprehendens, mox quatiebat adeo, ut manifesto descendere ipsi pus videremus. Mansit autem horum pus deorsum, propter gravitatem substantiæ. "

Putat HEISTERUS, melius adhuc fieri hoc posse, si oculo prius bene fricto, ut pus adtenuetur, in dorsum reclinaretur homo & sic agitaretur caput. Addit historiam hominis, qui, hypopyon habens, cogebatur, curru necessarium iter instituere; unde, domum redux, simul concussione illa valida visum recuperavit, pure illo in fundum primæ, vel post pupillam in fundum secundæ cameræ secedente. Unde hoc tentamen HEISTERUS minime disſuadet, antequam ad operationem deveniatur: ut etiam Auctor MAITRE-JEAN, qui curam talem disſuadet tantum, quando pus adhuc in

cor-

cornea hærens non videtur ad interiora penetraturum esse; cæterum suadens.

Puero a variolis habenti totum aqueum purulentum TAYLOR aperuit corneæ partem inferiorem: effluxit totum, & renato aqueo humore visus bonus.

Cæterum hypopyon a pure intra oculum collecto sæpius educitur, non ut oculus servetur, sed ut, eo destructo, majora mala præcaveantur. Etenim pus, corrodens oculum internum, dolores inexplicabiles facit, sæpe corrodit tunicas oculi posticas, corrumpit orbitam, cerebrum, facitque miserrimam mortem.

Hæc horrenda adeo mala orta fuere a sola oculi valida inflammatione. Cum horrore BOERHAAVE solebat narrare historiam Angli, qui Lugduni-Batavorum victum quærebat docendo anglicanam linguam. Oculis ejus inflammatissimis, una cum pulsu, ardore, calore, lucis intolerantia, detestandus Agyrta, curam in se suscipiens, adplicat collyria acerrima vitriolica: unde factum, ut oculi subpurati ambo fuerint, pure introrsum verso & miser homo visu & oculis per reliquum vitæ destitutus fuerit.

Quin & a variis admodum diversarum in oculo partium &c. Omnia hæc recensui: a cornea, ab iride, uvea, pupilla, lente, vitreo, male adfectis, omnia hæc mala orta vidimus. Ab osse unguis in lue venerea, aut carie, exeso; ex carie antri Highmori, quia os maxillæ ad orbitæ compositionem concurrit; a scirrhosa glandula innominata, oculum premente, &c.; omnia hæc dicta sunt.

Absolutis his conabor *aphorismos* HIPPOCRATIS explicare, qui ad morbos oculorum spectant.

Aph. 3—16. „ Morbi autem &c.

Aph.

Aph. 3—11. „ De temporibus ; ſiquidem hyems &c. Morbum eumdem, ſeu ophthalmiam, magnus HIPPOCRATES in his aphoriſmis ex binis diverſis & quodammodo obpoſitis , cauſis deducit, datque Medicis exemplum eruendi morborum cauſas. Una cauſa eſt tempeſtas ſicca ; altera eſt tempeſtas humida tepensque.

In ſicca tempeſtate homines multum perſpirant & multum proinde ſubtiliorum humorum difflant : ergo vaſa illis ſunt rigida & humores craſſi. Si porro vel a minimo errore fiat, ut humores illi craſſi copioſius ad oculos deriventur ; ut a pergræcatione, vomitu, ceſſatione hæmorrhoidum , aut menſtruorum, hæmorrhagia narium, ſtricta alvo fit, mox dira naſcitur oculorum inflammatio.

Si vero ex obpoſito poſt frigidam & ſiccam hyemem ver tepidum & humidum fiat, omnes illi, qui ſunt laxioris temperiei, erunt inflammationibus obnoxii interque illas , oculorum. Ratio hæc eſt : hyeme valida & ſicca homines multum perſpirant, multum comedunt ; ut ipſe HIPPOCRATES obſervaverat, ventres, hyeme quam æſtate calidiores, copioſiori etiam ideo indigere alimento. Illi autem, qui, dum ventrem copioſius infarciunt, ſimul motum validum exercent, diſſipant iterum hoc copioſum nutrimentum, ſanique manent. At vero illi, qui labore vacant valido, ut ſunt mulieres & viri natura humidi, ob frigus etiam voraciores, non diſſipaverunt id nutrimentum copioſius ; hinc, retenta perſpiratione debita, defectu motus, infarcta vaſa habent; acre factum eſt retentum illud perſpirabile. Eo rerum in ſtatu ver humidum & tepidum perſpirationem adhuc plus inpedit, ſolida laxat, infarcit magis magisque. A minimo nunc errore conmiſſo, dum v. c. caput refrigeratur, quod adeo facile

cile fit, vafa turgida conftringuntur; ita, ut debilior vis cordis nequeat propellere humores per fines vaforum: hinc mox inflammatio, febris, ophthalmia.

Aph. 3—31. „ Senibus autem &c. Hic graphice defcribit HIPPOCRATES morbos a pituita fenili, eaque acri, ortos: oculorum & narium humiditates catarrhis his fenilibus junguntur: nam, dum membrana Schneideriana catarrho tumet, folet canalis nafalis in naribus obftrui, & involuntariæ lacrymæ per genas delabuntur; quarum lacrymarum etiam abundantior hic copia adeft, quum acri fero vafis inpacto, fenfilem oculum ftimulante, abundantior lympha excernatur, qua id acre diluatur.

Aph. 4—49. „ In febri non intermittente, fi labium, aut fupercilium, aut oculus, aut nafus pervertatur; fi non videat, fi non audiat, corpore jam debili exiftente, quidquid horum fiat, in propinquo mors eft. " Quia figna adfunt omnia fpafmorum & defectus fpirituum ad organa fenfuum: non femper lethalia hæc funt, ut v. c. in fyncope; fed *debili jam exiftente corpore*, viribus vitalibus primo deftructis, non *fubpreffis*, fed *deletis*; fi vero animales quoque defint, jam brevi actum erit. Idem repetit *aph.* 7—73.

Aph. 4—52. „ Quicunque in febribus, aut in aliis infirmitatibus, ex propofito lacrymantur, nihil inconveniens; qui vero non ex propofito, magis inconveniens."

Aph. etiam 8—2. „ Qui ex infirmitatibus ex propofito lacrymantur, bonum; qui vero fine propofito, malum. " Scilicet, ubi homines vel præ aliquo læto nuntio, aut præ dolore, aut mœftitia lacrymantur, eft bonum fignum mutui animi cum corpore commercii. Si vero absque ulla caufa oculi madore perfufi fint, & lacrymaffe fe negent ægri, docet hoc fum-

mam

mam vel humorum tenuitatem, vel ſolidorum laxitatatem: notat ſphincterulos humorem retinentes jam eſſe laxatos, paralyticos; adeoque nervos his præpoſitos jam etiam paralyticos eſſe; quæ ſigna, cum aliis pravis ſignis conjuncta, mala admodum ſunt. (*)

Prudenter tamen judicandum eſt in ejusmodi circumſtantiis: ſi homines obnoxii fiſtulæ lacrymali, vel gravedine narium laborantes ſint; malum non poteſt in his dici, quemadmodum quidem in aliis. — Confirmat hos aphoriſmos HIPPOCRATES alio loco, malum eſſe, dicens, oculos ſponte lacrymoſos.

Aph. 6—52. „ Conſiderare vero etiam oportet oculorum ſubtus adparentia in ſomnis: ſi enim albi quid palpebris conmiſſis ſubtus adpareat, cui id non ex alvi profluvio eſt, aut ex potione purgante, pravum ſignum & valde lethale. " Dico 1) in genere admodum malum ſignum eſſe; quia deſignat, ſpirituum per ramum ophthalmicum quinti paris jam ceſſare adfluxum: indicio, quod & brevi aliis in partibus ſint ceſſaturi, immo in nonnullis jam ceſſent. Otiatur enim jam orbicularis oculorum, cui nervos largiuntur tres diverſi ramuli rami ophthalmici & ramulus portionis duræ ſeptimi paris. Si hoc non obtineat, ſaltem eſt ſpasmus levatoris palpebrarum: nervus tertii paris huic proſpicit, dictus oculorum motorius. Quum etiam ſignum

---

(*) Notat etiam, canales ducentes larcymas e puncto lacrymali in ſaccum lacrymalem, inertes eſſe & conlapſos, adeoque non poſſe ultra agere, ut tubos capillares. Si in his tubis id fiat, quid non in tubis medulloſis cerebri & cerebelli? *de* H.

gnum hoc ſoleat non in uno, ſed in binis obſervari oculis, notat, jam obſtructionem notabilem in cerebro naſci. Etenim in morbis acutis ſive paralyſes, ſive ſpaſmi nervorum, maxime cerebro adeo propinquorum, mala admodum ſunt, ſi ſimul adſit inſignis vitalium actionum labefactatio.

Verum 2) aliquando tale ſymptoma fit a valida evacuatione humorum per alvum, ſpontaneam, aut artefactam: tunc non eſt adeo lethale, nam lenta repletione ſpaſmi ac paralyſes poſſunt reſarciri. Si vero *κενεαγγεία* in cauſa non fuerit, malum eſt, quum viſcera adeo debilitata ſint, ut ultra non excipiant, aut admittant, nutrimenta.

3) Limitare prognoſin hanc jubet hominum ita ſemper dormientium conſuetudo, quorum aliquos novi, & in quo caſu me ſemel deceptum fuiſſe, ſæpius Vobis dixi.

Aph. 6—56. „ Morbis melancholicis ad hæc periculoſi ſunt [humorum] decubitus; aut corporis ſyderationem [apoplexiam]; aut convulſionem, aut inſaniam, aut cœcitatem, ſignificant. " Atrabiliarium humorum motibus, depoſitione, decubitu pernicioſius nil eſſe, ſæpius Vobis in Collegiis dixi, ob deleteriam fere eorum acrimoniam. Acrimonia, quæ forte in robuſtioribus corporis partibus aliquamdiu potuiſſet tolerari, ſed in tenuioribus citam facit deſtructionem. Quam ob cauſam in cerebro, tenella hujus ſtamina deſtruens, apoplexiam facit nervorumque inde oriundorum tum convulſionem, tum paralyſes: cerebro quoque obſtructo, ita, ut commercium liberum corpus inter animamque intercipiatur, inſaniæ naſcuntur. Si ita adficiantur nervi in prima origine, quid miri, nervum opticum ita adfici, ut imagines eumdem ultra non adficiant, & ſic *ἀμαύρωσις* naſcatur?

Aph.

Aph. 6—17. „ Ophthalmia laborantem alvi profluvio corripi, bonum. "

Aph. 6—31. „ Oculorum dolores meri potus, aut balneum, aut fomentum, aut v. f., aut purgatio, folvit. " Non, quod omnia hæc in una eademque ophthalmia adhibenda fint, fed prout fpecies morbi fuerit, quæ curanda nobis datur. Solet HIPPOCRATES fæpe id omne addere; fæpe, quod hæc fatis cognita habeantur, fubponere. Unde bene CELSUS, *l.* 6. *c.* 6." curari, ait, oculos fanguinis detractione, medicamento, balneo, fotu, vino; vetuftiffimus Auctor HIPPOCRATES memoriæ prodidit; fed eorum tempora & caufas [hic] parum explicuit."

Videamus, quomodo fingula feorfim, aut plura fimul, convenire poffint.

1) *Meri*, feu *boni vini*, potus moderatus auget humorum motum, promovet perfpirationem. Si igitur ab introverfa perfpiratione oculorum, aëre frigidiori producta, oculi doleant, moderatus vini potus perfpirationem promovet ficque oculorum dolorem folvit.

2) Inhibita perfpiratione *balneum* totius corporis laxat folida, aquofis fuis particulis abforptis humida diluit: ergo perfpirationem reftituendo & humores diluendo, folvit oculorum dolores.

3) *Fomentum* emolliens, leniter discutiens, adplicatum oculis dolentibus ab inflammatione, poteft folvere dolores illos.

4) *V. f.*, copiam humorum plethorico in corpore demendo, perfpirationem reftituit feliciter: tum & minuendo copiam, efficit, ut, vi a tergo minus urgente, obftructa (obftruens) molecula retroagi vi vaforum in truncos majores poffit.

5) *Pur-*

5) *Purgatio* primo adtenuans, fecundo educens humores, folvit educitque concreta fimulque avertit impetum humorum a capite. Ergo inflammato oculo fit minor adpreffio, minor adgeftio.

Si cafus fit ita, ut morbus fit in principio, poteft fieri, ut vel fola reftituta perfpiratione, vel fola humorum adtenuatione, curetur.

Verum cafus eft aliquando pertinax, tunc externa internaque auxilia fimul adhibenda. Hanc ob rationem idem HIPPOCRATES *aph.* 7—46. ait : „ in doloribus oculorum, poftquam merum bibendum dederis & multa calida laveris, venam fecato : nempe, ubi volebas perfpirationem reftituendo dolorem oculorum curare, dabas merum ; quum non fatis juvaret, calido balneo conabaris perfpirationem promovere & fanguinem diluere : fed his non juvantibus fubpuratio metui poteft; unde tunc vena fecanda erat.

Hæc autem ita in recenti & parva ophthalmia, ubi caufam novimus perfpirationem inhibitam præceffiffe, fic poffunt adhiberi. Sed, fi validiffima adeffet inflammatio oculorum, cum ardore, calore, magnis, curam antiphlogifticam fummam mox in opem vocaremus. Certe, fi caufa effet in nimio vini, ejusve fpirituum, ufu, non daremus vinum bibendum, docente nos melius HIPPOCRATE, contraria contrariis fananda. Igitur CELSUS bene ait, nos debere tempora & caufas diftinguere, quas hic non addidit HIPPOCRATES.

Aliquando ante mortem vehementer pupilla dilatatur. Eft, quafi retina infenfilis fieret & per nervos paris tertii & quinti adhuc omnes vires intenderentur, ut homo videat. Ait HIPPOCRATES *l. VII. Epid. p.* 1234. *Edit.* Foës., „ Nicolai filio - - - fexto die oculus dexter major confpiciebatur ; " quod forte a dilatatione pupillæ in hoc oculo intelligendum : fi ve-

ro intelligat de toto oculo, videtur in uno oculo nutritio a ſanguine ac ſpiritibus prius defuiſſe quam in altero, & ſic conlapſus eſſe; unde alter videretur major. Vel pupilla fit major, quod retina inſenſilis fere ſit, unde homo conatur plures radios capere per pupillam. Vel demum pupilla fit major, quod vis contractilis pereat fibrarum orbicularium.

Hactenus de adfectionibus VISUS *organi*.

§. 848. AUDITUS *læſi primaria ſymptomata quidem numerantur, ejus augmentum, inminutio, ablatio, depravatio.*

§. 849. *In acutiſſimis cerebri, nervorum, membranarum &c.* Eſt morbus ſane, qui ad conmiſerationem maximam nos ducit quemque maxime formidamus. Nempe originem ducens eo, quod membranæ nervique circa auditum ita inflammatione tendantur, ut radii ſonori inlabentes validam vibrationem inprimant iisdem eorumque ope portioni molli nervi ſeptimi paris, dicti *auditorii*, hinc communi ſenſorio. Porro tenſio hæc poteſt eſſe in meatu auditorio externo, in membrana tympani, in perioſteo tympani &c. &c. Vitium hoc adeſſe in acutis adparet; quando quis, utut vel ſubmiſſe muſſitet, vel discalceatus intret, hi miſeri ægri, tanquam ab acutiſſimo ſono ita adficiuntur, ut dentibus ſtrideant, vel convellantur. Loquor expertus; ut cui in acutiſſimo morbo hoc contigit. In ipſo graviſſimo delirio meo videbar mihi continuo audire vel ſerræ ingentis ſtridorem, vel ſonitum ingratum Vulcanorum, quando laminam tenuem ferream ignitam malleis in incude extenuant; qui ad leviſſimos per cubiculum motus ita augebatur, ut convulſiones totius

faciei

faciei adſtantes exhorreſcerent, ut reminiſcendo adhuc exhorreſcam.

Simile vitium ſæpe adeſt in nimia εὐμεταβλησία hominibus melancholicis ac hyſtericis; ubi a nimia nervorum teneritudine & mobilitate, a minimo motu, ſuſurru, ſonitu, fere convelluntur. Videntur nobis Medicis homines eſſe malorum inpatientes, ὑπερβολικῶς loquentes, ſed tamen non deſunt inter hos miſeros, qui nollent præter veritatem quid adfirmare & tamen ingenue adſeverent, ſe hæc pati.

§. 850. Βαρυηκοΐα *dicitur, vel gravis auditus &c.* ita, ut auricula aut fere, aut prorſum, careat illis zonis, quibus conponi, ex Anatomicis ac Phyſiologicis notum: quo enim homo gyros illos habet eminentiores, eo melius audit.

Vel ablata &c. ut patet in iis, quibus auriculas in pœnam malorum abſtulit carnifex: audiunt profecto ut aves, quæ non aliam ob cauſam ſe verſus objecta movent, niſi quod, ut oculos, ita & aures, ad latera gerant, absque auriculis. Remedium his hominibus eſt cava manus, vel cornu ſonorum, ita auri adhibita, ut copia magna radiorum ſonororum capiatur ab uno alterove, iique radii copioſi tandem reflectantur magnam partem in meatum externum hincque iterum reflectantur verſus tympanum.

Meatus auditorius nimis rectus; ita, ut radii ſonori recta nimis ad membranam tympani adpellant, vel nullam, vel admodum parvam, reflexionem ibidem paſſi.

Anguſtus; ita, ut pauci tantum radii intrare queant.

Omnia hæc vitia aut a *nativitate* oriuntur, & tunc paſſim nequeunt emendari; aut naſcuntur a *tumore* quocunque, cujus ſive poſſibilis, ſive inpoſſibilis ſolutio, morbum vel emendabilem vel inemendabilem pronuntiat. Exempla paſſim occurrunt apud Auctores chirurgicos.

Obſtructiones a tumore quocunque, ut illico dictum.

Ab inſectis; quæ hic nidulantia viſa ſunt; licet ibidem & pili, ceu totidem pali, ſint poſiti, inlapſum eorum inpedientes, & licet cerumen quotidie excernatur, quod inter pilos colligitur, atque ſic illa inſecta inviſcat. Qui multum laborant in granariis agitatione frumentorum occupati, obnoxii ſunt his malis; milliones enim ovulorum inſectorum per aëra perpetuo circumvolitant.

A pure incluſo & inlapſum radiorum aliorum inpediente, aliorum ſuffocante; id quod plerumque quidem ab inflammatione ibidem colligitur, verum & aliquando citra inflammationem. Hoc vel metaſtatice fit, ut in acutis aliquando, aut in gravibus capitis, ſive percuſſi, ſive phrenitici, adfectibus; vel fit aliquando citra & inflammationem & citra metaſtaſin; modo plane inconprehenſibili.

Quocunque igitur modo pus hic in abſceſſu lateat, ſive a quacunque cauſa generatum ſit, gaudeamus, illud foras verti ad meatum externum; deſtructurum forte omnia, ſi in tympanum cecidiſſet; ut dein videbimus. Cura omnis tunc eſſe debet, ut auri adplicentur remedia emollientia, humectantia, leniſſimis ſtimulantibus ſubinde ſociata, ut concludens membrana rumpatur, pusque exſiliat. Bulbi liliorum alborum cum farina lini ac oleo, aptum faciunt cataplasma. Si ſtimulus requiratur, poteſt locus internus unguento baſilico leviter inungi; vel flores meliloti, chamomillæ

addi

addi possunt cataplasmati; vel bulbus cepæ sub cineribus assatus, oleo amygdalino mistus, adplicari. Aliquando sponte fit apertura.

Aperto loco pus effunditur, & si homo aut fuerit a phrenitide delirus, aut a percussione, casuve, apoplecticus, incipit sensim levari & ad bonam mentem redire; modo integre evacuetur materies omnis: quem in finem auri continuo calidus fotus est adplicandus, ut materies semper huc quasi adliciatur.

Si vero neque per inflammationem topicam, neque per metastasin, sed modo fere inconprehensibili, prodeat, summa opus est prudentia.

Observatis constat, hypopyon pustulasque in cornea, maximam partem ab inflammatione, sed & a causa ignota (ac citra inflammationem) nasci posse. Idem & in aure valet. Habuimus 1755. 12. Dec. in nosocomio inter consultantes pauperes hominem, cui quindecim abhinc annis potus gelidus, æstuante corpore haustus, primo ardorem in faucibus citra anginam fecit; sexto vel septimo die miliaria rubra nata; decimo quarto, citra ullum dolorem, aut inflammationem, pus ex aure eduxit; cujus puris effluxus jam in decimum quintum annum pergit. Constat ergo, quod citra inflammationem pus hoc genitum fuerit: constat etiam, ni fallor, pus metastatice huc delatum non esse; quum 1) non sunt ejusmodi metastases facti alicubi puris consuetæ, nisi in morbis subpuratoriis; v. g. pleuritide, peripneumonia, variolis &c.; haud vero in miliaribus cæterisque dictis malignis morbis. 2) Ægritudo hominis hujus adhuc per 6 deinceps septimanas perduravit; id quod minus ita contigisset, si continuus, nunquam desinens, effluxus purulentus alicubi in visceribus genitus esset: signa enim metastaseos sunt, ut fluente illac materie, morbus minuatur, & sanescat. Quod

etiam in eodem homine memorabile, ita continuavit hæc puris ex aure effluxus, ut illi pleuritide acuta ante biennium adfecto, indefinens adfuerit. An ergo in hominibus, qui, uti PETITUS obfervavit in *Act. Acad. Reg. Sc. Parif.* 1725., hypopyon patiebantur citra ulla præcedentia mala; an & huic homini, cui citra caufam notabilem pus aure per totos quindecim annos effluit, illa difpofitio purulenta, ut ita dicam, fanguinis adeft, quæ cum hominis vita fæpe perdurare vifa fuit BENNETO in fuo *Theatro* & *Veftibulo Tabidorum.* Adverterat adtentus ille vir in numerofis ægris fuæ Angliæ purulentas excretiones ex pulmone per annos durantes, citra vel minimam unquam prægreffam aut hæmoptoën, aut inflammationem. An non ipfi in nofocomio vidiftis duo cadavera, in quibus ingentes pulmonum aut vomicæ, aut pure factæ exefiones, exfpectandæ videbantur, ubi tamen conparuit horum nihil? An non advertebamus tunc, in praxi id folenne effe? An non concludebamus ex multorum hominum, cætera fanorum, fanguine, mera confuetudine quotannis miffo, denfam cruftam inflammatoriam totius vitæ decurfu adeffe; adeoque dari fanguinem, qui femper hac materia onuftus, fæpe innocue circulet per vafa, fæpe hac vel illac, fi viam, qua fe evacuet, invenerit, continuo manare confuefcat?

Quæ fi ita fe habeant, Medicis prorfum vetitum, hanc obftipare viam: verum diætam antipyicam fuadeant ac remedia talia dent, quæ univerfam maffam fanguineam, fine motu aucto, aut febri nata, adtenuent: quo in genere folanum lignofum, five ftipites dulcamaræ palmam multis præripiunt.

Sordibus, ab inlapfo pulvere per aëra volitante, apud opifices, qui pulveres multos concitant, dum operantur; tum apud itineratores, qui æftivo calore per apertos campos, & fabuleta, continuo peregrinantur;

tur; apud eos demum, qui, ut totius corporis, ita & aurium, munditiei non ſtudent.

Cerumine concreto; quod, ex glandulis minimis hic, olei inſtar ſecretum, mora ſpiſſeſcit, adcumulatur, una cum inlapſis pulveribus indureſcit & ſæpe concham inplet. Curatio horum agyrtarum deliciæ: nam homines ignorantes cauſam, putant ſe inmedicabiliter aut ſurdos, aut ſurdaſtros eſſe, ac adſeverant illi nebulones, id ſic citra ipſorum arcana manſurum; jam vero rem, ſed magno pretio, curandam eſſe. Aquam cum pauco lacte & melle, aliquando & croci tantillo, per vices injiciunt, concretiones emolliunt & ſenſim ita ſolvunt, ut liber evadat totus meatus, una cum reſtituto auditu. Fama creſcit eundo: duo, tres tales efficiunt, ut citra effectum emungant crumenas centenorum, quorum ſurditas alias cauſas agnoſcit.

Membrana tympani læſa, laxa, ſpiſſa, calloſa, &c. In infantibus meatus auditorius ac tympanum materia fungoſa, craſſa, membranacea obducitur, ne nimio ſono mox terrerentur, ſed eidem ſenſim adſueſcerent. Oportet autem, primo materiem hanc liquefieri & ſpecie puris emanare ex aure. Si maneat, fit ſurditatis ſpecies; perfecta fere, ſi in ambabus auribus adſit. Ignari crederent deeſſe meatum.

Incraſſatur & ſubin membrana tympani, aut extenuatur nimium, vel tenera præternaturaliter, aut laxa, fieri poteſt: quumque ſit illud primarium auditus inſtrumentum, quo aër externus cum eo, qui in tympano interno eſt, communicat; ſane hæc membrana nimium ſpiſſa, ſuffocabit nimis radios ſonoros, ut eorum ad membranam tympani adpulſus minus adficiat aërem tympani interni. Si nimis extenuata, erit in cauſa, ut tremulus motus nimius communicetur cum aëre interno, naſcatur in audiendo confuſio: ſi laxa nimis

 ſit.

fit, contremifcit minus, auditus ergo gravis erit : fi nimis tenfa, fiet auditus ita ingrate acutus, ut paullo ante explicui.

Concha interna [tympanum] *inpleta ichore &c.;* nam habent omnes partes hic pofitæ fuas membranas, eftque cavitas tota propria fua circumcincta membrana : porro habent membranæ fua vafa, utut fubtiliffima. Unde, ut in oculo, ita & hic deftructiones fummæ organorum auditus.

Pulvere inlapfo poft ruptam membranam tympani; quod contingere poteft poft fummas aurium inflammationes, fubpurata membrana tympani : eft enim illa membrana, demonftrante RUYSCHIO, fere elliptica, tenfa, increta, undique in crena offea, cava in junioribus ; fed per ætatem cava illa crena protuberat. Arterias habet membrana quafi e centro in ambitum excurrentes. Poteft in laminas dividi. Hanc proprie dictam membranam tympani extrinfecus inveftit membrana veftiens meatum auditorium externum ; intrinfecus inveftitur membrana totum tympanum internum fuccingente. Eft hæc membrana tota tympani tenfa, nifi quod non longe a centro a manubrio mallei parumper protuberet intra tympanum, habetque nervos a chorda tympani, quam faciunt duo nervi ; 1) portio dura ex aquæductu Fallopii exiens ; 2) ramulus tertii rami quinti paris, fubmaxillaris dicti, rami fecundi ; ita, ut quintum & feptimum par concurrant ad chordam tympani conponendam.

Si jam hanc inflammatio occupet, eft fæpe violentiffima ; quam femel expertus fum, & quam mecum omnes, qui experti funt, teftantur terribiliffimam effe. Summa antiphlogiftica cura opus eft ; v. f. aliquoties iteranda, fi malum pertinax ; injicienda enemata ; danda purgantia ; adplicanda emollientia & refrigerantia

cata-

cataplasmata auris meatui totique capitis laterali parti, ut cito solvatur, & si post validas evacuationes pertinax dolor pergat, paregorico sopiendus est. Si enim inflammatio pergat in subpurationem, auditus poterit in hac aure perire. Pus collectum non potest chirurgica manus apertura extrorsum ducere. Igitur vel metastasi inde ad alias partes amandabitur, vel ex loco suo sponte prorumpet, ruptis repagulis. Si in meatum auditorium externum rumpatur, fortunatum pronuntiemus, cui id contigerit; si vero disrumpatur abscessus in cavum tympani, quid inde non metuendum? Est quidem spes, ut per tubam Eustachianam effluat in fauces; sed potest tamen circa cavitatem processus maxillaris ossis temporum moram facere; aëri ibidem expositum corrumpi, membranas adjacentes & periosteum internum corrodere ac efficere sensim putredinem (cariem) ossium cum universa organi destructione; primo quidem tympani, dein etiam labyrinthi, quia fenestra ovalis & rotunda in tympano sitæ sunt.

Verum præterea subpuratio membranæ tympani potest, antequam perrumpat, erodere, destruere, aliquam ejus portionem; ita, ut peresa, perforata, maneat. Auditus inde læditur. Quibus maximam partem perit, auditus periit: si talis causa credatur adesse, ut certi simus, jubeamus illos haustum pulmone aërem naribus & ore retineant; si aperta sit membrana tympani, experiuntur illi aërem aure exire, ope tubæ Eustachii.

Tamen præsens vidi hominem tabaci fumum haurientem fistula, fumum, ore contentum, per meatum auditorium emittentem, suntque tales nonnulli, quibus auditus nihilo secius bonus est. TULPIUS *l.* I. *obs.* 35., refert, binos tales se vidisse orthopnoicos, qui

tamen inde convaluere: putat ſemper id adeſſe, ac orthopnoicos inde a ſuffocatione præſervari.

Hæc obſervatio induxit RIVINUM & VALSALVAM, ut viam naturalem adeſſe ſtatuerent, qua tympani membrana eſſet perforata. Argumenta hæc habent: ſi aquam tepidam injicias in meatum auditorium, invenies illam in cavo tympani. — Reſpondet ALBINUS, id nunquam fieri effuſione, ſed lapſu temporis transſudatione.

2) Argumentantur ex obſervatione fumi tabaci ore excepti, retenti, per tubam Euſtachianam in tympanum admiſſi ac per membranam tympani emiſſi. — Videtur eſſe vitium, quod aliquid mali præſagiat; aut eſt præternaturale quid.

3) Homines caput percuſſi ſaniem aut pus per aurem emittunt aliquando; ergo datur via naturalis. HIPPOCRATES etiam ait, *Aph.* 6—10. „caput laboranti & circumcirca dolenti, pus, aut aqua, aut ſanguis, effluens per nares, aut per os, aut per aures, ſolvit morbum." — Obſervatio eſt veriſſima, & fuerunt ſic quidam præſenti mortis periculo erepti. Egregius VALSALVA injiciens liquorem coloratum per tubam Euſtachianam in tympanum, invenit in quibusdam craniis effuſum liquorem in cavo calvariæ ſub dura matre per foraminula in oſſe petroſo perquam exigua; quæ foraminula hac arte potuit detegere; aliquando non invenit. Unde, ſi deſint, non eſt mirum, ait, quum Anatome detexerit etiam magis neceſſarias partes deeſſe homini: putat tamen, etiam plerisque adeſſe. *V.* VALSALV. *de aure, c.* 2. *n.* 14.

Hoc modo quidem incipimus conprehendere, quod effuſi humores queant ex cavo calvariæ per hæc foraminula venire in cavum tympani: hinc & intelligimus, poſſe homines apoplecticos, capite percuſſos, via naturali

turali ex cavo calvariæ dimittere ſanioſos humores per tympanum & tubam Euſt. in os, atque ſic exſpuere illos: at vero quomodo per tympani membranam? Certe potuit, dum per aures exit, ichor ille perroſiſſe membranulæ punctulum & ſic aure effluxiſſe: unde vel iterum coaleſcit foraminulum, vel ſenſim auditus læſio ab illa parte eſt metuenda.

4) Dicunt, ſe inveniſſe aperturam inducta ſeta porcina, maxime a ſuperiori parte. — Creditur rigidiori ſeta pertuſa membrana fuiſſe & ſic illos decepiſſe.

Sane mirum, nonniſi illis duobus Viris talia innotuiſſe, omnes vero alios, ſedulitate maxima & indefeſſa inquirentes, latuiſſe. Egregius RUYSCHIUS qui tot centena cadavera examinavit, ac de aure humana tam multiplicia præparata congregavit, ut paſſim in ejus operibus videre eſt, fatetur, ſe ſemel, *Theſaur. VI. No.* 124., inveniſſe tympani membranam perforatam in medio; contra omnes naturæ leges. *Theſaur. VIII. No.* 6. ait: „noto, dictam membranam tympani in hujus oſſis orbicularis ambitu nusquam eſſe læſam, neque interruptam, multo minus in hoc objecto, a natura foramine præditam; & quod nuper capſam repleverim mercurio vivo, per ductum Euſtach. adacto: nil autem mercurii exitum ſibi quæſivit, aut viam invenit ad auriculam. Dari autem in ſtatu naturali aperturam inter dictam & os orbiculare in homine, nonnulli adfirmant; *ego autem nunquam reperii.*

Tandem *Cl.* ALBINUS & ſedulo & ſæpius, ſeta ſubtili viam hanc quæſivit, nec invenit, niſi inprudenter ſetam agitando foramen fecerat. Aquam infudit cavo, reliquit ſibi; nil tranſivit, niſi forte transſudando tempore longo. Maceravit toties in aqua tympani membranam in oſſea ſua crena relictam, ut ſordes

omnes

omnes auferentur, utque tunc demum, aut microſcopio, aut alia arte, foraminulum detegeret; ſed nihil vidit ſimile.

Concludendum igitur, viam prorſum præternaturalem eſſe, qua quidam fumum ore dimittant eorumque haud invidendam eſſe ſortem, quum paſſim gravem auditum tandem patiantur, ut exempla docent.

Canalis Euſtachianus inpeditus, obſtructus; nota ex Anatomicis hic adſumitur canalis hujus cognitio; cujus principium in parte inferiori tympani, remotius a membrana tympani, ac exitus ad ſuperiora faucium ab interno latere proceſſus pterygoïdei interni. Unde intelligimus, cur ichor, ſanies, ex cavo calvariæ per exilia foramina, VALSALVÆ deſcripta, queat in cavum tympani effundi, ac per tubam Euſtachianam in fauces.

Immo mirari ſubit, materiam illam unquam per membranam tympani exire foras, quum ex tympano ſit via expeditiſſima per canalem Euſtach. in fauces; maxime, quum is oriatur ex fundo tympani. Diceremus, materiem ibidem tempus non habere, ut poſſet membranæ tympani adplicari, quum canalis Euſtach. illam illico deberet in ſe recipere.

Tamen, quum effuſionis hujus materiæ per aurem externam factæ exempla exſtent, an igitur per exigua foraminula oſſis petroſi penetrans defluit inter os petroſum, cavum tympani formans, & inter membranam, perioſtei inſtar inveſtientem tympanum (*)? An decur-

(*) Oportet, ut membrana inſtar perioſtei cingens totum cavum tympani quoque perforata ſit non viſibilibus foraminibus; quia vidit VALSALVA atra-

currens ſic inter os & membranam defluit ad membranam tympani eaque perroſa effluit per meatum auditorium externum ? Si hoc verum eſſet, tunc intelligeremus, internam tympani membranam inlæſam manere efficereque ut, quamvis pus extrorſum flueret, communicatio tamen non daretur aëris incluſi in tympano per membranam tympani perforatam cum aëre externo. Si vero materies ſic ex cranio per oſſis petroſi foraminula veniens inter os & membranam ad membranam tympani veniret, tum perroderet membranam internam, caderet in cavum tympanum poſſetque tuba Euſtach. dimitti in fauces; atque iterum hac vice integra maneret ipſa tympani membrana, cum ſua membrana externa ad meatum auditorium.

Hæc illa tuba Euſtachiana eſt, qua intrat aër, dum clauſo ore ſternutamus; unde tunc ingratus ille bombus & fremitus in aure interna. — Hæc illa tuba, quæ, membranacea quaſi extuberantia patens ad guttur in ſynanche & maxime in paraſynanche, ſimul inflammatur per ductum ſuum; ita, ut in hac anginæ ſpecie auris interna ſimul doleat. Sunt epidemicæ anginæ, quæ ſemper comitem talem habent internum auris dolorem. In lue etiam venerea, dum fauces exulcerantur, dolor aurium ſæpe adeſt: væ tum illis, ni brevi curentur! — Hæc illa tuba, cujus ope fit, ut ruditer aurem externam ſcalpentes inſtrumentulo, titillemus fauces & tuſſiamus. — Hæc eadem tuba, cujus valvuloſa veluti in fauces apertura clauditur, ut videtur, per contractionem muſc. kephalopharyngæi; ne deglutienda

---

atramentum per tubam injectum transſudaſſe in cavum calvariæ. *de* H.

tienda in hanc viam inpellantur. — Hæc tuba, dum lues venerea adficit fauces, ſæpe dire exulceratur, exulcerata concreſcit, quia ibi loci membranacea eſt, inmedicabili oriente ſurditate: licet enim lues venerea curetur, non aperitur inde concreta tuba; hac omnino concreta aufertur communicatio aëris externi internique, ad auditum requiſita. Si in utraque aure id fiat, ſurditas perfecta, aut bombus tantum: ſi in alterutra, ſurditas ab hac parte. — Ope hujus tubæ ſurdi ſonum percipiunt inſtrumenti ſtriduli, dentibus interpoſiti. — Per eamdem demum tubam quandoque auditus difficilior utcunque emendatur. Vidi, qui ægre intelligerent, quæ ad aurem dicebantur, melius autem intelligerent, ſi quis per cornu cavum pervium, in eorum ore apertum, loqueretur. His forte tuba glutine ſemiobſtructa faciebat κόφωσιν; ita, ut nunc aër, violentius motus pulſusque per tubam, faciat ſonum acutiorem. Ipſi ruſtici & plebeji morem inurbanum habent, os late diducendi, dum bene audire voluut.

Oſſicula a nexu ſuo ſoluta &c. Quid hic remedii? Nullum.

Aut oſſicula abſentia per malam conformationem; ut in ſurdis a nativitate inventum, poſt eorum mortem.

Exſiccatio &c. Talia poſſe contingere, merito concludimus; verum, quum partes hæ tam profunde abſcondantur, certo determinare non poſſumus. Hinc ex oculorum malis forte quinquaginta cognoſcemus & rite diſtinguemus, quia partes multæ magis ſub conſpectum cadunt; dum vix pauca cognoſcamus in organo auditus, ideoque in oculorum malis pluribus apta medela datur, quam in malis aurium.

Me-

Methodicam curam propofiturus, dicam modo, ea, quæ in meatu auditorio externo hærent, mala maxime curabilia effe. Si vero ille meatus ad tympanum usque bene habeat, & dolores fint magis interni, fumma antiphlogiftica cura inftituta juvare poteft.

Si externe nulla figna adpareant, & nullus adfit in interioribus dolor, homine tamen furdo, inquirendum, an femper æque furdus; an vero quibusdam diebus, aut anni tempeftatibus furdior, vel auditu valentior, fit? Inquirendum, quidnam, quo tempore pejus audit, in aëre, in victu, in retentis, aut excretis, in animi corporisque motibus, mutatum fuerit? Ita v. c. folebat homo bene audire, poftquam ad certa anni tempora largo fluxu fanguis naribus exiret, aut hæmorrhoidibus. Ergo plethora gravem auditum in eo videtur facere. Cura in tali primum eft folutio plethoræ præfentis: tum cavere futuram; ut homo fe motu exercens non ultra generet abundantiam, fed diffipet. — Solebat v. c. homo alius bis, ter, quater, in anno diarrhœa ferofa adfligi & paullo poft melius audiebat; hoc anno non habuit hanc diarrhœam, vel habuit parciorem; nunc jam fere furdus eft. Ergo hic colluvies ferofa peccat, nervorum involucra inplens, nervos conprimens, quibusdam in locis: curaturus arte faciam diarrhœam. — Solebat tertius bis, ter, in anno ventrem folvere, per ventrem educere glutinofa multa, quibus fuum temperamentum abundabat, ope phlegmagogi remedii, tuncque paullo poft melius habebat; jam vero a longo tempore negligens hoc furdus eft: ergo novimus, phlegma adcumulatum in caufa effe; damus itaque purgantia, qualibus antea ufus fuerat. — Solebat alius denuo calido-humido aëre bene audire, vento frigido, ficco, minime; vel vice verfa: jam novi, membranam tympani internumve tympanum, cum fuis mufcu-

musculis, vel nimis laxam, vel nimis siccam esse. Vapore emolliente primum emendo, fumo roborante alterum. — Hyeme 1758 in juvene surdastro in nosocomio factum examen, glutinosam ostendebat diathesin per omne corpus. Egimus modo in hanc, & ea ratione auditus ipsi bonus factus est.

Nonne tali examine, videtis, A. A., nos saepe in intimam mali causam pervenire? Nonne sic in his tenebris certa lege & firma methodo, ad ipsam curam progredimur; sive plethoram praecavendo, antequam generata sit; sive serositates evacuando; sive phlegma incidendo educendoque; sive corpus humectando, aut exsiccando roborandoque?

At vero horum signorum nobis patente nullo, an desperabundus homo relinquendus?

Necdum; raro enim desperandum est. Exempla visa sunt hominum, qui, omnibus incassum adhibitis, opem multam experti sunt Aquisgrani. Lanugine, aut gossypio, meatus auditorius primo obplebatur, ne nimis agitarentur; tunc subdebantur, aure in altum versa, sub embroche, sive sub lapsu (stillicidio) ex alto aquarum calidarum thermarum. Fiebat hinc motus continuus, tremulus, concutiens, per aurem totam & quandoque discutiens obstructiones inveteratas hujus organi. Defectu thermarum, possumus aquae resolventis lapsum (stillicidium) in aurem facere; vase in alto lacunari suspenso, ex quo aqua continuo elabitur.

In nosocomio practico hominem a triennio surdum per binos, & ultra, menses quotidie exposuimus embrochae aqua communis, in qua mars & sal ammoniacum esset solutum; qui ita convaluit, ut fere instar sani hominis audiret.

2) Mercurialis salivatio, si lues adforet, nec esset penitus coalita tuba Eustach., (aut cariosae hae vel

illae

illæ partes organi), profuit mire, curata lue; etiam tubæ Euſtach. uſus (nonnunquam) reſtitutus eſt. Immo & citra luem ptyaliſmus viſus eſt ſumma humorum fuſione profuiſſe.

3) Loco ſalivationis nos ſolutione ſublimati, minori difficultate, majori effectu, ſolveremus in profundis concreta.

4) Profuiſſe quandoque viſa ſurdis gargariſmata ex decoctis acrioribus pyrethri, ſinapi, beton., &c.; quibus a glutine obturata tuborum Euſtach. orificia aperirentur, ſicque aërem denuo admitterent. Profuerunt injectiones ex ſapon. venet. ℥j., thereb. ℥ß., aq. nivis ℥viij., tinct. benz. ʒij. Si æger non poſſit ferre penetrabilitatem hujus, adjicitur ol. amygdalinum: in aurem liquor ille injicitur & goſſypio meatus clauditur: liquore ſaponaceo dein auris eluitur. Prodeſt in duris ad fundum meatûs concretionibus: ita DETHARDING *Ephem. N. C. Cent. V. VI.*

§. 851. *Etiam vitio aëris externi;* ut jam dixi, & ut explicabo mox, explicaturus *Aphor.* HIPPOCRATIS.

Tum inprimis his nocent morbi illarum arteriarum; ut ante explicui.

Inde facilis intellectus tinnitus; qui eſt quaſi continuus acutus ſonus; *bombi*, qui eſt ſonus continuus, gravis: *echus*, veluti ſoni recurſionis, reduplicationis, repercuſſionis; *ſuſurri*, quaſi eſſet ſonus adſiduus aquæ ad cataractas præterlabentis. Hæc omnia oriuntur, prout partes hujus organi aut ſicciores, aut humidiores ſunt; vel prout aut tenſæ magis, aut laxatæ ſunt; vel prout major minorve obſtructio, aut inflammatio, hanc illamve partem, has illasve arteriolas, adfecerit. In

morbis acutis horum aliquando perpetuæ exaudiuntur querelæ, ut & poſt plagas capitis.

§. 852. *Si tandem omnia hæc vitia &c. - - - ut ex dictis patuit, hincque loquelæ vel ignorantia, vel oblivio.* Non datur fere animal magis mutum, quam homo a nativitate ſurdus: nec facile dantur duo tales muti, qui a nativitate ſurdi ſunt, qui inconditum ſonum eumdem proferant. Igitur in his adeſt perfecta fere *loquelæ ignorantia.* (*)

Loquelæ oblivio, licet non generaliter, communiter tamen obtinet in iis, qui perfecte obſurdeſcunt; haud aliter, quam pſittaci obliviſcuntur, quam didicerint, loquelam, ubi per longum tempus a commercio hominum ſeparati deguerint; aut ſi alia verba ſubſtituantur. Hoc adeo verum, ut exempla viſa ſint hominum, qui, olim bene audientes, dein obſurduerint, ac

(*) Attamen deplorabili vitio huic auxilium inveniri cœptum a WALLISIO Britanno, perfectum vero a *Joanne Conrado* AMMANO: hic enim docuit, quid ars poſſit in ſurdis natis: exemplo filiæ ditiſſimi mercatoris Harlemi, Dom. KOOLAARD; quæ ingenioſa puella didicerat ex motu labiorum AMMANI diſtinguere vocales, conſonantes, tandem, viſu rerum, quæ dicebantur, ex motu oris didicerat, quomodo illa res exprimeretur, ſic didicerat ſcribere easdem, pervenitque eo, ut concionem, in templo exauditam, domi ſcriberet. Res poteſt apud AMMANUM legi & teſtes habet totam magnam urbem Harlemum, totamque Hollandiam.

ac debuerint iterum multa vocabula addiſcere, quæ, reſtituto auditu, plane ignorabant. Ita haud raro obveniente perfecta ac perennante ſurditate fit, ut homo, vivax olim & lepida ſua lingua omnibus gratus, annorum lapſu fiat omnium inmemor, & demum, ſtatuæ inſtar, elinguis ſedeat excutiatque lacrymas amicis, qui ab aliquot annis ipſum non viderant. Jam intelligitis, quam parum fidendum ſpecioſis titulis, univerſaliter curam promittentibus & tantum in dato caſu peculiari juvantibus, immo ſæpe nocentibus. Ita eſt *aqua acouſtica*, *p*. 3. DISP. VIENN. (antiqui), parata ex omnibus calidiſſimis rebus, cum urina & vino generoſo deſtillata: laudatur ad caſum omnem; quanta dementia! — *Balſamus polychreſtus*, *p*. 34., pro aurium tinnitu, externe, interne. — *Eſſentia acouſtica*, *p*. 82., externe ad auditus læſiones, tinnitum, ſibilum. — *Oleum acouſticum ambratum*, *p*. 129., ex incidentibus & calidiſſimis paratum, generali titulo commendatur; „ in ſurditate, auditus gravitate, & tinnitu conducit; aurium apoſtemata rumpit, & ulcera manantia curat."

In genere dicendo nocent talia, niſi frigidiſſima & laxiſſima eſſet membrana tympani. Cæterum exurunt partes, glandulas ſebaceas criſpant, obſtruunt, membranam tympani conſtringunt, inflammant: neque, quo caſu juvant, unquam (alia ratione) proſunt, niſi frigidum & laxum vitium peccet in meatu auditorio externo. Si enim deberet penetrare, deberet eſſe apertura in membrana tympani, quam adeſſe negavimus antea, niſi præternaturaliter. Jam vero, quis mortalium auſit, ut in hoc titulo ſcribitur, hæc calida urentia adplicare, ubi apoſtema eſt aperiendum? An non poſſet ita criſpari membrana, includens pus, ut nunquam perrumperetur? Quod autem laudetur etiam ad ulcera

manantia curanda, ſcitis, quam caute agendum in his eſſe, dixerimus.

Reſtant explicandi *aphoriſmi* Hippocratis.

Aph. 4—49., & 7—73. expoſiti ſunt poſt *morbos oculorum.*

Aph. 3—5., & 3—17.: teſtantur Muſici, cœlo ſereno & borea flante concentus muſicos amœnius reſonare, quam auſtro, humido cœlo: in priori nempe aëre inſtrumentorum, ſive organorum partes (chordæ inprimis) ſiccantur & adcurtantur, in poſteriori humeſcunt & elongantur. Sunt homines, qui in aëre nec ſicco nimium, nec nimis humido, tolerabiliter audiunt; ſi vero exceſſus aëris major ſit in humiditate, aut ſiccitate, gravem habent auditum.

Sunt homines laxi, flante diu borea optime audientes, quibus mox auditus gravis fit, ubi tempeſtas mutatur in tepidam humidam: his tunc eſt membrana tympani, forte & reliquæ in aure partes, laxior, quam ut ad inlapſum radiorum ſonororum ſufficienter contremiſcat. Sunt, quibus auditus modo bonus, aëre humido calido; minus bonus aëre ſicco frigido. His membrana tympani ſtrictior, ut contremiſcendo pariat auditus confuſionem. Eſt cum omnibus fere idem, uti cum aſthmaticis, quorum alius habet paroxyſmum eo tempore, quo alius pancratice valeret.

Aph. 3—31. „ Senibus autem &c.“; ut in *oculorum morbis* dictum. Recenſet Hippocrates omnes morbos ſenum, oriundos a vaſis rigidis, humoribus pituitoſis, lentis, iisdemque acrioribus. Mirum omnino nihil, etiam citra aëris diſpoſitionem, morbis illis excitandis faventem, gravem auditum oriri a ſanguine ſpiſſo, mucoſo & acri, ſtagnante in vaſis tenerrimis & tamen rigidis.

Aph.

Aph. 4—28. „ Quibus biliofæ &c." Per *biliofas egeftiones* HIPPOCRATES intelligit in acutis motam criticam alvum, flavam, a materia morbi foluta ortam, & morbi, five perfectam, five incipientem, aut etiam inperfectam, crifin facientem. Porro, quando morbi acuti materies mobilis fit, non fimul & femel, neque confequenter, exit de corpore: pars exit; fi jam expeditus motus fit per totum corpus perque omnia ejus vafa; excretio per alvum continuat ad perfectam materiæ expulfionem: fi vero fiat, ut hinc inde vafa non fatis fint permeabilia, mota materies ibi quandoque retardatur. Sic, fi in febri acuta, tempore critico, incœperint criticæ evacuationes per alvum fieri, & interim arteriæ circa aures non fatis patulæ motam materiem febrilem retardent & detineant, fit furditas; ut in noftris ægris quandoque vidimus: mox tunc opus naturæ quafi fiftitur & ceffant pro tempore tales alvi biliofæ. Si id brevi folvatur, nihil mali; verum novi, quibus per annos jam manferit ibidem talis depofitio & auditum utraque aure penitus deftruxerit.

Etiam fit, ut morbi materies ante ullam fui evacuationem oberrans per vafa, faciat furditatem: furditas hæc fæpe eft inter figna futuræ crifeos. Si materies morbofa tunc incipiat moveri ad alvum, ibidemque copiofa, flava, non admodum conpacta, prodeat & prodire pergat, furditas fenfim folvitur, fine relicto in auditu vitio. Hinc videmus fundamentum prognofeos ex furditate in acutis.

Cæterum tinnitus aurium, aut bombus, aut auditus gravis, aut furditas, in morbis acutis, femper mala: vel enim phrenitidem prænuntiant; vel aurium minantur futuram læfionem: ita HIPPOCRATES toto *cap.* 3. *l.* 3. *Coacar.* omnia hucusque dicta confirmat. Ergo

go furditas, aut auditus gravis, tantum bonæ, quando morbus coctus eft, & crifis inftat, aut fit

Aph. 4—60. „ Quibus &c.“ De alvo jam dictum: de hæmorrhagia narium non eft opus, ut dicam; quandoquidem materies morbofa in fanguine circumvecta, & fanguine prodiens, delitefcit fub eo ac effectu certo, ex tot crifibus noto, ibidem latere probatur. Fluente ergo materie morbofa cum fanguine, in quo hæret abfcondita, ut fæpe hæret in urina, mox ubi miffa eft, & ubi poft quietem aliquam incipit prodire; non eft mirum, furditatem tunc folvi; carotis enim tota externa fe a materie morbofa per nares liberat.

Simul, crediderim, advertitis, quod HIPPOCRATES dicat, Medicum debere refpicere ad anni conftitutiones & ætates ægrorum, in morbis, qui nil commune videntur cum furditate habere. Igitur, fi in acuto morbo aër fit talis, ut laxet nimium fibras circa tempus crifeos, poffumus ibidem talia fymptomata exfpectare.

§. 853. *Olfactus etiam minuitur* &c. (Præmifit hic HAENIUS ampliorem defcriptionem olfactus organi: quum vero hæc omnia ex Anatomicis & Phyfiologicis nota effe Lectoribus merito fubponam, ac in illa peculiarium obfervationum nil deprehenderim; non requifitum ratus fui, ut hic inferatur.)

Olfactus minuitur, *aut tollitur* 1) *defectu* illarum cavernarum, quibus augetur membranæ Schneiderianæ, feu mucofæ, fuperficies. Sunt enim homines, quibus finus frontales parvi admodum, adeoque fuperficies membranæ olfactoriæ minor. Idem verum de iis, quibus antra Highmoriana minora, ut & quibus offa fpongiofa minus porofa, minus ferrata adparent. Quo enim fuperficies mem-

membranæ major, eo, cæteris paribus, acutior odoratus; docente manifesta instantia in canibus venaticis.

2) *Membranæ olfactoriæ siccitate:* sive enim mucus incrassatus obtegat nervos olfactorios; sive novus non secernatur, præsente jam siccescente nervosque obtegente; sive tenuissimus pulvis aëre volitans muco inretitus fuerit; olfactus perit. Particulæ odoriferæ nudos jam non tangunt nervos pulposos, sed intermedio corpore inretiuntur. Id porro omnes sæpe ab his causis experti sumus.

3) *Humiditate;* quia, si nares nimium humescant, v. g. in gravedine, abluuntur particulæ odoriferæ, ut nervis adplicatæ manere non possint; præterquam, quod humiditas nimia membranæ reddat illam fungosiorem, nervos proinde plus conprimentem.

4) *Inflammatione;* quæ in coryza levis, quandoque gravis: eo tempore turgent vasa & conprimunt pulposa nervorum: quum etiam inflammatæ hæ partes nihil, præter aquosum transmittant, dum interim a tergo accipiant, turgent adeo omnia sic, ut apertura claudatur, qua nares cum faucibus communicant: hinc homo tunc non potest adtrahere effluvia. Dum enim olfacere volumus, adtrahimus aëra fortius & crebrius, ut effluvia odorifera nervis adplicentur: porro id in coryza facere nequimus.

5) *Subpuratione;* quæ hic aliquando magna, quum latissima sit membranæ superficies & vasa copiosa aëri nudo exposita jaceant; hinc lata facta inflammatione, lata magnaque fit subpuratio. Si videamus, quoties in vita contingat, ut hæc membrana inflammetur & pus verum copiosum det, miramur, cur olfactus non citius pereat. Sed, si consideremus ex experimentis, olim visis, id patescere, quod subpuratio sæpe sine ulla vasorum destructione fiat; a transsudatione nimi-

rum materiæ phlogiſticæ per vaſorum extremitates; intelligimus ſponte ſolutionem hujus difficultatis.

6) *Gangræna;* ut ſæpe a lue venerea; ut etiam bis ab aphthis natam vidi.

7) *Conpreſſis olfactoriis nervis per tumores quoscunque hic enatos, exoſtoſes;* quando os corruptum naſi, aut ethmoidale, aut unguis, tumet, nares anguſtat, tum ſane membranam corrumpit.

8) *Polyposque;* conprimentes nares, obturantes, & aëra ſæpe totum intercipientes.

Quid porro POLYPUS NARIUM, dicendum paucis. Eſt tumor præternaturalis in alterutra plerumque, quandoque in ambabus naribus, enatus; major, minor; durior, mollior; indolens, dolens; benignus, malignus; tenui latave baſi adhærens; inpediens aëris per nares, aut narem, transitum; ſæpe excreſcens per poſtica faucium; inpediens actionem veli penduli palatini in deglutitione, aliorumque muſculorum, deglutitioni inſervientium; haud raro quoque, ob conpreſſionem canalis naſalis, faciens fiſtulam lacrymalem.

Originem habet ex tota amplitudine membranæ pituitariæ, adeoque ex naribus, ſive pinnis, ſive ſepto; ex omnibus interſtitiis oſſium ſpongioſorum, lateribus vomeris, ſinubus oſſis multiformis, ſinubus frontalibus & maxillaribus: ex quibus omnibus locis oriri poſſe polypos, docuerunt obſervata. Narrantem audivi *Cel.* OOSTERDYCK-SCACHT, ſe in binis cadaveribus originem polyporum vidiſſe in ſinubus ſphœnoidalibus.

Cauſæ ſunt, temperamentum & diæta glutinoſa; unde hæc membrana ſic infarcitur, ut in tumores glutinoſos excreſcat: vulnera, exulcerationes narium, pilorum in naribus violentiores extractiones, acria ſter-

nuta-

nutatoria nimis adſumta, hæmorrhagiæ crebræ narium.

Prognoſis varia. Si in ſolis naribus, ſi indolentes, ſi baſi tenui adhærentes, potius ad nares, quam in ſinubus, aut ad os ſpongioſum, enati, facilius arte auferuntur; qui vero aut lata baſi, aut ex oſſibus ſpongioſis, aut ex ſinubus, oriundi, in his obpoſitum obtinet. Si ſimul corpus eſt lue venerea obſeſſum, & forte oſſium caries produxerit polypum; aut ſi polypus malignus, cancroſus, cariem oſſium jam produxerit, acerba prognoſis.

Curatio tentatur aut medicamentis, aut ligatura, aut ferro.

Medicamentis primo tentetur curatio leni adſtrictione, ſi ſit recens malum, mollisque tumor. Pulvis ſalviæ, rad. tormentillæ, argentin., cort. ſimarubæ, aluminis, adplicetur ſæpius de die tumori; interea dum materies illa mollis omni ratione aliorſum derivetur, ita aliquando fit, ut, amota materie, membrana externa plurimum corrugetur. (*)

Unde veſicantia ad nucham & purgantia phlegmagoga hic multum facerent; niſi forte plethora poſtularet

(*) Filia devota *Anna* VAN THIEL Hagæ-Batavorum habebat, 60 annos nata, polypum, naribus ſæpe exeuntem, & fœtidam materiem ſtillantem. Habuerat hunc ab annis multis: curabat ipſa pulvere ſabinæ. Emendabatur ſic fœtor & contrahebat iterum ſe polypus. Hac ratione per octodecim annos, dum aliis incommodis & febribus ſæpe adficiebatur, ſæpiſſime facientem vidi. Cum omnibus his nonagenaria major demum mortua eſt. *de* H.

ret primo ſui per v. ſ. evacuationem. Igitur purgantia ex maſſ. pil. Ruff. cochiæ, extract. catholico, cum aloë, ſcammon., mercur., trochiſc., alhandal, ſap. venet., tartar. vitriolat., tartar. regenerat. &c.

Si his, ſæpe repetitis, aliquid lucremur, pergendum acriter, ut debellemus malum penitus; ſin minus, operatio chirurgica eſt adhibenda, quæ 1) ligatura; 2) exeſione; 3) exſciſione; 4) extractione; 5) exuſtione inſtituitur.

Exeſio & exuſtio crudeles curæ videntur, nec fere proficuæ: cæteræ tres, vel radicitus curant, vel pro tempore, malo deinde fortiter repullulante. Unde monendi ægri, ut, ſi velint operationem ſubire, culpam in artem non rejiciant, ſi rebellet malum.

At vero talia non poſſunt inſtitui, niſi malum ſit in anterioribus naſi; ſi enim ad oſſa ſpongioſa, vel in ſex ſinubus, hæreant polypi, ligatura, aut abſciſio, eo pervenire non poſſunt: unde poſt breves inducias denuo repullulat malum.

Sunt tamen homines, qui per annos fere inculpate gerant polypos, dum cavent, ne irritentur.

Qua ratione autem ligaturæ, aut extractiones, aut exſciſiones polyporum fiant, apud HEISTERUM aliosque Auctores chirurgicos, videri poterit.

Sarcoma naſi vix videtur diſtinguendum a *polypo* molliori, benigno; ſed ſolet peculiari titulo a Chirurgis recenſeri.

4) *A vitiis in cerebro ad originem horum nervorum, ut ante jam dictum in aliis ſenſibus.* Si nervi olfactorii in itinere ex medulla oblongata conprimerentur, ſi foraminula oſſis cribroſi, vel oſſe excreſcente, vel membrana duræ matris mamillares nervos comitante,

con-

conpleantur, ac præ tumore nervi conprimantur, certe olfactus haud fiet.

Depravatur etiam [*olfactus*] *a fœtore materiæ cujuscunque in locis his cavernosis stabulante, atque adsiduo exhalante.* Hic explicandus est fœdus narium morbus, OZÆNA dictus; significans membranæ mucosæ putridam exulcerationem.

Origo mali hujus a cacochymia pituitosa, rachitica, scorbutica, venerea: quibus hominibus mucus acer, stagnans in ultimis vasculis membranæ pituitariæ inflammationes, exulcerationes, corrosiones, exesiones facit, quæ proserpentes & sæpe stagnantes maximeque aëri semper expositæ, fœtorem spirare solent.

Nunquam violentius hoc malum adficit hominem, quam dum in cavis frontalibus, sphœnoidalibus, aut maxillaribus materies talis facit inflammationes & exulcerationes in pituitaria membrana; vel quando os cariosum factum est, quod investitur in his sinubus a membrana pituitaria, ab eoque carioso membrana corrumpitur; sive quando in corpore cacochymico dentis canini aut molarium radices, perforato alveolo, in cavum Highmori penetraverint, perpetuoque irritent hanc membranam. Diu enim hæret ibi corrupta materies, antequam effluat; est enim ea horum sinuum, maxime sphœnoidalium & maxillarium, conditio & situs, ut, licet aliquid effluat, tamen non evacuentur.

Tandem, si malum oriatur ex adfectis ossibus & dein membranis, sive in lue venerea, sive in tali humorum cacochymia, qua ossium caries nascatur; origo mali; si curabilis sit, curabitur forte & ozæna; sin minus, ozæna talis corrodit omnia ad mortem usque.

Co-

Cognoſcitur materiæ ſanioſæ effluxu, narium margines corrodentis; fœtidæ primo parum, ſenſim fœtidioris; narium intumeſcentia interna, ut aër nequeat transmeare; quandoque intumeſcentia narium externa, dum nempe oſſicula naſi, oſſa unguis &c. adficiuntur; immo totus oculus perverti poteſt, ſi os ſpongioſum ſuperius adficiatur, adeoque & os planum & unguis.

In his facile videmus, prognoſin prudentem dandam eſſe; quamvis benigniorem dabimus, ubi lues venerea in cauſa non eſt, ubi oſſa necdum adfecta videntur, ubi malum diu non duravit, ubi ſpes eſt curandi temperamentum.

Igitur, ſi ſcorbutus, aut rachitica materies peſſima in cauſa fuerit, tunc corpora inplere oportet decoctis lignorum, v. g.

℞. Ligni & cort. ſaſſafras ℥iij.
— — — guayac. ℥vj.
paſſular. exacinat. ℥iv.
trifol. aquat.
chamædr. aa. m. iij.

Macerentur aq. p. per xij. horas; vaſe clauſo bulliant per trihorium, ſub finem addendo:

glycyrrhiz. ℥ij.

Colat. pint. iv. d. uſ.: ſumat quater de die ℥v. calide.

Reliquæ maſſæ ℥iv. ligni guayac. poſſunt addi & decoqui per aliquot horas, ut colat. pintar. v. ſit pro potu ordinario, ad lubitum ſumendo.

Dum incipiunt humores mobiles fieri, necdum augetur perſpiratio, juvabit purgans phlegmagogum aliquoties datum, ut

℞. Maſſ. pil. extract. cathol. gr. xij.
mercur. dulc. gr. iv.
trochiſc. alhandal gr. j.
ſpir. vin. q. ſ.; f. pil. n. 10. pro una doſi.

Mox

Mox ubi incipit dispoſitio fieri ad ſudores, aut perſpirationem, homines illi in ſedili perforato, vel in lecto ſub craticula, accenſo ſpir. vini ad ſudandum disponantur; ita, ut ſemel, vel bis, de die per $\frac{1}{4}$ aut $\frac{1}{2}$ hor. ſic ſudoribus diffluant. Hac ratione deſperati quandoque curati ſunt. (*)

Dum hæc fiunt, ad ipſum locum adfectum depurantia remedia ſunt adhibenda. Mel roſar., mel chelidon. &c. cum decoct. hordei injiciantur aliquoties de die, & plumaceolis ſæpe renovatis, in quantum poteſt, loco adfecto adplicentur. Si detergentibus majoribus opus, decoct. lign. mel tale addatur & injiciatur adpliceturque; ſi plus, aliquid ung. ægypt.; aut Fel. Würzii fuſci adhibeatur.

Tandem ad ſiccantia deveniatur ex bolo, lap. hæmatit., flor. balauſt. &c.

Plura exempla adſunt, curatæ hac methodo ozænæ narium.

At vero, ſi lues venerea in cauſa ſit, ea quandoque quidem methodo exſiccanti, nunc expoſitæ, obaudiet; quandoque minime: unde tunc cura per mercurium, ut in lue venerea, inſtituatur.

Si vero ozæna naſcatur in ſinu maxillari, a protruſa ibidemque inritante mucoſam membranam radice dentis, cura peculiaris eſt: plures tales curavi.

Cognoſcitur hoc, 1) ex prægreſſa odontalgia; 2) ſæpe ex ulcuſculis gingivarum prope locum adfectum; nam fit plus minus carioſa maxilla; 3) ex tumore in genis,

(*) In deſperatiſſimis fumus cinnabaris inverſo & ad id parato infundibulo naribus exceptus, profuit, ſed prudenter vocetur in uſum: novi aliquos inde in ſalivationem incidiſſe. *de* H.

genis, ab adfecto osse tumente gena; 4) ex effluxu fœtidi humoris, dum homines illi in sanum latus incumbunt: scitis enim, sinus maxillares a latere narium sese exonerare in nares: sed, etsi id faciant homines sæpe, tamen situs hujus sinus est, ut integre haud evacuetur; unde stagnans perpetuo materies pessumdat totum antrum, cujus lacunar, quum partem orbitæ faciat, potest oculum pessumdare.

Igitur primus, secundus, tertius molaris, quandoque caninus, evellantur, & si effluat copiosa materies putrida, novit Chirurgus, viam sibi patulam, qua possit injicere mundantia, detergentia; v. c.

℞. Herbæ marrub.
— scord.
— alliar. aa. m. ij,
ebull. f. q. aq. p. per $\frac{1}{2}$ hor.; colat. pintæ adde
mel. rosac. ℥ij,
elix. propriet. sine acid. ℥ß.

Quovis trihorio talis liquor injiciatur in apertum in ore foramen, jubeaturque homo, ne deglutiat illa fœda, quæ exstillant. Possunt tempore somni, foramini intrudi plumaceolæ, ut retineatur materies, alioqui continuo stillatura in fauces, in rimam glottidis; adeoque vel tussim, vel inlapsum sui factura. Tunc mane, educta plumaceola, effluit putridus liquor. Interea corpus antiscorbuticis & decoctis lignorum, repleatur, ut os adfectum eo citius curetur: sub finem ad siccantia deveniendum; pulv. mastichis, olibani &c.

Nunquam quietem concedite hominibus, quibus id malum nascitur. Sæpius narravi Vobis (in nosocomio) me misere pereuntem Domicellam vidisse, quæ nunquam permittere volebat, sibi dentes extrahi.

Est

Eſt denique adhuc in hoc narium territorio alius morbus advertendus.

In ſinubus frontalibus deprehenduntur VERMES & heteroclyta animalia nidulare & ſic odoratum lædere. *Magnus* BOERHAAVIUS, hujus obſervationis gnarus, judicavit, Roterodamenſem puellam, filiam mercatoris annonæ, kephalæa incurabili laborantem, hoc malo adfictam eſſe: 1) quod perdite, & ſtulte, adamaſſet ſemper florum odores, quos cubiculo, menſæ, pectori, admotos perpetuo vellet; unde facile ovula inſectorum poſſent naribus ſuſcipi; 2) quod dormiret prope ingens horræum, in quo vis frumenti ingens ſæpius, ne ſitum contraheret, agitabatur; quo tempore millena animalcula eorumque ovula, in aëre volitant. (*) *Acta Phyſico-med. N. C. Vol. III. N.* 90. habent hiſtoriam feminæ, a kephalæa pertinaci mox liberatæ, excretis duobus vermibus ex naribus. Curavit B. illam puellam fumo cinnabaris, in nares directo, ut & decocto tabaci, per nares adtracto. Prudentia, jam antea dixi, opus eſſe, ne ſalivatio fiat ab hoc fumo, & ſi purgemus eo tempore, caveamus a mercurio intus dando cum purgantibus. Decoctum tabaci eſt optimum, ſed caveant ægri, ne quid deglutiant; nam non adſueti vomitu enormi & alvo corriperentur.

Circa

(*) Retulit hanc obſervationem una cum nonnullis aliis *Cel.* AUCTOR etiam in *hiſtoria vermium: vid. Tractatum de vermibus & ictero*, operis hujus *Tomo II.* adnexum, p. 12. *de* W.

Circa olfactum pauca notanda habeo ex HIPPOCRATE: tamen convenit *aphorismus* hic, qui a nobis laudatus post morbos auditus, 6—10. „ Capite dolenti &c. " Sane vidimus, kephalæam diram oriri posse ex adfectione sinuum frontalium, v. g. a vermibus: apud TULPIUM, *l.* 1. *c.* 32., etiam casus recensetur, ubi homo a rebelli ac diuturna kephalæa, convulsionibus stipata, liberabatur, plurimo pure naribus expulso. Igitur, si inflammatio, subpuratio nascatur in sinubus his frontalibus, si in sinubus ossis cuneiformis, potest aliquando tumor, ab adfecta membrana natus, inpedire, quo minus efflueret sanies. Igitur, si post tales kephalæas diras via aperiatur, qua ex illis sinubus materies per nares effluat, solvitur morbus.

§. 854. *Gustus quoque inminuitur, tollitur, depravatur &c.* (Descriptio organi ex Anatomicis denuo ac Physiologicis nota subponitur.)

Vitium gustus fit

1) Si papillæ gustatoriæ linguæ obducantur crusta, sordibus, muco, aphthis &c.

2) Si extremitates arteriolarum in lingua non exhalent rorem tenuissimum; vel ob frigus, aut constrictionem ab austeris, aut humores non satis tenues. Si humores boni, sed tantum oscula ultima constricta, humectatione & tepore possunt aperiri, & exhalatio restitui. Interea vero temporis, quo adstrictio illa non est soluta, perit sapor; quia arteria obstructa circa fines suos turget a continuo advecto humore: ergo necessario nervi in papillis conprimuntur, adeoque apti non sunt, ut sapidis adficiantur.

Deinde, si humores sint spissiores, quam ut exhalent, spissus humor coacervatur in fine vasis, conpri-

primuntur denuo papillæ cum nervis ; unde etiam ſapor tollitur.

Dum vi vitæ expellitur per ora vaſorum ille craſſus humor, naſcitur cruſta plus minus tenax, neque ſaliva facile ſolvenda, quia illa ob eamdem rationem etiam minori copia ſecernitur. Naſcitur tunc cruſta mucoſa, alba in linguæ ſuperficie, ſæpe maxima in medio dorſo linguæ, quia linguæ ſuperficies hirta papillis retinet facilius materiem ſpiſſam ; quum & maxima papillarum inæqualitas in medio dorſo, hinc ibi cruſta firmior, denſior.

Si vi vitæ per obſtructa vaſcula exprimatur ſpiſſa flava materies, ſimilis illi, quæ a phlogiſtico lentore fit, naſcitur cruſta flava; qualis etiam produci poterit, tum aquoſo pauco difflato, tum & mota bile.

Si magnus ardor in corpore, videmus cruſtam fieri fuſcam, immo lividam & nigram ; uti nonnunquam cum muco narium fit, per noctem hærente in poſticis narium. Sed cavendum, ne his cauſis tribuamus, quod a medicamentis fit ; nam & hæc colorem linguæ mutant, uti v. c. roob ſambuci cruſtam albam linguæ nigro calore tingit.

Sordibus ; quum ipſa materies in lingua depoſita firmiter inhærens, corrumpitur ſtagnatione atque ſic colore mutatur. Præterea ſumunt ægri quandoque alimenta, aut medicamenta, ſpiſſiora, vel colore vario prædita, quæ colorem linguæ mutant & ſimul materiem adponunt, cruſtamque augent ac ſordidiorem faciunt; ſordes, corruptione, ab aëris contactu, accedente, nonnunquam fœtentium, ſemilacerarum, pellicularum forma ſuper linguam fluctuant, atque tunc merito lingua talis *ſordida* adpellatur.

Muco; oriente vel ob alimenta, vel ob remedia glutinoſa papillis linguæ adhærentia. Præterea, dum membrana pituitoſa in morbo aliquo veluti catarrhoſa eſt, fieri poteſt,

ut homines, vel mucum in fauces cadentem continuo exſpuentes, vel in morbo pulmonum multum ſputi primo glutinoſi, dein cocti, ejicientes, continuo transitu materiæ ſuper linguam, eam mucoſam exhibeant. Fieri demum poteſt, ut humores inflammatorii ſpiſſi & ſtagnantes in ultimis vaſculis vi vitæ exprimantur & mucoſam linguam oſtendant; uti paullo prius dictum.

Aphthis; aphthæ ſunt, microſcopio luſtratæ, parvæ puſtulæ in labiis, ore interno, gingivis, lingua, naribus, faucibus, œſophago, ventriculo, inteſtinis, reperiundæ; ab humore viſcido facto, haud amplius inflammatorio, poſtquam corpora a morbis acutis debilitata ſunt. Naſcitur in hac debilitate lentor ſpiſſus humorum, infarciens extrema vaſorum eademque eminentiora reddens. Diſtinctiſſimæ ſemper adparent, ſolentque decidere, atque tunc humores aquoſi ſuccedere; quibus fluentibus ſumma oritur debilitas; niſi, ope adſtringentium, cito claudantur ora vaſculorum. Nonnunquam redeunt ſecundo, tertio, quin ſexto; ſed eo periculoſior morbus: quo etiam illa materies degenerat plus in flavum, fuſcum, nigrum, eo pejus. Si quandoque aphthas videatis adparere, ſtatim jubete coqui raparum cum corticibus, tyrocneſti raſarum ℥v. in ſuff. quant. aquæ per $\frac{1}{2}$ hor.; colat. pint. iß. addite mellis roſacei ℥ij.; omni hora tepide ſumat æger ℥ij., & ſimul decocto os & fauces perpetuo colluat; erit optimum detergens, quo tunc decident puſtulæ illæ aphthoſæ; & ſi tunc, iis deciduis, naſcatur diarrhœa ſeroſa, ſero ſuperſtite per aperta vaſorum oſcula fluente, præſcribite mox ℥ij. cort. peruv. coq. in ſuff. quant. aq. per bihorium: colaturæ pint. iß. addatur ſyrup. diacod. ℥iß.; ſumat æger omni hora ℥ij.: ſic plerumque feliciter curabitis. An aphthæ ſeptemtrionalibus populis fierent loco milliarium? forte: mere-

meretur res disquisitionem. Sed tamen differt maxime, quod aphthæ veniant morbo acuto jam prægresso, a relicto humorum lentore; milliaria sæpe acuti in acme.

Pelliculis; dixi.

Pustulis, vel quod spissa materies non possit a vi vitæ perprimi per osculum ultimum vasis, & tunc ita adcumuletur, ut in rotundam pustulam emineat vasis osculum: vel fiunt pustulæ, quando quis liquore fervido intra os adsumto, aut cibo fervido, crispat vasorum oscula, & membranam periglottidem; unde adactus humor vi vitæ extrema oscula crispata, nec transitum liquido conciliantia, eminere facit forma pustulæ. Humectatio perpetua hic requiritur, ut crispata vasa iterum laxa, extensa, permeabilia, fiant.

Verrucis. Pustulæ quandoque nascuntur alio modo. Linguæ ambitus undique tangit seriem dentium. Fit quandoque, ut asperitas nascatur in dente fracto, quo linguæ zona continuo irritata primo hinc inde vel formam pustulæ durioris, vel latam duritiem, adquirit, quæ demum in verrucam degenerat, vel in tuber durum. Vidi teterrimum exemplum in femina, quæ me principio vocabat, quum inciperet modo dolere lingua, nec verruca adhuc nata esset. Quidquid monebam, ut dentem evelli permitteret, frustra erat. Verruca cancrosa facta, voluit educi curare dentem; sed sero fuit: proserpsit malum, ut media lingua in fungum cancrosum jam esset mutata. Quum RUYSCHIUS exemplum referat, ubi ferrum candens tale malum funditus exstirpaverat, etiam idem fuit, me præsente, institutum a dexterrimo Chirurgo DRINGBERG, curata videbatur; sed post tres menses recruduit malum & interiit femina maximis cum calamitatibus.

Inflammatione; cur enim minus linguam occuparet inflammatio, quam reliquas corporis partes? utique

in peſſima angina aliquando fit, ut lingua tumeat præ inflammatione, citam prænuntiet perniciem.

Exſiccatione; qualem experimini, dum per ſolis ardores & ſabuleta magnum iter facitis; ut etiam iis contingit, qui aperto ore ſolent dormire; quum aër averrat omne humidum: ut tertio fit in ardente febri; ubi, deficiente perſpirabili, lingua, ut & totum corpus, arida eſt. In his omnibus non eſt ſapor, donec ſiccitas emendata ſit; nam papillæ, cum nervulo & arteria contractæ, non admittunt ſapidorum adplicationem.

Addam *intumeſcentiam*; viſa enim aliquando ita magna & tumida lingua, ut os totum repleret & ut ſapida non poſſent adplicari, quum non niſi pauca liquida deglutiri furtim poſſent. Exemplum habet *Daniel* LUDOVICI, ubi felix curatio fiebat rupto extrorſum apoſtemate: BONETUS *Med. ſept. l.* I. *p.* 302. varia exempla habet ex HELWIGIO & SCHRÖCKIO. (*) Eſt ſane lingua mirum corpus. Vidi Leydæ puellam ſæpius, quæ ſemper gerebat in mento adfixam argenteam pyxidem, in qua lingua recondita erat, ad trium quatuorve pollicum longitudinem & fere quoque latitudinem, in quam molem excreverat multis ab annis: ſed non recordor nunc, an a nativitate haberet, an

(*) Linguæ intumeſcentia fit aliquando ea ratione, ut non tota, ſed aliqua ejus pars, in fungoſum primo, dein durum, tumorem abeat. Ita in noſocomio vidiſtis feminam, quæ talem excreſcentiam habebat ad apicem linguæ, quam *Cel. Dom. Prof.* JAUS feliciſſime abſcidit totam; quo facto integre poſthac curata fuit. *de* H.

an vero ab alia caufa. Horrendum erat videre, pyxide ablata, tam monftrofam linguam.

Si videatis id oriri a pure, a falivatione mercuriali, a temperie phlegmatica, a fubita inflammatione, a tophis & a lapidibus, fub lingua natis, a veneno, ut BORELLUS habet *Cent.* 2. *obf.* 43. de veneno bufonis, mafticata mentha non lota, fufcepto ad linguam; ars per v. f., purgationes, adplicationes refrigerantium, acidorum, aut fcalpello pus educendo, aut calculum tophosque eximendo, rem fæpe reftituit.

Læfione accedente fæpe fimul nerv. V. *&* IX. *paris.* Si oriatur, ut jam ante in *morbis oculorum* & *aurium* dictum, inpedimentum in fubftantia nervi, vel in itinere, quod emetiri debet, antequam ad linguam perveniat, quo minus per illum fpiritus perfluant, fenfus periit; eft enim nervus inmediatum organon fenfus cujuscunque, quo inepto perit omnis fenfus exercitatio. An nulla curatio? Ut ante dixi, poteft confideratione temperamenti aliquid inftitui ex arte; forte juvare licet hominem. Verum, quandoque funt tales caufæ inventæ in cadaveribus, ut curari nulla ratione potuerint, nervo deleto, aut emarcido.

(Examinat nunc intercalatim HAENIUS, quid in morbis acutis lingua varie adfecta fignificet. Hæc vero in SEMIOTICA referam.)

Inprimis id fæpe hæret in SALIVA *ori infufa, quæ fapore peccans multa hic producit effecta, faporis*

1) *biliofi*, fi nempe bilis amara, fanguini mifta, cum faliva intime permifta, linguæ adplicetur, tunc *guftus amarus* nafcitur. Id aliquando in ictero fit; dico *aliquando*; nam, quum elapfa æftate haberemus hominem profunde ictericum, cujus tunica adnata a flavo fero aurantii coloris erat, rogavimus eum toties, an non fapor amarus in ore unquam effet? Conftanter

negavit; ejus etiam ſalivam, ad aliquam copiam collectam, ſæpius exhibui Vobis, ut videretis, eam nihil omnino flavedinis habere.

Alkalini; eſt intolerabilis ſapor, vergens ad putredinem, ſitim multam faciens, vel exhibens quid urinoſi, *vid.* BOERHAAVE *Chem. P. II. proc.* 12.

Acidi; ut fit revera in hominibus, qui acido in humoribus laborantes, omnia ſibi ore aceſcere conqueruntur.

Salini; ſalinum ſaporem ſemper habent noſtri humores; eſt enim ſal noſtrorum humorum ammoniaco ſimile (id vero latius in Chemicis exponendi erit occaſio, ubi ſimul recentiſſima circa indolem noſtrorum humorum inſtituta referam tentamina): ſal illud non adficit, nec percipitur a nobis ſanis ſapor ille, eidem adſuetis. At vero, ſi fiat, ut linguæ noſtræ cuticula tenerior facta ſit, tunc ſal illud naturale ſalivæ, vel cibi ſaliti, nobis adparebunt ſalſi. Deinde, ſi augeantur ſalia in humoribus, poteſt idem percipi in lingua. Intelligimus hac ratione, cur reconvaleſcentes ita de ſalſedine alimentorum conquerantur, veræ cauſæ ignari, gaudente interim Medico devictæ putredinis cœptæ ſigna ſe jam conſpicere. Dum enim febri acuta putrida decumbentes, ob putredinem humorem, aceſcentibus & acidis ſolis diu uſi ſunt, ab unione horum acidorum cum putredine inchoata (producto ejus) humorum ſal neutrum conponitur; quod, quum eo tempore copioſum, ſalinum ſaporem in ore excitat.

Æruginoſi: hunc ſaporem habere poſſunt, qui acido in ſaliva obtinente ex cupreo vaſe (aut aurichalceo, vel & argenteo vaſe, multo cupro ligato) bibunt, vel edunt.

Oleoſi:

Oleosi: raro oleum in faliva fejunctum, nifi ea ita fit diffoluta, ut falina pars oleum relinquat: tunc forte quid percipitur *oleosi.*

Saccharini; difficulter exponendi: funt tamen homines, qui id diu conquerantur. An poffet faccharum fic folvi & cum humoribus mifceri, ut dominante fapore guftaretur in faliva (*)? An mel etiam? Hic iterum gravis quæftio practica exfurgit: cur nempe HIPPOCRATES ita condemnet *fputa dulcia?* V. *Coac. Præn. c.* 16. *n.* 8. Sputa, ex fanguine oriunda, habent id leniter falfum fecum, quod in humoribus eft; unde falfiora illa mala quoque funt, ob acrimoniæ muriaticæ abundantiam. Sed, fi id modice

(*) Vix erit admittendum id, quum talis fapor nonnunquam obfervetur in rufticis aliisque, qui vix per totam vitam unquam guftarunt faccharum; aut in aliis, qui rariffime; ut adeo multum abfit, quin in humoribus faccharum ore adfumtum, prædominare poffit. Binas autem alias rationes me detexiffe reor, non adeo theoreticas. Continetur in faliva fal faccharo lactis multum analogum. Nonnunquam faliva diacrifin quamdam experitur, ubi fal illud magis evolvitur, atque faporem fubdulcem excitat. — Ut alvo, ut lotio, chylus nonnunquam præternaturaliter excernitur, uti antea in hoc ipfo opere vidimus, fic & per falivæ vias in rarioribus cafibus chylofi fucci quid fegregatur; etfi quidem non forma veri, meracioris, albentisque *lactei* chyli: inde autem omnino faporis fubdulcis denuo fons. Medici Practici utramque caufam prætervidiffe hactenus videntur. *de* W.

salsum, quod in humoribus adest, secum gerant, non est malum. Sit vero ita, ut sputa salsedinem nullam habeant, tunc linguæ inposita fatua, nauseosa, adparent, ut omnia talia. Verum, id necdum *dulce* est. Sunt *fatua*, quæ dicimus comedentes, nauseam nobis facere, nec tamen dicimus, dulcia esse. Ergo est aliud adhuc, quod dulcedinem conciliet sputis, nondum intellectu originis clarum, experientia tamen manifestum, & in morbis inflammatoriis ac subpuratoriis pulmonum damnabile & calamitosum. (*)

Cadaverosi : sapor talis vel in morbis a sputis putridis ; vel ex saliva ab humoribus ad putredinem dispositis orta ; vel ab humoribus, qui aliquamdiu stagnaverunt sub crusta linguæ, aut oris interni, vel ex dente carioso, vel putridis gingivis ; vel materia corrupta putrida, hærente in ventriculo & ructibus in os suscepta ; vel ex naribus, ulcere putrido stillantibus ; vel a mercurio. Sed undenam a mercurio? An revera in putridum liquamen solvit oleum sanguinis? Videtur.

§. 855. TACTUS *lædi solet &c.* (organi cognitio ex ANATOME & PHYSIOLOGIA nota adsumitur.)

1)

(*) An dulcia, quæ ab omnibus hominibus adsumuntur in morbis pectoris, (attamen talis sapor nonnunquam, ubi nec umbra ullius morbi pectoris — *de* W.) jam non amplius intime solverentur in chylificatione, & sanguificatione? Et an ideo malum omen ob humorum & vasorum inertiam summam? *de* H.

1) *Præ frigore nimio extremi organi ;* quippe aëris, glaciei, quartanæ febris frigore fit, ut cuticula cum omnibus ſibi adnexis partibus ac vaſis ipſaque cuti, conſtringatur ; unde conpreſſio intermedii nervi, læſio tactus.

2) *Vel nervi, aut cerebri, vitio.* Habetis in *Comment. Inl.* PRÆSIDIS caſum puellæ, quæ poſt vulnus in brachio amiſit ſenſum in uno digito ; ita, ut ipſe admovens digitum adeo proxime igni, ut vociferari debuiſſet, ne dolentem quidem perceperit ; integro tamen nervo motui inſerviente. In paraplegia motus perit ſenſusque partium infernarum ; in paralyſi v. c. pedis, ſæpe perit ſenſus motusque, ſæpe ſenſus ſupereſt. Si vitium in ipſo cerebro nulla alia cauſa manifeſta, & hoc illico fiat, timenda apoplexia : tamen aliquando fit ſine inſequente apoplexia : poteſt enim locus, unde una fibrilla nervea oritur, fieri ineptus, reliquo cerebro bono. Sed, ſi cerebrum læſum jam ſit percuſſione, caſu, & tactus perire incipiat, eo pejus metuendum.

3) *Ut & ab interpoſitu cujusdam, ſenſui ineptæ, materiæ :* ut in leproſis ; qui morbus tactus, familiaris in Aſia, a copioſiori carnium ſuillarum comeſtione ſæpe oriundus. Leproſis enim miſeris ſenſim perit organon tactus : dein orta putredine in cute, partes fruſtulatim decidunt. In India orientali ſolent Batavi Chirurgi ſtylo inmiſſo explorare, num adhuc ſentiant ? Si minus, relegantur ad privata noſocomia.

Deinde in nimis acuta ſenſibilitate, vitio nervum non ſatis tegentis cuticulæ. Cuticula, ſive *epidermis,* ſolvitur 1) preſſione & adtritu ; ut, quum fabrilia inſtrumenta tractant inexperti, qui cutim teneriorem habent, quumque iter perdeſtre faciunt alii, calceis aut tenuioribus, aut anguſtioribus.

2) A decubitu, in acutis & chronicis.

3) Igne; ſive conbuſtio igne ipſo fiat, ſive aqua, oleove, ebulliente. Sunt tempora anni in Perſide, ubi ventus ita calidus & urens perflat, ut epidermis ſolvatur, etiam in illis, qui ſibi cavent; ut ipſa corpora criſpentur & homines pereant, qui ſibi minus cavent.

4) Solvitur epiſpaſtico, ſinapiſmo, phœnigmo, cantharidibus.

5) Inflammatione eryſipelatoſa, incipiente gangræna, lata ſæpe plaga ſoluta invenitur.

6) Calida, ſpirituoſa inflammatæ cuti perperam adplicata, ſolvunt quoque epidermidem a ſubjecta cute.

7) Aqua intercus eam etiam ſolvit, bulla excitata ſub illa, quotidie increſcente.

8) Ipſe ſanguis facit aliquando bullas, ſi cutis tenaculo inprudenter intercepta fuerit.

9) Epidermidem in nonnullis ſeparant oleoſa, emplaſtra, unguenta; ut quandoque ab emplaſtro uni corporis loco adpoſito, inflammatio mox per totam cutim corporis oriatur, excitenturque ubique bullulæ.

10) Poſt graves acutos morbos epidermis ſæpe ſecedit per magnas lamellas, ita, ut inſtar chirotecæ a manu ſolvatur. Poſt variolas, morbillos, ſcarlatinas, & maxime poſt milliaria, maximas epidermidis lacinias ſeparatas vidi.

In his omnibus caſibus augetur ſenſus tactus, ut ad ipſam convulſionem usque fiat nervi ibidem adfectio; uti & multis aliis analogicis inſtantiis demonſtratur.

Ejusve forte nimia tenſione & teneritudine ſimul. Homo a paronychia habens apicem digiti inflam-

flammatum tensumque, a solo tactu plumulæ fere convellitur. Quo jam homo sit tenerioribus nervis præditus, eo est ipsi tactus dolentior.

Etiam huc referri potest mira actio *torpedinis* piscis, quam descripserunt V. V., juniorum vero quidam instar fabulæ habuerunt: at vero magni viri Kæmpferus, Borellus, & magnus Reaumur multis exemplis rem demonstraverunt. (Páucissima hic ex Kæmpfero Haenius adtulit circa torpedinis actionem electricam. Eleganter ac erudite eam persequutus nuper est *Inl.* Pringle in *a Discourse on the Torpedo, delivered at the anniversary meeting of the Royal Society, November* 30. 1774. *by Sir* John Pringle *Baronet, Præsident: published by their Order; London, printed for the Royal Society*, 1775. 4.)

Etiam in abolita plane tangendi facultate &c. Cerebro adfecto in apoplexia ἰσχυρῇ inque lethargo & caro tangendi penitus ablata facultas; in parapoplexia inpedita hæc facultas in toto corpore, excepto capite: in paralysi destructa ea plaga, quæ erat infra nervum, nervosque, adfectos.

(Sequeretur nunc in ordine *textus* disquisitio de *pervigilio* & *nimia somnolentia;* at vero excitat Haenius ea, quæ in Ætiologia exposuerat, agens de classibus variis causarum procatarcticarum, quas inter *somnus* & *vigilia.*

Tum in textu sequuntur *coma camatodes*, *coma agrypnodes*, *carus*, *lethargus*, *cataphora*, *anaisthesia*, *apoplexia*, *paralysis*, *paraplegia*, *hemiplegia*, *paralysis topica*, *epilepsia*, *vertigo*, *spasmus*, *tetanus*, *emprosthotonus*, *opisthotonus.* — „ Omnia hæc Vobis, Haenius ait, in *matutinis* (in nosocomio practico) explicui, cum multis aliis morbis,

hic

hic non recensitis quidem, eo tamen referendis." — Ne hic tantus intercurreret hiatus, adfero ex *Codice Prælectionum matutinarum* historiam sequentium MORBORUM CAPITIS ac NERVORUM.)

I. EPILEPSIA.

EPILEPSIA exquisitissima in homine oritur sine ullo præmonitu & homo perdit tunc omnes externos sensus, ut ne ignis quidem vim percipiat; tum & omnium sensuum internorum, rationis, memoriæ, animi adfectuum, fit abolitio; ita quidem, ut qui per horas conplures sic jacuere, dum redeunt ad sese, nectant finem cognitionis ante invasionem incœptæ, cum puncto evigilationis. Ergo est inprovisa abolitio omnis ejus, quod *homo* dicitur ac distinctum ab eo est, quod *vitale* vocatur. At deletur simul omnis potestas motus muscularis arbitrarii, quatenus nempe is a mente provida, inpetum faciente, dirigente, sistente, fit: non autem desinit alius ille motus, in ipsis suspensis a morte superstes, quo musculus movet sese. Tunc adest somnus profundus cum roncho stertorosus, unde arte nulla queunt excitari: atque tum spuma adest; non autem hic intelligitur spuma aërea, levis, quæ a conpressa saliva non deglutita, sed ore collecta, nascitur; sed densa, subflavescens, instar sebi, quod igne fusum jam incipit coire, veniens ad finem stertoris ex gutture, larynge & dum ad os pervenit colligiturque, magis aërea reddita, quam alioqui in sua substantia est. Tunc tandem homo moritur, si sit *acuta epilepsia;* si vero *chronica*, sequitur somnus placidissimus.

Tunc *exquisita* dicitur, si redeat sanitas perfecta, ac dein ἐξαιφνῆς redeat paroxysmus.

Ergo

Ergo eſt „ abolitio ſubita omnis functionis humanæ cum incremento functionis vitalis, & cum motu automatico, convulſivo, in muſculis.“

Modus invadendi in exquiſita, ſeu ordo, quo ſymptomata ſeſe invicem excipiunt, abſolvitur ſequentibus:

1) Subitanea vertigo fit, cujus plerique meminere.

2) Boatus, clamor, vel mugitus; cujus conſcii poſthac non ſunt.

3) Tremor, dein convulſio oculi, faciei, labiorum &c.

4) Oculi apertura paucis, rima tantum unde album oculi videas: ſed hinc inde unus alterve oculos habet apertos.

5) Oculi ſive truces, ſive vagi.

6) Lapſus.

7) Anhelitus.

8) Stertor.

9) Cordis palpitatio cum elatione coſtarum.

10) Pulſus fortis & celer, dum nondum brachia moventur, pulſus poteſt percipi, & quia

11) Vitalia turbantur, fit aliquando eclypſis.

12) Convulſio, primum parva, dein ingens.

13) Artuum jactationes & diſtorſiones mirabiles.

14) Spaſmi tetanodes, manentes tenſi.

15) Muſculi moventes maxillam adficiuntur peſſime.

16) Dentium ſtridor.

17) Linguæ morſus, (nonnunquam in ambitu, aut apice, amputatio major minorve.

18) Pollicis introrſum contractio.

19) Calcitratio.

20)

20) Urinæ, alvi, genituræ excretio. (Non in omnibus.)

21) Spuma oris.

22) Apoplexia fit in paracme sua. Si lethalis, sic sæpe mors (non amplius ad sese redeuntis); si vel ad speciem sanitatis redituri sint, vel saltem nondum, præsente paroxysmo, morituri, tunc

23) lenta evigilatio cum hebetudine sensuum, rationis, memoriæ; quæ quo sit major, eo pejoris notæ.

24) Inde sæpe sanitas perfecta, ut nil in omnibus actionibus sit, quod culpes. (Plerumque artuum omnium dedolatio, lassitudo; abdominalium musculorum dolor; singultus; sitis: scotomia; lucis intolerantia; loquela, ob linguam morsu vulneratam inprimis, inpedita; nonnunquam dentes ob violentissimas contractiones, stridores, in fragmina dissiliunt; in rarioribus casibus ob convulsionum vim viscera interna plus minus læduntur; cystis fellea, aut urinaria, rupta fuit observata: in enkephalo tantum subin mutatur, ut ab unico paroxysmo vehementer læsa, aut omnino deleta, fuerit memoria, natusve stupor, fatuitas. Remanet pariter in quibusdam ægris inmedicabilis per omnem vitam auditus difficilis, aut surditas fere perfecta &c.)

Singula hic recensita symptomata jam considerare juvat in specie.

Multiplicitas mirabilis motus solet observari in musculis & in artubus. Horum fiunt motus palpitationis. Fiunt omnes species contorsionis variæ, contractiones musculares & vicissitudinariæ remissiones, extendendo, flectendo, intorquendo omni modo; observatur distinctio inter motus hos, qui ab epilepsia fiunt, & eos, qui arbitrio mentis excitantur.

Gesti-

Gesticulationes aliquando miræ, distorsiones & luxationes sæpe inmedicabiles. Tegumenta capillata capitis cum frontis calvo anteriori agitantur; adtolluntur, adducuntur, removentur, supercilia; moventur plus, minus, aures, & adtolluntur capilli. Supercilia alio motu ita deprimuntur, ut explanetur frons.

Palpebræ palpitant, tremunt, nictitant; tunc convelluntur & clauduntur. Album adnatæ plerumque per rimam adparet; unde hos distinguas maximam partem ab epilepsia ficta, ubi oculi plane clauduntur.

Oculi solent rotari plerumque & volvi circum axim, plerumque sursum; vel vagi, quod minus male, vel fixi sunt, ut in exquisitissima idiopathica; aliquando, an a tensione adnatæ, an alia de causa, quasi retroëuntes & in abyssum retrotracti cernuntur. Aliquando truces, per musculos adfectuosos & par patheticum.

Buccæ diducuntur, ut os fere ad aures ducatur, aliquando ad risum (sardonicum) conponuntur: aliquando celerrima vicissitudine omnes adfectus successive exprimunt.

Labia salientia; sphincter oris in gracile acumen prominet, aut alio modo violentissime adficitur.

Quoad maxillas, menti extremum aliquando adfigitur pectori & caput (collum) in arcum vertitur; os vero ita nonnunquam diducitur, ut fiat luxatio maxillæ antrorsum. Si plus urgeatur, incipit actio musculorum retro sursum trahere, scilicet pterygoid. intern., extern., masseteres sic trahunt, ut maneat. Idoneus Medicus vel Chirurgus, inducat pollicem, (caute ac linteo obvolutum, ne lædatur ab convulsis maxima vi dentibus), prehendat totam maxillam, parte postica deprimat, antica elevet & paullulum reducat (lente ac circumspecte, ne ea ipsa actione majus adferat detri-

trimentum, luxando gravius maxillam; ut, hominibus ex vulgo rem tentantibus, haud raro contigit.)

Ex obposito sæpe fit tanta conpressio, ut per dentium interstitia transiens aër strideat & per viciniam exaudiatur; (vel ut dentes ipsi in frusta dissiliant, aut saltem findantur.)

Copiosissima & tenuis saliva distincta a spuma.

Linguæ convulsiones omni modo mirabiles, sæpe per os foraminosum lingua incredibiliter exseritur. Obtegenda tunc est etiam in infante, nam fit contusio cum gangræna, etsi dentibus careant. Ex ligno molliori, (linteo, aut aluta, obvoluto) vel subere scissa interponantur instrumenta.

Caput ipsum erigitur, laxatur, agitatur antrorsum, retrorsum, vel in latera; rotatur, jactatur; ut aliquando mors præ collisione.

Cervix habet motus peculiares per musculos rectos, post humerum sitos, per musculos posticos, scalenos plerumque triplices; quibus determinatur antrorsum, retrorsum & ad latera. Ex quatuor motibus, in bina latera, antrorsum & retrorsum factis fiunt distorsiones terribiles, extensiones, rotationes, artuum. Humerus ad scapulam infinitos conos rapide describit. Ulna actiones rapidissimas, extensiones, flexiones, pronationes, supinationes, exercet. Carpi musculi inter octo ossa carpi crepitationes edunt, ut horreamus: ad reliquas partes digitorum fiunt eadem. Pollices introtracti, clausi, sunt violentissime.

Sex diversos magnos nervos hæ partes accipiunt, unde omnia fiunt violenter.

Sunt, qui magna vi brachia tollunt, ut pugni lædantur. Sæpe proprium pectus, abdomen, gravidæ uterum, contundunt.

Infe-

Inferiores partes minus ita obſervantur, quia plerumque tectæ; ſed videmus in infantibus contractiones miras, ut fiant ſæpe distorſiones, tota vita inmedicabiles.

Notat pulcre ARETÆUS, non ambulatorios, aut gradatorios eſſe hos motus, ſed fieri violenta extenſione, retractione, calcitratione.

Similia obſervantur in muſculis, exonerandæ veſicæ & alvo dicatis.

In ventriculo ſæpe tantus motus, ut ructus ſonori, pituitæ craſſiſſimæ ejiciantur ſurſum.

Muſculi libidinoſi & quæ in feminis ſupra crura clitoridis decurrunt, ſolent priapiſmum facere in epilepticis. Alia tunc paria tria interſtitium veſicæ, veſiculas ſeminales & proſtatas, poſſunt urgere & ſemen ejicere: tantus ſæpe hinc poſtea languor.

Jam ad vitales actiones. — Pulſus initio creber, debilis, mox validiſſimus & celerrimus, ut in febri, tandem fit pleniſſimus & fortiſſimus, ac oritur ultima apoplectica ſcena. — Variant HIPPOCRATES & ARETÆUS de pulſu, ſed diverſa tempora reſpiciunt.

Muſculi reſpiratorii varie ſe habent: in exquiſitiſſima vocales ſunt, fiunt mugitus, boatus, clamores.

Tum nixus ϛεναγμὸς, ut in animalibus ſtrangulatis, ut in homine, qui magnum pondus elevaturus eſt. Putat HIPPOCRATES, GALENUS, ARETÆUS, HOLLERIUS, FERNELIUS, nixum cerebri in exploſionem materiæ pituitoſæ, vel venenatæ. Sed eſt tantum nixus in pectore. Expreſſio hæc tantum per arterias fiat; ſed hic ϛεναγμὸς fit in animalibus ſtrangulatis, gemitus auditur lethalis, ſuſpirium profundum, ſtertor maximus; expellitur per os, nares, craſſa pi-

tuita pulmonariæ membranæ abrasæ, & Schneiderianæ membranæ.

Venæ sunt inflatissimæ, varicosæ; non omnes simul, sed ubi motus est perturbatior: patet in venis frontis, raninis, jugularibus, faciei, oculorum, manuum, pedum.

Ergo partes, quas hæ venæ liberare debebant a sanguine, tumere debent & livere atro cruore: ea inflatio non fit, nisi quod ex arteriis ultra proportionem in has venas fluxus fiat, & difficilior ex iisdem in arterias refluxus. Ergo causa hæret inpediens circa cor dextrum; si cor posset evacuare, non fieret: cor autem non potest evacuare, nisi per arteriam pulmonalem: ergo debet ibi esse inpedimentum; hoc porro supra vidimus in στεναγμῷ isto.

Et ubi putas jam fieri suffocationem, fit subita resolutio, fit status tertius resolutionis.

Ergo jugulares venæ, nato inpedimento ad cor, habent se ut in strangulatis. Videre hinc est, quomodo sanguis se habeat.

Videmus, qualisnam conditio sanguinis sit in cerebro. Sanguis erat debilissimus & citatissimus altero momento, ut in jugulatis animalibus. Quando adhuc præsto satis venosi sanguinis pulmonici & tamen venosus sanguis inpeditur ad cor, quia tantum debet intrare cor, quantum exiverat, & si in arteriis resistentia incipiat esse, debet fieri pressio ad cerebrum; quia sanguis pulmonicus datur adhuc cordi sinistro, & fit sic, non perpetuo, sed cum vacillatione, insultus.

Quia ergo convulsiones in facie maxime, venæ rubræ hinc fiunt cæruleæ; si plus, lividæ; si plus, plumbeæ, si in omnibus vasis, nigræ. Hinc circa oculos collectio talis sanguinis, quia tenerrima ibi fabrica cellulosæ membranæ.

Circa

Circa circulum faciei non ſunt fere niſi tendines, convulſio ſumma hic; ergo ſanguis ibi facile ſiſtitur. Ergo color eſt tantum productum ex convulſionibus. Falſo ergo Practici putarunt ideo cauſam mali hærere in venis, in ſanguine. Eſt tantum ratione contractionis miræ hoc phænomenon.

Corpus manet aliquando tetanodice tenſum, inſtar ſaxi.

Dorſum, cui incumbunt, pallet; ubi vero corpus in cubatu non ſuſtinetur, nigreſcit.

Si motus adſit conprimens manus in abdomen, figuram manus hinc expreſſam ſæpe videas; *manum diaboli* vocant falſo. Muſculus contractus pallet, venoſum ſanguinem expellit, arterioſum prementem ſiſtit; ergo, quo plures muſculi contracti, eo minus ſpatii habet ſanguis ruber. Ergo, ſi plures muſculi adfecti, corpus fit, ut hominis, qui nixum ſummum edit & nigreſcit: vel fit ut in homine aqua ſubmerſo, qui harpaginem ita prehendit, ut brachium liveſcat. Fit ab hac cauſa. Sanguis ergo non minuitur, ſed non poteſt locari, ubi ſolebat: locabitur ergo, ubi facile poteſt; ergo in panniculo adipoſo.

Unde ſæpe variolis, morbillisve, immo guttis ſanguineis videntur perfuſi. Ergo omnes liquores aliter aguntur, premuntur, & quum muſculi adeo moveantur, non poſſunt quieſcere humores interni. Ergo nullus humor inmutatus manet in paroxyſmo ſummo. Immo, vix ulla pars ſolida a capite ad pedes non adfecta eſt: ergo omnia ad duo referuntur:

1) ad ſenſuum deletionem integram;

2) ad motuum muſcularium perturbationem.

Priori refert apoplexiam.

Altero differt ab apoplexia; nam in apoplexia reſolvuntur omnes arbitrarii muſculi, vigent ſoli vita-

les; in epilepſia vigent omnes muſculi, ſed vigent muſculi motu perturbato: ergo totum eſt contractio muſculorum cum alterna remiſſione. Tempore remiſſionis eſt apoplexia; immo in fine fit apoplexia perfecta. Patet primum, in epilepſia nullos contrahi muſculos, quam qui in ſanitate contrahi poterant: ſecundo etiam contrahi, ut in ſanitate, id eſt, fieri breviores: nam ſubſultus tendinum ſunt tantum ſymptomata ſymptomatum in epilepſia.

Ex fabrica ergo muſculi, nervi & arteriæ, & adplicatione utriusque liquidi intelligitur. Ergo ſumma epilepſia tollitur motus ſanguinis: ſed non totus paroxyſmus: ſed fit apoplexia.

Motus ſanguinis arterioſi & venoſi turbantur, quatenus eſt motus ille muſcularis: tantum ad nervos refertur totus morbus.

Diverſitas quærenda eſt inter contractionem voluntariam & violentam.

1) Dislocatio enim vel luxatio motu voluntario non poteſt fieri, niſi homo ſit laxiſſimus: at epilepticus ſæpe luxat articulos.

2) Homo in ſanitate non poteſt ita mille modis transformare corpus, ut in epilepſia.

3) In ſanitate ſumus conſcii nos primum inpetum dediſſe; hic ignoratio rei eſt.

4) Viciſſitudo mira hic adparet: nemo enim poteſt pro lubitu ſic tentiginem veneream excitare.

Epilepſia reſpectu muſculorum quædam convulſio eſt; ſed ea vix duos epilepticos eodem modo adficit:

1) quia muſculi ſunt plurimi, qui ſinguli diverſiſſimas habent operationes:

2) quia omnes illi quandoque ſimul, quandoque reciproce, nunc hi, nunc illi, adficiuntur.

Huc

Huc usque dicta dedere cognitionem triplicis motus,

1) sanguinis arteriosi,

2) solius nervosi inpetus;

3) utriusque.

Inter epilepsias hæc pessima,

1) quæ causam habeat absconditam;

2) quæ ita cerebro naturalis, ut non det indicationem;

3) quæ, nullo signo antegresso, adparet illico. Nota non prægreditur magis, quam dum homo ait: volo hoc tempore, tendam omnes articulos; nascitur simplex spirituale & dato tempore accipit illud inperium; ubi dicit: volo, quiescat motus; quiescit sine ullo vestigio relicto.

Solitarius paroxysmus sæpe mortem intulit:

1) in pueris & puellis debilioribus unus insultus sæpe occidit;

2) in acutis adultorum una subita epileptica convulsio occidit:

3) in partu difficili annosior femina facit nixum, summum & est resistentia maxima. Quiescit obstetrix, juvare nequiens: mox stridor dentium, contorsio, & uno insultu epileptico interit femina, non excluso infante. Quæ ratio? 1) a distensione fibrarum violenta; vel 2) a genere nervoso adfecto; vel 3) quum plerumque intereant facie tumida, oculis sanguine suffusis, summo anhelitu, videtur ad motuum horum originem esse tensio ad mortem.

Felix puerpera ab obstetrice negligitur, donec prius infantem curarit: convulsa perit, quia cor pellit sanguinem in vasa jam non resistentia, sed fluctuantia, in abdomine: ergo fit epilepsia idiopathica in capite, lethalis ab inanitione; ergo acutus morbus tunc, ut

ARETÆO describitur. Omnes illi apoplectici moriuntur, non ubi convulsi, sed ubi convulsio stat & omnes partes laxantur. Fit stertor, agitatio, spuma, & omnia signa apoplexiæ: ergo antequam apoplexia cerebelli, fit prius apoplexia cerebri; nam quamdiu durat resolutio convulsionis, tamdiu est apoplexia.

Causa proxima corporea in exacerbatione hæret intra cranium, idque in cerebro; nam cerebellum distinctum est: ergo in cerebro vera causa physica. At in cerebro est facultas 1) sentiens; 2) movens; 3) commercium, ubi hæ ambæ concurrunt.

Docet enim examen, quod ubi pertingit ultimus sensus, ibi fit initium motus arbitrarii.

Motus arbitrarii fiunt vel sponte sine arbitrio; ut, ubi nocituri quid prætervolat oculum, tum manus & brachium sponte se obponunt: vel secundo facit homo hoc ex arbitrio. Ergo locus est, ubi ultimus mutatus nervus facit sensum, & unde potest determinatio fieri ad musculos: vocatur *sensorium commune*. Ergo epilepsia morbus sensorii communis est. Sed, quum hic deleta facultas sit, adparet, quod id omne, cujus occasione mens cogitabat, fit nullum; sed quod pars, unde fieri potest motus determinatio, moveatur plus, quam ante. Ergo causa physica nunc violentius, nunc perturbatius per nervos defertur ad musculos.

Ad finem paroxysmi silent utrinque, & fit ecclysis illius moventis: tunc causa mortis videtur propior, quam in præcedentibus; & si causa eo usque penetrat, ut faciat silere medullam oblongatam, est mors: nam ibi cerebri & cerebelli columnæ medullares coëunt; ut diu eæ, quæ a cerebro, adfici possunt, antequam causa adpropinquet ad totam oblongatam medullam. Ergo tres status sunt: 1) deletio sensuum; 2) exacerbatio motuum; 3) utriusque deletio; quæ ad

nervos

nervos vitales mortem facit. Si jam ſanum intervallum oriatur, & mali aliquando integratio fiat, eſt *chronica.*

Redintegrationes non magis miras ait HIPPOCRATES, quam in tertianis.

Intervalla ſunt varia, decem annorum; anni unius; bis vertentibus annis; omni mutatione lunæ ſemel; bis in luna quaque; omni hebdomade; omni die; omni hora.

Dum ergo curam intendimus, non ſcimus curam (peractam), antequam paroxyſmi tempus non adſit. Sed morbus criticus ſolet curſum corripere; ut, quo diutius duret, eo crebrius redeat.

Poteſt nil toto intermedio tempore relinqui, unde indicatio ſumatur. Sed adtendat Medicus tempora anni, tempeſtatem aëris, res omnes naturales ac non naturales: ſed inde ſæpe nil præſagii.

Hic triſtiſſimus & creberrimus caſus.

1) Tamen cauſa eſſe debet phyſica, corporea, ubi eſt paroxyſmus hoc momento, quæ non fuit momento ante: non enim agit, niſi mutato cerebro.

2) Debet eſſe cauſa, quæ faciat, ut corpus abſente paroxyſmo obnoxium maneat, ut poſſit iterum pati: hæc ſilet, altera agit.

Quoad primam cauſam, WILLISIUS cum LOWERO tot incidens capita hominum, ait,

1) nil ſæpe inveniſſe ſe in cerebris epilepſia denatorum mutatum ab iis, qui citra epilepſiam interierant: unde putat eſſe actionem ſenſuum, ut in ſomno, quoad motus muſculares, rarefactiones, & inpetus ſpirituum, ut in ſanitate.

2) Vidit idem capita hominum epilepſia mortuorum ſimilia his, quæ HIPPOCRATES obſervat.

 3) In-

3) Invenit idem capita, ubi omnes caufæ præternaturales, quibus epilepfia folet adfcribi, fine tamen epilepfia. Vidit dura matre erofa, putrefacta, hominem ftupidum, apoplecticum, paralyticum &c. fuiffe, fed non epilepticum.

Epilepfia exquifitiffima veftigium corporeum non relinquens, a fola diathefi cerebri pendens, infanabilis habita omni ævo, non magis quam idiofyncrafia, curari poteft.

Ejusmodi fit 1) ab *hæreditate*, ut patrem vultu &c. refert filius, ita fæpe & cerebro. Ipfe annus contagiofus refpondet in filio, quo pater avusque acceperant morbum.

2) *Congenita;* ut quando mater gravida terretur fummopere, maxime vifo epileptico. Incurabiles hos invenit omni methodo BOERHAAVIUS, *Helmontiana* excepta fubmergendi aquis, donec effet metus fuffocationis. Hanc B. non adhibuit. Filius HELMONTII cum fucceffu hoc in Anglia fecit.

3) Ex *mala cranii*, *duræ matris* &c. *conformatione*, vel non detegenda, vel non curanda.

1) *Caries diploës:* hinc FERNELIUS cenfet a fingulari venenato in fpiritus agente oriri morbum: ut v. g. mulier epileptica fit odore mofchi, ambari gryfei, &c. &c. & curatur odore caftorei, afæ fœtidæ, fpiritus urinæ. Sæpe gagatis, lapidis bituminofi & fulphurei (v. ejus examen chemicum in *T. III. Inftit.* mearum *chemicarum*), candelæ exftinctæ, (cujus nidore non uno experimento, V. V. jam teftantibus, in feminis excitati fpafmi ac abortus) plumæ ambuftæ odore, latens diathefis actuofa fit. Ergo, fi in cranio talis fomes hæreat, facit epilepfiam: hinc inuftiones cranii aliquando juvere.

2) *Su-*

2) *Suturæ adunatæ*, in aggerem introrſum euntes, ac introrſum duram matrem prementes.

3) *Gummata venerea*, caput intus distendentia.

4) *Cranium juſto majus.*

5) *Cranium craſſiſſimum.*

6) *Cranium continuum*, vix adparentibus ſuturis.

7) *Exoſtoſis oſſis*, inſtar cornu introëxcreti.

8) *Cranii os internum læſum*, excreſcens & ſe inſinuans in fibras duriſſimas proceſſus falciformis. Homo (qui caſus ex codice noſocomii practici) cranio in terram adlidens reſtituitur: manet kephalalgia dira. Sex annis poſtea fit epilepticus & eadem interiit.

9) *Inæqualis ſuperficies cranii intropreſſi*, ut

1) in infante fit ſummo matris parturientis nixu:

2) in infante hærente inter anguſtias oſſis pubis & coccygis & conniventias oſſium iſchion, dum obſtetrix inprudens nimis agitat &c. In tali caſu examinandus infans, & palmis manuum fingendum caput in formam idoneam.

3) Ligaturæ externæ capitis infantis; examinandæ ſunt, an hinc epilepſia. Capita laxa debent relinqui.

4) Cranii intropreſſio a colliſione.

5) Ubi cranium fractum in juventute, ſanatur, ſed debet homo corpus exercere; creſcit: ſed ubi cicatrix, inperſpirabile (cranium) eſt & non creſcit: æquabilis expanſio cranii hinc inpeditur.

Quartum cauſarum genus, quando *humor intra duram matrem & cranium.*

1) Fernelius invenit poſt peſſimam epilepſiam, mortui cranium exhibere receſſum duræ matris a cranio, & locum medium ichore putrido plenum. Halitum putridum cenſet feciſſe morbum.

2) Dura mater erosa & pustulis elata.

Quintum causarum genus:

Adcreta dura mater ad piam matrem; spinæ osseæ ad proc. falciformem inter medullam utriusque lobi cerebri ejusque substantiæ incretæ; frustum gladii fracti in substantia cerebri post sanationem relictum.

Sexta causarum classis:

Serum totum cranium, inprimis posticum, sic *inundans*, ut meninges, cerebrum, processusque maceret consumatque.

Bohnius abscessum corticis cerebri refert.

Smetius tres uncias puris post inflammationem a vulnere.

Hercules a Saxonia refert, hominem a læso capite epilepticum factum, tandem copiam ingentem puris per oculos, nares, aures, reddidisse ac integre curatum esse.

Bonetus cerebri sphacelum ceu causam enumerat.

Salmuthus cerebrum putrilaginosum describit.

Hoffmannus causam epilepsiæ invenit, post capitis adlisionem, fissuram cranii cum effusione humorum.

Blasius polypum in sinu vidit falciformi.

Borellus frusta adiposa in eodem sinu. Ergo omnes causæ inpedientes æquabilem fluxum sanguinis venosi per corticem, possunt epilepsiam producere

Dura mater, processus falciformes, vel processus laterales, cartilaginei, ossei, inmobiles, dilatatio facta crebra causa epilepsiæ inventa. Confirmat hoc, quod causa sæpe hæreat in inpedimento, quod ponitur subductioni sanguinis ex cerebro.

Fernelius & Ruyschius invenere post curatam luem veneream mercurium hæsisse in diploë cranii, vel circa cranium, & epilepsiam fecisse. (Etsi quidem non exin demonstratum ultra omnem controversiam sit, epilepsiam a delitescente inter diploicam substan-

tiam

tiam mercurio, non vero ab alia caufa acri, nervorum ftamina laceffente, enatam: nam in aliis etiam poft mortem deprehenfus mercurius offibus inhærens, qui tamen nullo in vita epileptico adfecti fuerant infultu.) Inflammatio cerebri in phrenitide. Vis externa, pugnus ab irato homine (inpactus) & plura jam vifa.

Septima caufarum claffis:

Ubi epilepfia idiopathica absque ullis notis caufis in cerebro inventis; ut fufe BALLONIUS habet.

A terrore fumma inmedicabilis epilepfia fit (atque hæc inter reliquas frequens valde caufa: unde patet, quam damnando confilio infantibus exhibeantur fpectra, aliaque terrifica fimulacra: quo ex fonte fæpenumero inmedicabilis per omnem vitam reliquam epilepfia, convulfivique motus iis producuntur. Adultos etiam, inprimis feminas, peffime haud raro inde fuiffe adfectos, triftia & numerofa docuerunt obfervata.)

Puer recens natus (epilepticus factus) a clangore tubæ;

Puerpera a campanarum fonitu.

Explofio tormentorum bellicorum ad natum infantem Principem recens nato epilepfiam inmedicabilem fecit.

Nuntium lugubre de fubmerfo filio matri epilepfiam fecit ad mortem usque.

Vifus epilepticus cafus virgini aquas medicatas bibenti in Germania epilepfiam inmedicabilem fecit, fine prophafi renafcentem. — Aethiops Rex, in lufu trium Regum faltans, infanti epilepfiam fecit, ad usque 36 annum; quando mortuus.

Larvatus homo per platæam decurrens & obvios virgis cædens, concitavit fic puellæ 8 annorum epilepfiam incurabilem.

Si-

Situla aqua plena rusticæ ex inproviso domum ingressuræ salutandi gratia adfusa insanabilem epilepsiam produxit.

Quamvis ergo homo instrumento mirabili naturæ ita instructus, ut possit pro arbitrio tot diversos motus facere, abolere, permutare, dirigere &c.; ita tamen infelix est, ut hoc ipsum instrumentum possit a causa externa sic luxari, ut hoc idem tota vita faciat invitus, sine mentis conscientia.

Hæ species non sanantur.

Sunt tamen hinc inde casus, ubi per summum terrorem, submersionem, curatæ fuerint epilepsiæ, id est clavo clavus pulsus: est quasi luxatio sensorii communis, vel cerebri; sic morbus ortus.

Patet ergo:

1) morbum, dum præsens est, semper tantum habere unam causam proximam, sive hæreditaria epilepsia sit, sive congenita, sive lapsu, terrore &c. orta;

2) habere semper eamdem sedem in cerebro, in sensorio communi;

3) licet causa proxima una, tamen exacerbantes eam sunt diversæ & innumerabiles;

4) proximam causam semper producere paroxysmum, sed non semper adesse;

5) ergo conditionem diatheseos posse diu latere silentem;

6) nil mali eo tempore in corpore adparere.

7) ergo causas excitantes esse a diathesi distinctas;

8) conpescendo causas excitantes posse diathesin esse sine effectu ad mortem usque.

Coitum veram epilepsiam dixere, & protractus ita foret.

Ergo

Ergo poteſt per annos latere, ſi non excitetur, diatheſis.

Diatheſis avo terribilis, ſilens in filio, adfuit nepoti: in filio robur firmum ſubpreſſit diatheſin.

Cauſæ excitantes:

1) *Animi motus*, præcipue ii, qui ſimiles his, qui orta epilepſia prima vice fiebant.

Infans a latrante cane epilepticus factus, vix canem videt minacem, quin fiat epilepticus. Spectrorum minæ infanti intentatæ (excitant ſæpius paroxysmum.)

Ira, metus, cura, ſollicitudo, terror, gaudium ſummum, ſomnia; ſunt, qui nunquam niſi in ſomno habeant, & non ſunt hi curabiles, deſinunt in lethales epilepſias.

2) *Ingens actio ſenſorii communis:* meditatio profunda, protracta.

Viſi circuli rotari, turbo, rotæ, flumen rapidum; mox cadunt epileptici.

3) *Veneris cultura:* & tamen ſunt in Venerem proni. An id a diatheſi in convulſiones? An a concuſſu humorum acredo & pruritus? — A manuſtupratione.

4) *Temulentia:* motus ebriorum ſimiles epilepſiæ, & tamen epileptici propenſi in temulentiam, quia ſe putant vacillantes debere refici: — luxus epularum.

5) *Plethora:* multi, ubi debiles ſunt, non habent; ubi plethorici, habent. Viris, feminis omni menſe plethora adeſt ad certos lunæ adſpectus. Si non evacuentur menſibus, lochiis, lac mammis, fit ingeminatio. — Rarefactio a calore; præcipue vere.

6) *Nidores*, conmovendo nervos.

7) Homo apud RONDELETIUM toties correptus, quoties *aëre frigidiori* in publicum prodibat, idque dum aërem hauriret naribus, non ſi ore. Auribus occluſis non rediit malum. An quid fuit in nervis circa membranam meatus Euſtachiani? An tympani membrana fuit aperta & ſic a tranſitu aëris natus hic adfectus?

8) *Inprægnatio*; immo dubium de graviditate in quibusdam ſolvit.

9) *Summus nixus partus.*

10) *Partus difficilis*, in annoſioribus.

11) *Copula ipſa venerea.*

12) *Magnæ mutationes omnes*; purgantia, venæ ſectiones &c.

Prognoſis.

Incurabilis eſt *a*) hæreditaria, *b*) congenita, *c*) orta a mala conformatione ſolidorum, *d*) a mala idioſyncraſia totius corporis, *e*) a mala humorum degeneratione, *f*) a mero vitio ſenſorii communis.

Has omnes incurabiles pronuntiamus, niſi

1) non ſciamus, quænam illa cauſa ſingularis ſit; nam ſi non ſciamus, non poſſumus prognoſin hanc habere.

2) Niſi ſciamus, eam cauſam arti exſtirpabilem & removendam.

Sed tamen ſi eſſet ſine paroxysmo diatheſis, foret quaſi nulla. Hinc cauſarum excitantium non nativitatem, vel natarum inertiam facere debet Medicus.

Cauterium ad diploën Lugduni-Batavorum factum a NUCKIO, ſed non profuit; factum tempore DEKKERS profuit. Ergo a tali cauſa (fuit nata epilepſia, curata a DEKKERS, quæ tolli poterat inuſtione cranii.)

Si

Si v. g. fixus in quodam loco dolor semper maneret extra paroxysmum, poteſt tentari; vel ſi intropreſſio, vel callus in oſſe.

MARCELLUS DONATUS in *Tractatu de incurabilibus* lepidi hiſtrionis memorat, qui, quum eum ipſo in theatro quandoque inſultus prehenderet, dimitteretur: hinc pauper & miſer DONATUM precatur, ut ſui misereatur. Cauterio in occipitio, ubi dolebat, eum ſanavit. Noverat, illum lue venerea laboraſſe; ut emendaret, inuſſit, curavit.

Nobilis Gallus epilepticus Italiam petiit, conſulturus Italos. Milites Hiſpani capiunt hominem, & ſpoliatum ſauciatumque relinquunt. Ferunt eum alii in vicum ad Chirurgum. Habuit vulnus in fronte, quod ſanari cito non poterat; caruit (durante curatione vulneris) ſolitis paroxysmis: unde diu apertum manſit poſtea de induſtria, & egit homo gratias ſemper hoſtibus Hiſpanis, qui, quem trucidaſſe crediderant, ſanitati reſtituiſſent.

Incurabilis epilepſia omnibus remediis ab annis: rogat DURETUS vitam anteactam; nil defuit: ſed ſcabies fœda curata. Manſiſſet æger incurabilis; ſed folia betæ ſatis acria Medicus circumpoſuit capiti, juſſit caput ſemiulceroſum fieri: diu hoc factum: tum ſetacea & fonticuli inpedivere regreſſum morbi.

Igitur caſu vidimus quandoque ſolvi idiophaticas. Si poſſimus ſcire cauſas, forte plures curaremus, nunc omni arte incurabiles: ſed quis novit v. g. ſeceſſiſſe duram matrem a cranio & ſaccum ichore plenum ibi, indeque premi cerebrum? Si ſciremus, trepano curaretur. Cariem diplois quis novit, ſi nulla ſigna? Tamen talia ſæpe ut cauſæ adſunt; nam hinc inde conſtat, homines poſt vulnera capitis curata caruiſſe deinceps omni inſultu.

An

An vero desperati non adtingendi ? Sane videndum, quæ temperies ? Sit v. c. epilepsia HIPPOCRATIS mucosa:

1) utatur æger diæta siccissima, pane biscocto, uvis passis, corinthiacis, pauco potu.

2) Validissimos exerceat labores: exempla visa horum otiosorum epilepticorum, dum fortuna adversa, vel quod ipsi sua bona dilapidassent, cogerentur in sudore vultus victum quærere, fortunam hanc maximam nactos fuisse, ut carerent paroxysmo. Qui præsunt liburnicis, testati sunt, curatos apud se fuisse labore in remigiis victuque sicco, epilepticos. Nobiles possunt vitam otiosam mutare in suis prædiis, agriculturam exercendo, more CATONIS, FABII MAXIMI & Veterum Romanorum.

3) Peregrinationibus deditos exempla docuerunt morbo mansisse inmunes, in patriam reduces denuo eodem fuisse correptos.

4) Salivatio aliquando, non semper, juvat;

5) sic & decoctum lignorum.

6) Fonticuli, setacea, semper manantia; faciunt id, quod achores.

7) Mutationibus circa pubertatem spontanee nonnunquam curatæ diatheses.

8) Cura HIPPOCRATIS; ille in Asiaticis detexerat infantes, & adultos, qui, infantum instar, solida laxiora servarent, mollesque forent ac pituitosi, maxime esse epilepsiæ obnoxios. Porro, quum pubertatis tempore advertisset, curari sponte epilepsiam, animum intendit, ut flaccidis hominibus illis virile robur conciliaret evacuantibus & roborantibus. Sanantur sic multi.

In-

Infantes certe debiles mucosi habebant, teste HIPPOCRATE, diathesin idiopathicam, quatenus convenirent cum ovibus epilepticis, quas toties aperiens HIPPOCRATES detexerat, mucositate in cerebro abundare. Sed infantes non mucosi sunt toti nervi, ut infans recens natus possit dici totus nervus. Hinc idiopathicæ epilepsiæ diathesis.

At & mucosa temperies & nervosa illa, ætate mutantur: hinc tempore pubertatis tanta spes, quam si transgrediantur non curati, est diathesis alia, permanens invincibilis.

Tum & causa potest esse in infantibus alia: cerebrum, ut reliqua, crescit; si plus crescat, quam cedit molle cranium, potest convelli. Si ætatem adeptus habeat illud æquilibrium, bene; sed, si mucosius, mollius cerebrum plus creverit, quam cranium, pressio manet, & diathesis perpetua.

Unde mucus & alia quæcunque materies ex naribus effluens, quod illi infantes sæpe habent copiosissimum; tum aures pure manantes per meatum externum, ulcerantes auriculæ, achores, tineæ, favi, sæpe adeo proficua, ut his deficientibus, setaceis, fonticulis, subplendum sit eorum defectui. Immo saliva perpetua præservatrix observatur in infantibus.

Simul etiam res alia practica intelligitur. Achores, tinea, retropressa non semper epilepsiam, sed & asthma generant; quod toties in praxi vidi; quod etiam HELMONTIUM perduxit, ut vocaret asthma pectoris epilepsiam: certe est asthma convulsivum.

Cura in solis antispasmodicis non consistit: nam materies adest. Igitur betæ foliis, vesicantibus, phænigmis, revocare materiem ad caput, setaceis, fonticulis (aliorsum juvat.) Ita sæpe curavi tales morbos.

Notat HIPPOCRATES, his inniti Aſiaticorum ſuorum epilepticorum curam. Ait, inſultus maxime hyeme ingruere. Res clara. Calor exſiccat ibi corpora, ergo contrarius mucoſitati. Hyeme homines ſani minus muci generant, quia ventres hyeme, quam æſtate, calidiores: ſed mucoſi non ita; non habent aptos humores ad adtritum augendum: dein humidius cerebrum facit epilepſiam. Si jam in loco calido per hyemem omnia liqueſcant in naribus, faucibus, & homo in aërem frigidiorem exire debeat, ſiſtitur omnis excretio per nares, & homine carente illa derivatione muci copioſiſſimi & ſalivæ per venas jugulares, manent hæ venæ muco refertæ, obſtaculum fit ſanguini venoſo ex calvaria reduci & fit paroxysmus.

Huic ideæ nituntur Aphoriſmi HIPPOCRATIS de epilepſia, quoad tempora anni, tempus nebuloſum, ventos quosdam &c. quatenus noceant hominibus mucoſis; quoad etiam aërem auſtralem, calidum & humidum &c.

Sed ait ſimul H., cerebrum his eſſe mobile, ob debilitatem; hoc emendate, inquit, evacuando & roborando.

An jam ſcitis, cur V. V. laudarint fortia hydragoga & dein epidendron? Vere antiſpasmodica, hic, ut in alio caſu, venena.

Si porro neque in omnibus his caſum præſentem videamus, ardua fit res, ſed necdum deſerenda.

1) Videndum, origo mali an hæreditaria, an connata; an quia mater in partu habuerit; an partus laborioſus caput deſiguraverit; an cuſtos capitis vincula adſtrinxerit; an genita ex animi adfectibus, ira vehementi, triſtitia, terrore; an excreta retenta, an vermes cauſam præbuerint?

2)

2) Quæ mali ſedes, an in cerebro, vel alibi?

3) A primo inſultu ad finem epilepſiæ omnia exacte deſcribenda & notanda ſymptomata ordine, quo in quaque corporis parte contigere.

4) Quid factum toto eo tempore fuerit, quid adplicatum; quid bene, quid male, ceſſerit?

5) Obſervandæ exacerbationes ſedulo, quo anni tempore; an vere, autumno, hyeme; an vento auſtrali ſicco, an humido, boreali?

6) Tempora lunæ obſervanda; quia quidam obſervantur aliquantum ea regi; unde Σεληνιακοί.

7) An circa plethoram virilem, fluxum hæmorrhoidum, menſtruorum? Fiantne paroxysmi graviores, dum menſtrua doloroſa, pauca?

8) Quid geſſerat, ingeſſerat, excreverat, vel non excreverat, adoriente paroxysmo? An eſſet meditatus, operatus multum, an otioſior? An ſobrius, vel magis opipare nutritus? An laxa alvus, vel clauſa? Venerine aut Baccho litatus? An jurgia, iræ, præceſſerint? An alvus laxior, an obſtipata?

9) An citior vel tardior redeat paroxysmus? Quid fecerit, quando tardior; quid, quando celerior?

10) An paroxysmus alio atque alio tempore longior, brevior; ferocior, mitior? Quid tunc actum, vel non actum? An in frigido loco pejus, melius? Quid adplicatum naribus?

11) An habuerit ulcus a contuſione, in crure ſcorbuticum; an non habuerit? An curato illo morbus pejor, (melior, vel primum ortus?)

12) An habuerit paroxysmum dum eſſet in itinere, alio loco, alio aëre, alio victu utens? e. ſ. p.

Ex his omnibus eruenda indoles mali; pro ſingulo peculiaris; difficile id fit, ſed aliter difficilius curabitur æger. Si aliquis aderit, cui poſſit fides ha-

beri, dentur ipſi nunc enumerata duodecim hæc capita, & adſcribat, quæ noverit: poterit nos juvare.

His ſedulo perpenſis Medicus mature ſecum cogitet, ut inveniat regulam aliquam agendorum ac vitandorum, ac ut conjecturando adſequatur ſedem mali modumque adfectus. An cerebrum vel alia; & ſi cerebrum, an malum a plethora, an ab aëre, an ab animi adfectu, an ab irritatione, evacuatione? Inde videt Medicus, quid agendum, quid vitandum. An, quando incipit paroxysmus, æger vomat, alvum laxet? An nauſeas teſtetur ante mox venturum paroxysmum? Si adſint, qui omnia notent, videt Medicus illico rem totam.

Nupta junior mulier a familia reſcivit, maritum novum ſuum epilepticum eſſe, contriſtatur; ſolantur eam, dicendo, virum præſentire ſemper ex dorſo futurum paroxysmum; parentes edoctos eſſe, inſultum præverti, dum, ubi hoc præſentit, pugnis in dorſo excipitur. Femina ſemper hac ratione ſe paroxysmum ſopiiſſe, ſæpe ipſa mihi narravit; erat hoſpita mea Lugduni-Batavorum.

Conſiderandi & modi varii invadendi, & loca varia adfecta extra cerebrum.

Ratione modi examinandum 1) quid contingat ante inſultum, 2) quid in eo, 3) quid poſt eum.

Ratione loci examinandum, an pes, an manus, an humerus, an dorſum.

Cernitis morbum, dum adeſt, eſſe eumdem in idiopathica & deuteropathica; ſed locum in cerebro plerumque inacceſſibilem, extra illud ſæpe haud ita. Minus ita incipiunt a boatu, mugitu, vertigine, lapſu, ſed in membris ſæpe mira obſervantur.

Pedibus motum ſentiunt, ut in gyrum currant diu, antequam cadant, *v.* SCHENCK. *p.* 96., idque quo-

quotidie. — Alius in gyros 3. 4., dein currit recta velocissime, tum fricat caput, nares, aliquando cadit, aliquando non : si cadat, fit epilepticus ; si non cadat, non fit, sed anaisthesia oritur, hebetudo & transit paroxysmus. — Alius per mediam horam sursum, deorsum gradus adscendit, dein currit per planum, ut somnambulus, evitans scopulos, & non cadit.

Nil miri : in idiopathica homo in paroxysmo calcitrat pedibus, ita, ut agitentur pedes non tantum ut in sanitate, sed motu superaddito : hic convulsio agit tantum in partem kineticam præter voluntatem, ut in sanitate per voluntatem.

Famulus horti publici botanici Lugdunensis epilepticus erat ; sæpe volens BOERHAAVIO aliquid dicere de plantis, contigit ut non posset, sed per decem, duodecim minuta staret erectus, mutus, tristis, vacillans, veluti omni momento casurus : non cadebat, redibat ad se & sine ullo manebat paroxysmo. Vidit, quando pessime habebat, id bis, ter, una hora contigisse : degeneravit tandem in veram epilepsiam.

Epileptica mulier incœpit semper præsentire, reddens lotium : stabat oculis apertissimis, quaquavorsum respiciens ; tunc cucurrit per cubiculum, iterum constitit, animo non præsens, raro cecidit : rediens ad se nil scivit, nisi, quod voluerit reddere lotium.

Immo sunt in deuteropathicis, qui semper animo constant : omnia hæc exemplis confirmata habentur in *Ephemerid. Nat. Curios. Dec.* I. *an.* 5 *&* 6.

Deuteropathicam vidi miserrimam, incurabilem omnibus Medicis, per decem annos, quæ in uno semianno habuit septuaginta septem diebus paroxysmos, ad minimum duos, sæpe decem, de die, animo semper constans. Causa deuteropathica hæsit in sinistro

latere : poſt morbum inflammatorium pectoris manens dolor, ubi diaphragma nectitur coſtis, nulla arte vincibilis.

Sunt univerſales, periodicæ, violentæ convulſiones, ſenſibus, ratione conſtantibus ; nam, ut in præcedentibus manſit facultas corpus erectum tenendi, ſic hic facultas in mente præſens, vigens.

Quædam femina ſemper cantat, alia ſemper ridet, alia ſemper ſaltat, alia clamat, alia currit ad finem usque paroxysmi. *V. Eph. N. C. Dec.* 3. *an.* 5. 6. *p.* 154. 313.

Magnus BOERHAAVIUS narrabat nobis, noviſſe ſe puellam, uxorem poſtea, dein viduam, ob pulcritudinem ſuam, ingenium & amabiles animi dotes inter urbis delicias habitam ; quæ inmerito quadam contumelia adficiebatur, quam concoquere ſecum non potuit, tamen debuit. Tandem factum, ut ſæpe ſubito exſurgeret, & facie ad conmovendam miſericordiam conpoſita vicinas mulieres nobiles in conſortio præſentes, rogaret, ut ſuſtinerent ſe conlapſuram, lenirentque blando ſermone ; tandem, ut vellent amplecti, oſculari &c. ubi per quadrantem horæ hoc duravit, quievit. Aliquando contigit illi hoc in templo ; ut debuerit a templo & cœtibus publicis abſtinere. Per quatuor annos dum hoc ſic ſæpe contigerat, evenit, ut vix bihorio libera ultra eſſet, & deſolata ob has miſerias tandem maniaca effecta eſt. Longo tempore maniaca exiſtens nunquam tales paroxysmos habuit : mania ceſſavit & paroxysmi redierunt. Erat ſane epilepſiæ ſpecies.

Deuteropathica 1) ſtomachi, 2) aliarum partium.

Ventriculi nervorum princeps eſt in cerebrum auctoritas : „ Stupemus, ait HELMONTIUS, quantas vires

res placuerit Creatori tribuere flaccidæ, elotæ membranæ. "

Nervi hi hoc faciunt ſtimulati, ſed ſæpe absque ſtimulo, tantum tacti: ut opium agit, adtingens modo eos, dum homo quacunque parte corporis nimis dolet: eſt mox quaſi in campis elyſiis.

HELMONTIUS napello, chemice præparato, apici linguæ inpoſito, ſentit ſibi zonam linguæ leviter adſtringi & ſe mox longe alium hominem fieri; ita clare ſe cogitaſſe deprehendit, ut nunquam habuerit clariores ideas, idque per duas horas, tum levem vertiginem percepit ac iterum, ut ante, cogitavit. Ergo videmus mirum inperium nervorum extra cerebrum poſitorum, & tantum leviter tactorum, in ipſum cerebrum.

Forte ſternutatio quid ſimile habet: ſentitur leviſſima, eaque menti non ingrata, titillatio in flocculoſis quaſi narium nervis. Simpliciſſima hæc actio facit, ut paullo poſt titillatio grata percipiatur circa præcordia: ſic ſæpe fit. Sed aliquando hominibus nil hujuscemodi ad nares percipitur; ad præcordia vero ſternutaturi ſentiunt quid grati, titillantis: & tum idem ad nares. Ubi horum alterutrum, vel utrumque, fit, homo cogitur omnes corporis actiones ſuspendere, ſtare & exſpectare, quid futurum ſit: hoc facto, momento poſt, fit ingens, ſonora, ſibiloſa, violenta, inpetuoſa, convulſio muſculorum reſpirationi ſervientium. Hæc actio tanta eſt, ut in toto corpore nullus muſculus, vel pars, ſit, quæ non moveatur. Si duret nimis, poteſt in ſummas delaſſationes, convulſiones, mortem, abire.

Helleborus albus deterſis naribus adplicatus id facit, ut ſternutatio evacuet omnia ibidem organa excretoria ac ſecretoria. Ergo venenata quaſi vi hoc agit & teterrimas producit convulſiones.

Quod venenum facit, plumula levis, agitata in naribus, idem producit. Hinc videmus ſpeciem epilepſiæ oriri a ſimpliciſſima mechanica adplicatione.

Si homo ſanus ſolito diutius jejunet, ſpeciem ingratæ diatheſeos circa ventriculum ſentit: vocat debilitatem, flatus &c.; tum motus non ingratus ſequitur, mox duæ, tres, quatuor, ſternutationes.

Qui emeticum ſumſit, dum eſt in actu vomitus, ſternutat, ut ore non tantum, ſed & naribus, exeat materies. Sæpe tres, quatuor, quinque, ſternutationes oriuntur ab hac vellicatione.

Obſervantur infantes adſiduo naſum fricantes male habere, pallere: vulgus tum ait, eos vermes habere. Lumbrici motu id faciunt ad ventriculum, vel prope.

(Nonnunquam idem obſervatum ſymptoma, etſi, remotiſſimo a ventriculo loco, finem vix non inteſtini recti obſederint aſcarides; nullis aliis vermium ſpeciebus in inteſtinorum tractu deliteſcentibus. Sed & ſubpoſitoria ipſa, inprimis helleborata, id nonnunquam faciunt.)

Sternutaturus eſt in intentatis nimis, ſitne caſurus, an ſtaturus; ſed exploſio ſequens omnia reſtituit. Hinc tunc ſecundo ſuſpenſorio gradu eſt quaſi ecclypſis, & incipiens abolitio facultatis muſcularis; ita, ut homo ad nulla adtentus ſit, non audiat. non videat &c.

Si duraret diu, homo vix differret ab epileptico; nam mox validiſſimus motus, mox inertia tota & ſuſpenſio, mox motus denuo &c.; unde eſt actio, ſi duret, adeo delaſſans & abiens in veras convulſiones, ut ab helleboro.

Videtis ergo, quomodo fiat epilepſia ſtomachica. Ergo 1) ſi dolor præceſſerit ventriculi;

2) ſi præceſſerit ſenſus diſtenſionis; repletionis; flatulentiæ;

3) con-

3) conpunctio, lancinatio, ad ventriculum: [patebit dein, quod aliquando e digito minimo pedis adscendens per suras, femora, abdomen, perveniat ad præcordia; id si fiat, cadit epilepticus: ut hoc a dissitis nervis, ita & a loco ipso];

4) difficilis tolerantia inediæ; unde vix dimidia pars epilepticorum a jejunio; id a bile, vel lumbricis;

5) cardialgia, acida, aromatica, biliosa;

6) nausea;

7) languor ad præcordia, tum defectus animi;

8) vomitus pituitæ, bilis;

9) pergræcatio insueta;

10) Venus fervidior, frequentior, non semper notat, ut quidem vidimus, idiopathicam;

11) bilis atra, ulcerosa materies, rodens os ventriculi. Sium aquaticum Gesneri, magna offa in ventriculo, facit dirissimas epilepsias, & convulsiones; emeticum sanat per omnem vitam.

12) Crapula a vinis cerevisiisque fermentantibus, vel ad fermentationem dispositis;

13) singularis ventriculi constitutio; quidam nunquam epilepsiam habuit, nisi adsumtis lentibus; uti operatur etiam nux vomica in ventriculo canis, lupi, felis, avium; in homine tantum vomitum excitat, nisi majori adsumatur copia. (Aliam instantiam præbet oleum amygdalarum amararum, sub convulsionibus lethale canibus, felibus, lupis &c., avibus, amphibiis, innocuum homini. *V. Pandectas* meas *physico-medicas &c. §. 11.*) Videtis ergo, omnino non in omnibus idem obtinere. Immo copia facere potest malum.

Hæc omnia nunc enumerata, ſublata ad præcordia, cauſæ tota vita nonnunquam epilepſiæ. Quid hic v ſ., balnea, fumi, vapores, epiſpaſtica &c.? Hinc felix, qui rerum poterit cognoſcere cauſas. Curato ventriculo, omnia curata; non curato, poteſt epilepſia ad mortem perdurare.

Stomachica epilepſia duplex: 1) a ſola irritatione; 2) a materia.

1) Signa ſunt antecedentia, nec invenitur omni examine quidquam: ergo diatheſis ventriculi, roborato ventriculo, ſanatur.

2) Indagata materia curatio patet. Copia nimia: ſic ipſæ aquæ ſpadanæ nocuerunt: ita in infantibus ab ingluvie, in adultis a comeſſatione; maxime ſi habeant diſpoſitionem a bile, pituita, vermibus. In infantibus plerumque cauſa acida. Quando proſunt emetica? Ubi materies adeſt. Quando nocent? Ubi materies non adeſt, ſed tantum irritabilitas.

Mitificantia, abſorbentia, juvant præſente morbo ab acido; nocent, præſente bile putrida.

Infans a mera debilitate ventriculi fit mucoſus totus & epilepticus; jam abſorbentia non juvant, ſed ruta, aliaque mucum incidentia, proſunt, & vomitorium.

Ubi conveniunt diuretica, purgantia? In ſeroſa colluvie, in mucoſa temperie, in epilepſia *Hippocratica.* Ubi nocent? Ubi irritabile tantum peccat: paroxyſmus inexſpectato inde redit. Purgantibus, ubi acidum abundat, adde abſorbentia, & contra.

Si emeticum, ſi purgans exhibueris, ſemper ea die da opium, peracta operatione.

Si mera peccet irritabilitas, ut in domicella a motu in curru, a motu ſellæ, a minima irritatione nauſeæ; ibi antepileptica erunt theriaca, mithridatium,

diaſcor-

diascordium Fracastorii; ibi opium, & roborantia. Sed, si non bene examinastis, includitis hostem; ut, qui cortice peruviano febrim cum materie sopit.

Ubi prosunt carminantia? Ubi flatulentia praecedit: si a bile acri anxietates & tumores ventriculi, auges malum.

Tertia species est, ubi causa mali non in ventriculo, sed alio loco. Epilepsia saepe observatur futura ex motu inordinato, vel dolore, vel gravitate, vel frigore, partis a capite remotae: ubi haec aliquando durarunt per minuta, horam horasque, sequitur paroxysmus.

Id fit, vel quod cerebri labefactatio se manifestet hoc signo, & potest vere idiopathica, originalis epilepsia cerebri, se prodere hisce signis manetque saepe incurabilis, sive tale signum habeat, sive non habeat. Sed aliquando est deuteropathica, inde originem habens, & tunc saepe curabilis. Ergo non est concludendum; illa signa video, ergo epilepsia inde. Non potest cerebri labes originalis se ita manifestare; hinc omnia signa in nostris sunt notanda, videndumque, an revera sic sit, an aliter.

Necessitas est inquirendi, quia summa epilepsia quandoque a nervo alibi habente in sensorium commune inperium; ut vidimus de nervis ventriculi.

Multi denuntiant futuram invasionem oculi musculis variis; rogas eos, nesciunt.

Multi indicant ore, maxime contractione osculatoria: interrogati denuo, ignorant. Lingua quasi conbusta, vel puncta, vel tremula, vel torpida.

Multi collum totum varie flectunt, contorquent, omnem in modum. Sed tamen, si causa in collo, visi sunt caruisse paroxysmo, si quis dexterrime ac blande novisset collum bono situ ponere, retinere.

Alii

Aliis in ſcapulis, vel inter illas, futurus paroxyſmus percipitur. Frictio, percuſſio cervicis, muſculi cucullaris, patientiæ, diſſiparunt paroxyſmum.

BOERHAAVIUS exemplum habuit concuſſi humeri, quem, ſi quis ſubito fortiterque prehenderet, fricaret, agitaret, aberat paroxyſmus.

In brachio, manu, digitis, ſtupor, frigus, dolor, curantur ſimiliter.

Alii crampo ſuræ admonentur de ingruente paroxyſmo; ſi ſubito fortiterque liges, vel premas, carent paroxyſmo.

Omnium maxime ad digitos pedis; unde in Aſia ibi poſuere fonticulos vel inuſtiones. Sentiunt porro ſemper inde ad præcordia (progredi ſenſationem futuri mali) & dicunt, ubi eo venerit, adfuturum paroxyſmum.

Eſt aliquando mira adfectio in tendine: aliquando a corpuſculo adjacente, ab oſſe carioſo, ab ulceribus latentibus, profundis: ut in vulneribus, in nudis tendinibus, mechanicus adtactus inprudentis Chirurgi epilepſiam excitavit; ſic & producta ab acicula infixa ad tendines infantis.

Si conpreſſiones v. g. ad ſuram &c., percuſſiones ad dorſum ſanent, ſignum, cauſam ibi hærere: tamen, ſi ab ulcere, carie, non juvant ſæpe conpreſſiones, licet cauſa ibi hæreat. Fonticulus, ſetacea, audax apertura, inuſtiones, ſanarunt deſperatos: in aliis caſibus juvarunt ſcarificationes, cucurbitæ, cantharides, omni menſe adplicati ſinapiſmi.

Epilepſia uterina huc refertur. Adſcribunt utero: vix videtur a ſano utero, a ſanis humoribus tale quid oriri. Rogatæ tales feminæ ajunt, ſe ſentire [poſtquam animi perturbatione ſanguis jam perturbatus] motum ingentem ſub umbilico; ajunt, tunc matricem moveri

veri loco, adſcendere quid volubilis, rotabilis, vergere ad ſiniſtras, & ubi prope diaphragma pervenerit, ſeſe caſuras: itidem gulam inde præfocari dicunt: cadunt ſenſibus orbæ, & multæ vere convelluntur. Non nego, acria, humores corruptos, ad uterum (male adficiendum) facere poſſe; ſed videtur, quando hæc non adſunt, circa inteſtina & meſenterium nervos adfici. Adſtrictio abdominis (in talibus nonnunquam) remedium.

Epilepſia puerperarum a mero defectu adpreſſionis ad cerebrum; cauſa ad uterum: præcavetur ligatura idonea, tempeſtiva.

Epilepſiæ ortæ a materie irritante, a vermibus, in inteſtinis, curantur expulſione.

Ergo videmus varia in variis (adplicanda remedia) & nullum dari (univerſale) antepilepticum, nullum antiſpaſmodicum.

Odoratus fœtidorum eſt antepilepticum; eſt & ipſum excitans: idiopathica maxime inde excitatur: deuteropathicæ, maxime ſi ad nares, oculos, primordia avertuntur: quandoque juvant fœtidiſſima, parata ex cornu cervi, oſſibus, cornubus, ungulis animalium.

Oleum cornu cervi, oleum ſuccini rectificatiſſimum cum aſa fœtida in pilulas redactum & quotidie adſumtum intra corpus, deſperatos, nulla arte levandos, ſedavit; ut paroxyſmi vel ſilerent, vel pauci adeſſent miteſque. Occiſi inde vermes; ataxia, irritabilitas, ſæpe emendata. FERNELIUS ore anoque inmiſit, externe illinivit, ſuccum rutæ, aceto ſtillatitio rectificatum; ut ſummum in deſperatis arcanum: eſt anthelminticum & antiglutinoſum.

Solent Medici, ſi puellæ epilepticæ, ſpem facere in matrimonio: ſanantur hinc inde; *v. Eph. Nat. Cur.* 1717.

1717. *p.* 80., multæ non: poſſunt initia forte in utero eſſe: ſed fallit ſæpiſſime.

HOFFMANNUS curavit epilepſiam ptyaliſmo: triennis curata febri epidemica; *v. Eph. Nat. Cur. Dec.* 3. *p.* 298. Periodica epilepſia curata quartana *l. c. p.* 34.; ita & Lugduni factum; ſed ea ceſſante quartana redibat.

Curata terrore ſummo; *v. Eph. N. C.* 1719. *p.* 115. & 278.

Quandonam corallia juvant, lapides cancrorum, margaritæ, mater perlarum, conchæ, ebur, dentes aprugni, ungulæ alcis, (abſurde commendatum cranium humanum)? quando acre acidum in primis viis; cæterum non juvant, vel nocent.

Quando valeriana ſylveſtris FABII COLUMNÆ juvat? Præſentibus vermibus, glutine.

In ipſo paroxyſmo præcavendus lapſus; blande extendendi artus in lecto; ſed non violente id fiat, nam diſtorſiones inde & luxationes, ubi vis contra vim adhibetur. Demit lenis adplicata vis convulſis muſculis aliquid additque antagoniſtis: ita & blanda frictio juvat, ut ſanguis ſtans ante muſculos pergat. prudens interpoſitio ſuberis inter dentes fiat; ſed præſtaret, involuta talia habere linteo, ne mordeant ægri & deglutiant; vel filo trajecto firmentur: non ita inciſoriis ſubmoveantur, ne abſcindantur, ſed molaribus. Adliſiones capitis, artuum, caveantur pulvinaribus. Ultimo fine poſt ſomnum adhibeatur ſpiritus cornu cervi ſuccinatus, (ſiquidem cauſa mali ac indoles fœtida ferat; nam paullo ante dictum, non convenire in omnibus) ſpiritus excitantia.

En Vobis, (nunc HAENIUS proſequitur) ſchediaſma morborum cephalicorum in *epilepſia* demonſtratum. Vidiſtis in eo definitum morbum, deſcripta ſympto-

ptomata; ut hucusque neſciam, me vel unicum omiſiſſe. Facta etiam ſemel diviſione in idiopathicam, deuteropathicam ventriculi, deuteropathicam aliarum partium, omnes obſervatas alias ſpecies eo reduximus. Dubios caſus aliquando nobis occurrentes, ita, ut dubitaremus, non tantum, ad quam claſſem referendi eſſent, ſed an ad aliquam eſſent referendi, ſuis quemque adſignavimus claſſibus: v. g. vidimus virginem, quæ cantaret; aliam, quæ ſaltaret; aliam, quæ toto corpore ad ſesquipedem in altum tolleretur; etſi omnes tres mente forent præſentiſſima: tamen & ob cauſas præcedentes & ſymptomata præſentia, quæ diriſſimam epilepſiam exhibuiſſent, ſi facultas cogitandi ſimul intercepta fuiſſet, debuimus etiam referre ad epilepſiam, inperfectam quidem ea in parte, tamen veram. Ita *τὴν πνίγα ὑςερικὴν*, qui vagus cæteroqui morbus fluctuat, ad deuteropathicam redactum vidiſtis.

Remedia laudavi ſuo quæque in caſu præſtantiſſima (utut multum abſit, quin adducta fuerint adverſus dirum huncce morbum majori, minori, aut nullo, jure laudata omnia); ſed formulas non dictavi. Neque in APOPLEXIA, PARALYSI &c., id faciam: namque omnibus his morbis præibit VERTIGO; dixi enim alias, eum eſſe cephalicorum omnium principem. (An non itaque ipſi præmittendus fuiſſet epilepſiæ?) Vertigo illa orietur ex omnibus cauſis, ex quibus poſthac videbimus oriri apoplexiam, parapoplexiam, paralyſin &c.; ergo, ut omnium horum morborum diverſæ ſunt origines, ita & vertiginis. Vertiginem igitur deducam ex ſuis variis cauſis, & indagatis cauſis varia tradam remedia, aptis formulis adornata. Videbitis tunc, in curanda apoplexia v. g. vel curam tantum eſſe, quæ in præſenti paroxyſmo apoplexiæ requiratur; ita in paralyſi &c. hanc ſua quamque claſſe dabo; vel eſſe

curam,

curam, ut minæ intentatæ apoplexiæ averruncentur, aut curata apoplexia leviore [nam fortis non curatur], ita disponatur hoc corpus, ut non relabatur. Totum porro id, quod ad minas intentatas futuræ apoplexiæ, paralyſeos &c., vel ad diatheſin mutandam curato morbo requiritur, habebitis in claſſe diatheſium variarum in cura vertiginis.

(HAENIANIS his circa epilepſiam traditis nectere nunc lubet ſequentia quædam nonnulla cogitata de STERNUTATIONE; quum materies hæc magni ſane momenti per totum Pathologiæ decurſum hinc inde quidem leviter tacta, nullibi vero, quæ Medici practici, ut ſciat, interſunt, amplius nonnihil discuſſa fuerint. Omiſſis quæ *Anatomen* ac *Phyſiologiam* magis concernunt, exhibeo hic, fragmentorum ſub ſpecie, *Praxi* propria.

An in morbis capitis a cauſis internis natis licet conveniteve adhibere ſternutatoria?

Sunt caſus ubi licet, ſunt ubi minime. Ut enim contuſo vulneratoque capite natura nonnunquam viam ad exteriora adfectat, ita & idem alia vice fit, adfectione a cauſis internis nata. Sic TULPIUS refert *l.* I. *c.* 32., exemplum tectoris, qui omnem artis opem fruſtra exhauſerat ob capitis intolerabilem dolorem; tandem natura curavit hominem, pure plurimo naribus effluente; quo facto ceſſavit kephalæa. — Clarus vir ab inveterata kephalæa curatus, viſcida pituita ex omni cranio exſudante, adhæreſcente inſtar glutinis capillorum radicibus, producente paullatim veram porriginem, defœdantem quidem caput, ſed vindicantem interim ipſum a dolore alias invincibili.

Abundant obſervata Auctorum, docentium, vermes lapideasque concretiones in cerebro quandoque delitеſcere & producere kephalæas, convulſiones, epilepſias: tum ſtatuunt, ſubinde hæc naribus emiſſa eſſe

cura-

curatosque morbos. — BENIVENIUS *obs.* c. 100. de verme narrat, palmam manus magnitudine æquante, quem amicus quidam post vehementem kephalæam dextra nare emiserat, unde mox omnis dolor cessavit. Vermisne verus fuerit, necne, fuit saltem corpus, quo per nares excreto cranium liberabatur a causa doloris.

HOLLERIUS puellæ mentionem facit, quæ similem vermem naribus emunxit.

HILDANUS, KERKRINGIUS, BLANCARDUS vix non eadem adnotarunt; illico dictus Auctor refert, quemdam post biennem kephalæam, ejecto per narem verme, illico fuisse sanatum.

SCHRÖCKIUS apud BONETUM ait, curatum quemdam studiosum a dolore capitis & hæmorrhagia narium enormi, emisso per nares verme, hirudinem referente, triduo vivente.

Lapilli in cerebro latentes produxerunt subin dolorem capitis vehementissimum omni artis præsidio resistentem, una cum gravissimis aliis, sensim obortis, symptomatibus. Verum & hic natura in quibusdam, uti Observatores adnotarunt, sibimet optimus fuit Medicus. *Celeberr.* HANNEMANNUS, STALPART VAN DER WIEL ait, litteris notum mihi fecit, post inmanem kephalæam, & usum pulveris ptarmici rusticum sternutationis nisu lapillum e naribus ejecisse; quo ejecto dolor fugit. (*)

Thom.

(*) Etsi quidem lubens concedam, lapillos in cerebro hærentes nec sternutatoriis, nec ipsius naturæ præsidio, semper posse excuti, indeque natum leniri, aut plane curari, morbum; non tamen

Thom. BARTHOLINUS nobilem quamdam virginem per nasum varios calculos emisisse memorat. HORSTIUS mentionem facit lapidis magnitudine parvam castaneam referentis, qui post kephalæam pone nasum per palatum ejiciebatur.

Videmus itaque, kephalæarum causas multas ab ichore, pure, vermibus, calculis in cerebro, vel sinubus frontalibus, sphœnoidalibus, maxillaribus &c. delitescentibus natas; easdem sæpius, excretis iisdem, sanatas.

In morbis lentis, sine febri, sine inflammatione præsente, sternutatoriorum virtutes prudenter ac circumspecte omnino poterunt tentari. Unde bene TULPIUS monuit, „ discant hinc Medici, naturam imitari & observare cum judicio, quantopere in capitis dolore ex usu sint, quum sternutamenta in tempore mota, tum ulcera capiti mature inusta.“

Præterea, si homo glutine multo abundans & olim gluten plurimum emungens, nunc fere naribus siccus sit, si dein gravitate, dolore, vertigine capitis laboret, possumus tuto hic, præter generalia ad temperiem

---

men oberit, per transennam hic monuisse, præternaturalem hunc cerebri statum frequentius occurrere, quam quidem vulgo videatur. Sic *de* GRAAF, PANAROLUS, KENTMANNUS, BRASSAVOLUS, HOLLERIUS in variis cerebri locis invenere calculos; KERKRINGIUS deprehendit in dextro cerebri ventriculo: ad dextram falcis partem, lapis inventus refertur in *M. N. C. Dec.* 2. *ann.* 1. *obs.* 131. NUCKIUS quatuordecim lapillos ex pineali glandula extraxit &c.

riem glutinosam remedia, dare ptarmica, ut fluxus glutinis huc versus iterum excitetur.

At vero in plethoricis, in inflammatione præsente, aut metuenda, hæc erunt nocentissima. Prudenter etiam in debilibus ac mobilibus corporibus adhibeantur; quum, ut sæpius ante jam ab HAENIO observatum, sternutatio ipsa fit species convulsionis; quæ hinc in talibus nimis valida & perennis excitari posset. In *Zodiaco Medico gallico ann.* 1. *obs.* 2. legitur, feminam ad octennem kephalæam fugandam pulvere sternutatorio fuisse usam, verum tamdiu inde sternutasse, ut habuerit demum ad epigastrium herniam, ut putabatur, ventriculi. — *Simon* PAULLI etiam adnotavit, vehementi sternutatione rupta enkephali vasa, & hæmorrhagiam ingentem demum excepisse mortem.

An, & quid, indicat sternutatio in convalescentibus? Est enim in proverbio, Medico valedicendum esse ab ægro, si ter sternutaverit; ut & ægris esse ex nosocomio exeundum, si sternutaverint aliquoties.

Nihil hic certi omni ex parte habetur: ut enim malæ deprehensæ sternutationes in inflammatoriis pectoris morbis, eadem ratione videntur malæ in cujusque inflammationis cruditate: moventur enim valide hac actione, quæ movenda haud erant. — Ubi vero morbus coctus materiem morbosam excrevit & æger tunc incipit sternutare, id oritur, vel quia natura olim iners, nunc iterum irritabilis fit, & in nervis suis sensilis; atque eo in casu est bonum signum: vel id oritur, quia æger parvam coryzam habet, quum jam erectus sedere incipit, ac aura liberiori frigidiorique uti; maxime si antea in calido & clauso detinebatur.

Esse porro bonum signum sub finem morborum, quod sternutaret æger, concludebant ob renatam na-

turæ irritabilitatem & aptitudinem requiſitorum ad id opus plurimorum nervorum ac muſculorum. Eo reſpectu certe bonum eſt, ſed per ſe nil adeo denotat. Morbum jam curatum aliis certiſſimis ex ſignis noſcere oportet.

Fieri quoque poſſet in morbi akme, ut bonum ſignum eſſet, ſternutaſſe ægrum. Ut poſſit materies morboſa debite expelli, requiritur in vaſis, per quæ propagatur vis irritabilis, ut propellant a ſe materiem morboſam eo usque, donec ad corporis emunctoria devenerit. Si inertia ſint vaſa, non coquunt, non ſubigunt, non expellunt illam materiem. An ergo ſternutatione oborta non concluditur bene, maxime ſi certi ſimus, a coryza nova ſuſcepta id non oriri, nunc ſopitos tamdiu nervos per membranam SCHNEIDERI ſenſibiles demonſtrari, adeoque, eamdem ſenſilitatem brevi adfore nervis vaſorum & viſcerum, ut materiem morboſam coquant, expellant.

Ante duo triave ſæcula Medici videntur ad hæc adtentiſſimi fuiſſe. *Jaſon* ZIRIZÆUS, apud FORESTUM, ſummum periculum, vel & ipſam inſtantem prædicturus mortem, ægri indebat naribus pulverem ſternutatorium. Si ſternueret utcumque, ſpem aliquam ſupereſſe; ſin minus, deploratam & deſperatam rem ajebat; propter inertiam nervorum in tanta verſus eorum originem vicinia. In genere, crediderim, obſervationem hanc aliquid habere veri: ſed poteſt in eo loco a defectu muci, a defectu transſpirationis &c. eſſe ſiccitas narium & membranæ olfactoriæ, ut ſæpe per totam cutim fit: ut adeo minus nervorum inertia, quam ſicca eosdem obtegens cruſta, adcuſanda ſit: unde toties videmus, quanta ſordities reconvaleſcentibus per nares emungatur. Ergo valet aliquid cum reliquis

bonis,

bonis, aut malis, fignis, fed per fe non magnam meretur adtentionem.

Id interim fatendum, lætari Medicos, dum ægri, qui in vita pulveri tabaci adfueti femper, quique per multos morbi dies nullo ejus defiderio adfecti fuerant, jam illum denuo adpetunt; quum nempe exin concludant, his nervis, olim defidibus ac hebetibus redire fenfationem, idemque jam & de cæteris effe fperandum.

Verum in morbis reftitutio functionum poteft fieri in nervo minus ad vitam neceffario, & non in neceffario; uti ex obpofito homines ex acutis morbis reconvalefcentes vel furdi manent, vel olfactu guftuve carentes. Igitur omne, quod ex hoc figno petitur, nil fignificat, nifi quatenus bonis fignis focietur.

An datur fternutatio nimia?

Ut fingultus, ut omnes nervorum fpafmi & convulfiones, ita & fternutatio quandoque continua. Unde, quum fit corporis totius violentiffima actio, defatiget incredibiliter, concutiat vehementiffime humorum maffam atque inde queat hæmorrhagias enormes, non fiftendas demumque lethales facere ex vafis cranii, pulmonis, uteri, præterea & hernias veras; facile patet, quid ad propofitam quæftionem refponderi debeat: adferam autem, ut res eo evadat clarior, obfervata nonnulla extra omnem dubitationis aleam pofita.

HILDANUS exemplum habet juvenis, Coloniæ Agrippinæ degentis, qui ob dolorem dentium ab empirico fternutatorium acceperat; unde frequens adeo orta fternutatio, ut poft ingentes aurium dolores demum odoratu tota vita reliqua privatus fuerit.

Ex *Zodiaco med. gallic.* paullo ante jam adtuli, ob fternutationem natam fuiffe herniam ventriculi.

Apud THIERMAIERUM homo ſponte, ut videtur, adeo ſternutavit, ut in apoplexiam inciderit.

HILDANUS de petulante juvene narrat, qui pacto inito ſeſe obſtrinxerat, ut centies ſternutaret; quod, quum irritantibus ac ſtimulantibus perfeciſſet, ſequenti die cœcus inventus eſt; nec niſi purgantibus, ſetaceo & cucurbitis adplicatis, viſum recuperavit.

BARTHOLINUS refert, a ſucco radicis betæ, naribus adplicito, puellam ita ſternutaſſe, ut caput altera die duplo turgidius naturali eſſet.

KERKRINGIUS ruſtici memorat, qui pulverem ſternutatorium, a circumforaneo pro dolore capitis curando emptum, naribus quum indidiſſet, in tantam incidit ſternutationem, ut hæmorrhagia narium ſequeretur fere lethalis.

Simon SCHULZIUS apud BONETUM refert, virginem Hafnienſem decem annorum, a tertiana curatam incidiſſe in ſingultum, cui curandæ omnes Medici impares erant. Sponte poſt longum tempus mutatur ſingultus in ſternutationem, indomabilem denuo omni arte, ab omni artifice. Addit SCHULZIUS: „Omnibus tentatis nihil profecimus, quamquam thecas pleraſque pharmacopolii evacuaremus. Aliquot menſes protracti inter hæc tormenta: leniri ſubinde malum videbatur, ſed recurrebat; donec tandem, corpore prorſus expurgato variisque, tam galenicis, quam chymicis medicamentis præparato, ſolo ſpiritu æruginis ab empirico exhibito convaleſcere inciperet. Non tamen poſtea prorſum inmunis a levibus paroxyſmis fuit. Haud abſimilem adfectum in puella alia Viſitatoris vidimus, quam hyſtericam dixiſſes. "

Apud MANGETUM LANZONUS narrat hiſtoriam fere ſimilem virginis, niſi quod illa 16, hæc 23 annorum eſſet; quam demum, quum Medici nulli curare pote-

poterant, vetula curavit, ſolo ſpiritu vini exhibito; adeo ut ægra exin plane convaleſceret.

Hæc ſufficere poterunt, ut pateat, ſternutationem fieri poſſe nimiam. Curandam autem Medicus habet ſternutationem aut *nimiam* aut *intempeſtivam*. — *Nimia* eſt, de qua nunc dictum, & quæ, vel ſponte, vel arte, excitata, crebrius ac diutius fit, quam ille homo tum adſueverat; tum, quin ſanitas inde notabiliter lædatur, ferre queat. Matutino tempore multi ſolent ſternutare atque ſic caput a ſomno ſerenum habere: ſunt alii, qui bis, ter, in ſeptimana, immo & rarius, ſternutent: ſunt, qui ſternutent, dum in lucem magnam jubarque ſolis, oculos dirigunt; forte, quia nervi oculorum nimia luce ita irritantur, ac nervi narium acribus, volatilibus, aut nervi præcordiorum a bile, a vermibus. Unde excitata ſternutatione homo cogitur a nimia claritate oculos avertere. Sunt alii denuo, qui bis, ter, quater ſternutationis actionem repetunt, eſtque, niſi cauſa extraordinaria fuerit, certus fere ac determinatus iterandi numerus.

Sternutatio *intempeſtiva* eſt, quæ a coryza, a pleuritide &c. oritur; quales inſtantias Practici, & ipſe jam HIPPOCRATES, adnotarunt. In omni morbo inflammatorio, in omni morbo acuto crudo oriri poteſt ob easdem cauſas intempeſtiva ſternutatio. In omnibus caſibus, ubi magna hæmorrhagia timenda, ut in homine vulnerato, in puerpera, in menſtruante, in nimia hæmorrhagia narium, aut uteri, in contuſione capitis, in fracto crure, brachio, aut alia quacumque læſa parte, quæ quiete inprimis curari debet; in curatione herniarum, in femina proclivi ad abortum, ſternutatio repetita intempeſtiva, timenda eſt.

Curatio primum adduci meretur Hippocratica, ut anima cohibeatur; qua methodo ſæpius & ſingultus & ſternutatio coërcentur; ſed & ſæpe non juvat: immo, ſi cauſa irritans magna ſit, eo violentior deinde ſit, & anguſtiæ naſcuntur circa præcordia, ſuffocationem vix non minitantes; cum adpulſu ſanguinis ad enkephalon, apoplexiam, catalepſin &c. producturo.

Egregia etiam eſt cura *Petri* FORESTI; ubi in febribus nimia adſit ſternutatio, juſſit cava manu aquam & lac tepidum continuo naribus hauriri & faucibus exſpui; qua methodo egregie devicit hocce malum.

Prodeſt idem conſilium, dum a pulvere ſternutatorio nimia producta fuit ſternutatio; ut ſic moleculæ adhæreſcentes ac irritantes acres abluantur, ſimulque partibus adfectis emollitio concilietur ac relaxatio.

Vapor aquæ tepidæ pariter in pluribus caſibus optatum adtulit levamen.

Quodſi hæc non juvarent, urgente ſternutatione oleum amygdalarum, mucilago ſeminum cydoniorum &c. naribus poteſt adtrahi.

An ſpiritus æruginis *p.* 550. ideo juvit, quod cuprum aliquid in nervos agens habeat? an fors infecta fuerant cauſa illius ſternutationis, quæ eo adtracto enecata? Laudari enim & alias ſolet, ut anthelminticum. Forte & ſola contraria nervis inducta tenſione profuit; uti & alkohol in caſu LANZONI egiſſe videtur, nervis irritatis occaleſcentia quadam adfecta.

Cur dicit HIPPOCRATES *Aph.* 5—35.: „ *Mulieri ab uterina paſſione vexatæ, aut difficulter parienti ſternutatio ſuperveniens, bonum?* "

Ob duas cauſas: 1) quum ſternutatio ſpiritus loco movet maxime; unde ſolvi poterit ſpaſmus hyſtericus; 2) quum ſternutatio edat talem vim, ut ſuperetur reſiſtentia omnium ſphincterum: ſit inde, ut valide

lide ſternutanti flatus ano prodeant, immo quibusdam urina profluat. Igitur & uteri conſtrictionem laxandam, vel potius ſuperandam, infantem etiam per anguſtias viæ pellendum, ſpes eſt. Utramque expoſitionem hanc, uti & ſequentem, me ex ore *Cel.* HAENII excepiſſe fateor.

Cur dicit HIPPOCRATES *Aph.* 5—49.: „*Ut ſecundinæ excidant, ſternutatorio indito nares ac os adprehendere oportet?*" Sternutatoria proſunt ad uteri clauſuram firmam ſolvendam; ut ergo juvare queunt in partu, ita & in pellendis ſecundinis: præterquam quod vis diaphragmatis & abdominalium muſculorum, violente in uterum agens pellat contenta. Verum, ſi violentiorem velis hanc actionem, oportebit os & nares adprehendere, claudere: naturaliter enim ſternutatio agit, partim premendo inferiora, partim ſuperiora. Si jam elidam aëris actionem per nares & os, illa claudendo, totus effectus ſternutationis fere unice in uterum determinatur. Eſt ſane actio vehemens; unde, uti antea ſatis demonſtratum, hernia, ſputum ſanguinis &c. oriri queat: attamen, re in ancipiti maxime poſita, nonnunquam quid audendum, ut vel partus, vel ſecundinarum expulſio promoveatur. — Interim tamen noſtris temporibus raro, ſi unquam, talibus encheireſibus utimur, ut difficili fœtus, aut ſecundinarum, excluſione liberetur mulier.

Cur ait HIPPOCRATES *Aph.* 6—13.: „*A ſingultu detento ſternutationes ſupervenientes ſolvunt ſingultum?*" Ut id reſolvatur, tenendum, ſternutatione non omnem ſolvi ſingultum, eamque non in omni prodeſſe; quin nonnunquam maxime damnoſam eſſe poſſe. Sic ſternutatione non ſolvitur ſingultus, ſi ille oriatur ab inflammatione diaphragmatis, hepatis, ventriculi, inteſtinorum &c.: in hisce caſibus æque nocua fuerit,

ac in inflammatione pulmonum, aut cerebri: uti & ipſe HIPPOCRATES effatus fuit *Aph.* 7—17. „ Ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος, λύγξ κακόν; *v.* & *aph.* 7—10. Præterea ſternutatio non ſolvit ſingultum, ſi oriatur ab exinanitione; denotat enim tunc, adeſſe talem ſanguinis defectum, ut ſpiritus vitæ continuandæ deſtinati jam deſint; & paucos jam adeſſe, qui, ut in tali defectu fit, jam non ordinate amplius, ſed plane tumultuarie fluunt; & ut ſimilitudine hac utar, uti lampadis jamjam exſtinguendæ ob deficiens pabulum, flammula, per ſubſultus.

Solvere autem poterit ſternutatio ſingultum, quando ortum debet pravæ materiei hærenti ad cardiam; uti nonnunquam naſcitur hærentibus in vicinia vermibus, aut bile acri; vel dum ſola cauſa ſpasmodica agit.

Cur dicit HIPPOCRATES *Coac. No.* 399.: „ *Coryzas & ſternutationes in morbis pulmonum præceſſiſſe, aut conſequi, calamitoſum. In aliis vero morbis adjutamentum adferunt ſternutationes?* "

DURETUS contra GALENUM optime hic intelligere videtur *coryzæ* nomine gravedinem totius membranæ mucoſæ narium, faucium, pulmonis; quæ abſolvitur levi ejusdem membranæ inflammatione. Si jam leviori hujus membranæ inflammationi jungatur ipſa inflammatio pulmonalis, aut bronchialis, arteriæ; ſive gravedo mox præceſſerit, aut mox ſubſequatur; via maxime inpedita eſt ad expectorationem, eo, quod membrana mucoſa pulmonis præ inflammatione turgeat atque ideo inpermeabills, aut inpenetrabilis ſit.

Ideo autem ſternutationes, a quacumque demum cauſa ortæ, calamitoſæ, maxime præſente ſimul pulmonum inflammatione, quod, ad hanc curandam, ſumma præcipue opus ſit pulmonis quiete; ut coctio & maturatio

ratio fieri queat tam notabilis inflammationis : quum vero cogatur ſub ſternutatione pulmo inflammatus aëris plurimum capere, retinere, & convulſiva vi denuo expellere ; quum violente & pulmo ipſe, & contenti ejus vaſis humores hinc inde rapiantur ; quum ergo nulla quies, adeo requiſita ; hinc omnia magis exacerbari debebunt, & accelerari, promoveri ipſa ad gangrænam diſpoſitio.

An ſternutatio excitanda in effuſis intra vulneratum, aut contuſum, cranium humoribus, ſanguine, ichore, pure?

Laudavit jam HIPPOCRATES, *aph.* 6—10. talium effluxum per aures, os & nares ; præterea demonſtravit VALSALVA, ſæpe in oſſe petroſo foraminula detegi, per quæ humor ex cava calvaria transſudet in cavum tympani : dubium etiam viſum, an non in quibusdam, extraordinariis ſaltem, caſibus per foraminula oſſis ethmoidis liquidum poſſet transfluere. TULPIUS obſervavit, ſanguinem undecunque per externam calvariam exſudaſſe, & licet detergeretur, rediiſſe. BARTHOLINUS, MARCELLUS DONATUS, WEPFERUS, STALPART *van der* WIEL, exempla habent puris transſudantis ex interiori capitis per cranium, ut tumores & veſiculæ externæ naſcerentur & caput internum liberaretur. Hinc, ſi per tam extraordinarias vias expurgatio fiat, multo magis fieri poterit per foraminula oſſis ethmoidis. — Verum alia res eſt, naturam has vias adfectare, alia Medicum eam cogere velle. Quo natura vergit, eo ducenda eſt ; non autem adigenda, dum in nullam partem vergit. Medici eſt, obſtacula auferre ; ut, quando natura aliquam viam adfectat, eamdem inveniat liberam, expeditam, apertam. Huc faciunt omnes revulſiones a capite, ut poſſit materies

habere

habere libertatem requiſitam, ac ut vel transſudet, vel vaſis reſorbeatur.

Jam autem eo in caſu cogere velle naturam per ſternutationem, periculoſum foret. Motus augetur actione muſculorum; quo eſt major, eo ſanguinis auctior motus: eſt ſternutatio, uti toties dictum, validiſſimus totius fere corporis motus; ergo auget etiam validiſſime ſanguinis motum. Motu eo accelerato protrudetur forte thrombus, qui in vulnerato vaſe intra cranium hæmorrhagiam ſiſtebat, atque novam faciet humorum intra caput effuſionem, unde apoplexia lethalis; vel ita pus movebit ichoremve, ut ex loco ſuperiori cerebri jam deſcendat ad origines nervorum & oblongatam medullam, ut vita exſtinguatur.

Si, his conſideratis, præterea cogitemus, nos ſæpe latere, an effuſus ſit in cranio humor a vulnere, aut contuſione; an cauſa non ſit fiſſura, cranii intropreſſio &c. licet exterius nil adpareat, unde apoplexia oriri queat; an non ſpinæ oſſeæ intropreſſæ in cerebrum &c.; quid jam non poſſet ſternutationis actione violenta exacerbari, dilacerari? Quis ſcit, an non dura piaque mater ac reliqua omnia interiora ſint in ſtatu crudæ inflammationis?

Igitur unicus modo ille forſan caſus foret, ubi natura ipſa indicat has vias, incipit per easdem humores peccantes jam ablegare, denuoque ceſſat. Prudentiſſime tum plumula agitandæ nares, ut excitetur ſternutatio; non vero unquam tali rerum ſtatu utendum pulveribus ullis ptarmicis, acribusve aliis, quibus æger, vitaturus charybdin, deducatur in ſcyllam. Nec negotium relinquatur inprudentiori cuidam, audacique circumforaneo, cujus parum intereſt, ſive bonum, ſive lethalem, exitum indipiſcatur operatio.

Hæc

Hæc circa ſternutationem adferre volui. Videamus jam reliqua, quæ HAENIUS de morbis nervorum tradidit.)

II. VERTIGO.

Δεῖνος, & per contractionem δῖνος, VERTIGO. EROTIANUS ait, δῖνον dici uſitatam Græcis quamdam in gyrum ſaltationem, quæ inexpertis faceret capitis rotationem: unde etiam δῖνον dixere vas tornando factum. Quum etiam, qui vertiginoſus fit, mox a rotatione videt omnia fere viridia & obſcura, miri in cudendis vocabulis Græci σκοτοδεῖνον dixere (quaſi rotationem obſcuram, ſeu tenebrioſam.)

Fit in vertigine 1) objectorum motus (adparens) vel in gyrum, vel furſum, vel deorſum:

2) coloris mutatio plerumque quaſi iridis:

3) vacillatio; titubant & quærunt in ἐνορμῶντε remedium, quo ſe fulciant, nec reperiunt:

4) metus lapſus, qui malus; in ſummis præcipitiis fecit cadere. Enervat metus in vertigine hominem totum, qui incipit tremere.

5) Viſus geminati objecti. Narrabat Lugduni ſcandularius de filio, quod ſecum in faſtigio templi laborans diceret: pater, non bene me habeo & pro una video duas turres; mox cecidit.

6) Oculis obverſantur tenebræ.

7) Oritur nauſea plerumque:

8) tinnitus aurium:

9) leipothymia (*)

10)

(*) Diſcimus hinc diſtinguere inter leipothymiam, leipopſychiam, ſyncopen, & asphyxiam: in 1) vires

10) lapſus:

11) ἀκινησία:

12) ſæpe ſyncope.

13) Hic aliquando mors ſubſequitur, cujus cauſa nulla ſcitur; cor fit paralyticum: ajunt, cor intercipi illi: BATAVIS *Hertsfang*.

14) Si reſurgant, ſine alio morbo, ad ſe redeuntes ajunt, omnia ſibi ceſſaſſe, ex quo ultimo conquererentur, ſe vertigine adfici & vacillare.

15) Si nec moriantur, nec citra noxam ad ſe redeant, fiunt ſæpe apoplectici (ſi vertigo frequentius redeat.)

16) Si non, parapoplectici evadunt:

17) vel epilepſia demum ſuccedit.

Videtis ergo, neceſſitatem agendi de vertigine illi, qui de capitis morbis eſt acturus; quum omnibus his prægrediatur; omnibus (fere) primam ſcenam aperiat: — Videtis præterea, V. V. adcuratum morem, morbos deſcribendi, me ſequutum; enarravi enim Vobis omnia, quæ unquam in vertigine obſerventur, a principio ad finem. (*)

Ut

---

vires homo ſentit labefactari, ut vix ſe ſuſtineat: in 2) creſcit id, ut quoque naturalis calor deficiat: in 3) cor eousque deficit, ut calor, motus, ſenſus *fere* deleantur, ſudoresque frigidi exprimantur: in 4) omnia hæc ita delentur ad ſenſum, ut vera ſit mortis imago, &, ni illico homines redeant ad ſe, ſit vera mors. *de* H.

(*) Non eſt ullus adcuratior ſcriptor medicus, ſine verboſitate limpidus, ſine ſuperfluo caſtus, quam ARETÆUS CAPPADOX; ſi legatis *caput de vertigine*

Ut definitio morbi omnibus numeris abſoluta ſit, diviſio fieri debet inter vertiginem *morboſam* & *criticam.* HIPPOCRATES loquitur, *p.* 42. *edit. Foës.*, de critica vertigine in akme acutorum, quam ſubſequitur larga hæmorrhagia narium.

Pars primario adfecta eſt ipſum ſenſorium commune. Primo organon viſus adficitur quoad motum; tum quoad colorem; dein diſtinctus viſus rei & motæ & coloratæ; poſtea geminatio ſive mutatio axis viſus, vel retinæ, ut pro uno, duo foci repræſententur; prout homo quisque imitari poteſt, dum per momentum luscus eſt; demum abeunt omnes repræſentationes, quibus tenebræ ſuccedunt.

Organon auditus ſimiliter adficitur; auditur bombus, ſibilus, lapſus quaſi ex alto deſilientis corporis (aquæ) in corpus elaſticum ſonorum; tinnitus, & quaſi fremitus, maris.

Senſorium commune tunc adficitur; oritur enim tremor, vacillatio, lapſus.

Jam videamus vertiginis cauſas proëgumenas.

1) Obnoxii vertigini hypochondriaci, qui a genere nervoſo adfecto, malo illo laborant. In his laxa, tenuia, dabilia, ſunt ſolida, humores diluti, volatici. His, ait ARETÆUS, ſpiritus infirmior, quam ut mutationem motus ſuſtineat.

2) Hyſtericæ, quæ ſunt omnes hypochondriacæ in prima claſſe ſpirituum: monuit ARETÆUS, quod ad vertiginem ſint diſpoſitæ.

3) Plethora inter vertiginis cauſas numeranda; de qua jam actum toties.

4)

---

tigine apud illum adcuratiſſimum ſcriptorem, mirabimini, illum nihil præterfugiſſe. *de* H.

4) Omnes atrabiliarii cujusque classis; quibus, difflata tenui mobilissima parte sanguinis, reliqua terrestria, salina cum oleo sanguinis inviscantur ad piceam tenacitatem. Hi, si in toto corpore distributa materies, atrabiliarii; si ad splenem, ad hepar, in systemate venæ portarum materies hæreat, hypochondriaci dicti, mota materie fiunt sæpe maniaci; non mota, semper in vertiginem proni sunt & dispositi.

5) Evacuationes humoris cujuscunque, non tantum boni, sed & mali, diuturnæ, validæ; ut post HIPPOCRATEM ARETÆUS advertit de nimium fluente ulcere hepatis, intestinorum; ita & DURETUS observavit.

6) Epileptica diathesis.

7) Omnes *πικρόχολοι ἀνὼ*: V. V. duos morbos in bile considerabant: 1) quando non satis flava, ubi debilior; 2) quando nimium calida & amara.

Secundum hoc *πικραν χολην* dixere, quique ea abundabant *πικροχολες*: distinxere illos, quibus bilis sursum *πικροχολες ἀνὼ*; quibus per diarrhœas *πικροχολες κατὼ*. Ita *ἀνὼ* omnes, quos ad ventriculum amara bilis morderet: verum non semper præcise a bile; sed a reliquis pravis humoribus mordentibus os ventriculi.

8) Sunt causæ præterea quædam, quæ in prædispositis illico faciant vertiginem, adeoque *excitantes* dicendæ; verum, quæ in non prædispositis plerumque idem faciunt; ita, ut ambarum causarum, & proëgumenarum & procatarcticarum, vicem subpleant.

Talia sunt extra nos sita:

1) Gyratio corporum; si in lineas curvas celerrime moveantur & tunc ab oculo intento, nec aliunde flexo, observentur: oculi enim quiescunt; adparitio est tantum extrinsecus gyrantium corporum: retina tantum tremiscit a segmentis circulorum, quæ eam rapidis-

pidiſſime percurrunt. Hic nil mali in fluidis ſolidisque oculi; tantum retina mutans locum in expanſa medulla optici hoc facit.

2) ARETÆUS huc refert intentum conſpectum ex alto cadentis & ſuſurrantis rapidi fluminis;

3) rotationes rotarum molendinarum.

4) Cadentis nivis obſervatio protractior, maxime, ſi ventus nivem ſæpe agitet.

5) Concuſſus ſellæ cui inſides; ſi ſæpe, lente fiat.

6) Terræ motus; ita teſtantur ſcriptores.

7) Motus in rheda, retrofactus non adſueto.

8) Agitatio navis non adſueto, in mari, flumine.

9) Tranſitus per anguſta ſupra præcipitia.

10) Rotatio corporis in circuitum; ut ſæpe infantes cadunt vertiginoſi, equi & boves in molendinis.

11) Tortuoſi gyri, labyrinthi.

12) Venæ ſectio; nam ſex aut octo unciæ non faciunt tantam inanitatem; oritur (a venæ ſectione) nonnunquam anxietas animi ad præcordia, animi deliquium, ſyncope: hic nihil poteſt adcuſari; eſt cauſa ſua conpleta.

Cauſæ hæ ſunt *proëgumenæ*; ſed in non prædiſpoſitis ſunt ſimul *procatarcticæ*; quod rari ſint, qui inde non fiant vertiginoſi; ita, ut cauſæ conpletæ vice fungantur.

Præterea cauſis proëgumenis accenſenda vulnera capitis: habentur exempla infinita apud HIPPOCRATEM, ARETÆUM, omnes auctores (practicos.)

Pertinet huc & percuſſio capitis.

Omnis diſpoſitio præcedens fixa in capite, quæcunque demum ſit; hemicrania, kephalæa, kephalalgia. Cauſa a plethora ſæpe, vel cacochymia: unde

vaſa enkephali infarciuntur, abundantibus nimium humoribus, bonis, vel malis.

Ratio, cur hinc fiat cauſa proëgumena, eſt, quod a repetita tali infarctione vaſa nimium distenta; ita, ut tonum amittentes arteriæ fiant velut anevrysmaticæ, venæ varicoſæ: quamvis etiam ipſi hi morbi tres poſſint etiam cauſam extra cerebrum habere; ut alio loco videbimus.

Huc præterea morbi inflammatorii capitis, ut phrenitis.

Tum oriri valet vertigo ab humoribus acribus eodem modo, ut ab atra bile: unde tales in omnes capitis morbos proni. — Scorbutus ad certum gradum adcreſcens; ita ut WILLISIO dignum viſum ſit, *de vertigine ſcorbutica* diſſertationem edere.

Alkohol in canibus, equis, elephante ipſo, facit vertiginem; & copioſius datum eſt venenum, extinguens vim vitalem, uno momento. Eo citius damnum adfert, quo minori aquæ copia miſtum: quando unitur cum oleis ſpiritum rectorem magnum habentibus, ut leviſtici, aniſi, carvi, &c. tanto velociores vires habet.

Hinc, ſi cum oleo cinnamomi unitum ad guttas detur, mox ubi linguam tangit, reſtaurat illico, mentemque reddit alacriorem, quia ſubtiliſſimum, penetrantiſſimum per vaſa bibula; ſi plus adſumatur, urit; ſi denuo majori copia, vertigines facit, ac demum poteſt venenum eſſe ac producere omnes morbos capitis & mortem ipſam.

Eſt id in vinis ac cereviſiis, quod temulentiam facit; nam ablato ab illis alkohole, id non fit.

Omnes nimiæ hæmorrhagiæ, ex naribus, dentibus, pulmonibus, maxime uteri in gravidis ac puerperis: fit tremula tantum agitatio vaſorum per tremu-

los

los subsultus, quando arteriæ vix ultra sic possunt contrahi, ut propellant humores.

Etiam dispositio esse potest ad vertiginem, quibus arteriæ rubræ per retinam copiosiores, ampliores, ut anatome detexit. Tales, dum in cœlum serenum adspiciunt, vident quasi adscendentia, descendentia, volitantia corpora; id quod multi in se deprehendunt: si claudant, vel avertant oculos, cessat; si pergant videre, fiunt vertiginosi: solent in vivida luce sponte avertere oculos; ajunt, aër nimis mihi fortis est.

Insolatio: unde capitis dolores, vertigines, inflammationes, phrenitides; ut centenis exemplis constat: unde sapientes plus caput tegunt contra solis ardorem quam adversum frigus. Bihorio ante meridiem, & bihorio post eam hæc vitanda, caput bene tegendo. Nigro utimur pileo; sed rustici, quos in Germania plures vidi, albis utentes, melius sibi consulunt.

Vidimus urbes, ubi in calore Domicellæ per platæam irent totæ tectæ sindone alba, qui color reflectit omne, niger absorbet. Hinc itineratores sub nigro pileo album linteum ponunt.

Exercitatio nimis laboriosa corporis facit vertigines ad vomitum usque.

Inter *causas procatarcticas* enumerandæ veniunt quædam antea jam adlatarum, uti paullo prius monitum. Oriri potest, GALENO jam observante, si orificium ventriculi a molestis humoribus mordeatur: a bile; a putrido; a calore nimio; ab inedia; a summa ira, unde bilis adcumulatur, spasmis excitatis ad ventriculum, quando subsequitur vertigo.

Nascitur tum a pure hepatis delato ad ventriculum. Mercator Lugdunensis vomica hepatis laborans, sic sæpe vertiginosus factus; vomitu, vel alvo, modicæ induciæ fiebant.

ARETÆUS *c.* 13. ait: „ si pus ex hepate in ventriculum sursum repit, oritur nausea, adpetitus deletus, vomitus biliosæ materiæ, animi adfectus, vertigo; donec ruptura facta totum exiverit."

Inprudens vocatus missione sanguinis, vesicantibus, emeticis validis, omnia pessumdaret: causa indaganda & leniter ducenda.

„ Bilis exusta, ventriculum ingressa, fuliginem emittens, vertiginem excitat," ait DURETUS *p.* 5. *Comment. in Coac.*

Ingluvies, nimis distendens ventriculum, ad apoplexiam usque sæpius gignit vertiginem.

Crapula, uti antea de alkohole dictum.

Ipsi flatus melancholicorum.

Sanguis ex arteriis, vel venis, ventriculi effusus in eum.

Bene notat ARETÆUS in cholera, ubi dispositio in corpore, ut omnes ejus humores ruant in vacua intestina & ventriculum, terribiles inde nasci vertigines.

Vermes pariter huc reducendi.

Lapilli, nummi, aciculæ, clavi deglutiti; puer apud RUYSCHIUM vertiginosus a nummulo hærente ad pylorum.

Lac coagulatum; mucus, pituita multa fluctuans in ventriculo.

ARETÆUS de syncope notat, quod in cordis adfectione & palpitatione summa vertigo fiat tenebricosa.

Ab omni subpressa evacuatione, alia non substituta; hinc a subpressa hæmorrhagia narium, mensium, lochiorum; immo a subpresso vomitu bilis, pituitæ, materiæ purulentæ &c. Notavit ARETÆUS a mictu sanguineo periodico jam subpresso. — A fonticulis, setaceis,

ceis, alia quacunque evacuatione non ſubplente; ab ulcere veteri jam ſicco, ab herpete curato.

Suffocatione uterina inſtante, ARETÆUS ait, ſit vertigo. DURETUS idem notavit.

Infarcto pulmone, obſervante HIPPOCRATE, vertigo denuntiat brevi mortem; niſi, ut DURETUS monet, ſit critica a motu: cruda febri malum.

In ſenibus vertigines a debilitate, a deficiente vi nutriente.

Jam videamus *curationem* vertiginis. Ordiar ab ea ſpecie, quæ naſcitur ex laxa fibrarum diatheſi, & nimia mobilitate humorum.

Sanguis non ſolidus eſt aqua rubra, non ſciſſilis, non cito coiens, ut in homine ſano, robuſto, exercitato, ſit. Uti ergo debilior ſanguis ruber, ita & ſerum, ita lympha, ita ultimum illud, ſpiritus; nam omnia liquida ſanguinis progenies.

Hyſtericæ, hypochondriaci ſine materie huc pertinent.

Curatio quadruplex; prophylactica, therapeutica, mitigatoria, confirmans.

Prophylactica prævertit morbum, antequam adſit, eaque tutiſſima.

Huc ſpectat exercitium corporeum.

Datur pro ætate varia ſolidorum & fluidorum proportio. Infans plurima habet vaſa & liquida. Sed ideo, conparatus homini adultiori, eſt ipſa debilitas: debebat ſic eſſe; nam non debet motum exercere, debet excreſcere. Sed ſi maneret infante adoleſcente eadem proportio, foret debilitas noxia, ut in rachiticis: quia jam incipiunt motum edere, ſolida debilia flectuntur, extenduntur, ſpina dorſi, ac oſſa majora, incurvantur.

Ergo, ſi homines adulti habeant vaſa debilia, humores non conpactos, ſunt veluti infantes. Infantibus id non nocebat; his autem nocet ad vitæ actiones obeundas. Eſt igitur ducendus ad illum ſtatum, ut vaſa ejus tam firma, humores ejus tam ſint conpacti, quam requiritur, ut edat functiones ætati ſuæ proprias.

Id facit motus corporis; aucta ſcilicet animalitas.

Motus animalis auctus fieri dupliciter poteſt: vel augendo vim vitalem; hoc periculoſius eſt aliquando; nam debeo ingerere tunc, quæ vim vitalem exſtimulent, & habeo ſæpe tantum debilitatem ventriculi & inteſtinorum, quæ tamen debeant primum ea ſuſcipere, ut ferendo non ſint: faciam hoc indirecte & melius.

Hinc ſecundo facere poſſum hoc aucto motu animali directe; vocatur exercitatio: ſemper a minimo incipiendum.

1) Huc ſpectat geſtatio; ut in infantibus, cum agitatione in cunis, quæ infanti plethorico ſæpe noxia.

2) Vectio; in ſellis ad id paratis, in funibus oſcillatoriis, curribus.

3) Frictio; ſcitis, quantus inde calor.

4) Cibus ſiccus, ſolidus, eupeptus, polytrophos; panis triticeus cum propriis furfuribus bene fermentatus, biscoctus. Si edentuli ſint, pulvis inde fiat; ergo non jura multa carnium, non diæta liquida: exemplum ſubpeditant remiges in navibus liburnicis maris mediterranei, qui inde tantos labores ſuſtinent, potu theæ, coffeæ, cioccoladæ carentes prorſus.

5) Vinum detur auſterum, cui leve aroma addi poteſt, cujusque unciæ tres quovis trihorio ſumantur,

cum

cum pane biscocto, grato, aromatico; ut vinum ſic inbibatur pane & diu in ventriculo maneat, ut illum roboret. Vina græca ex Archipelago, vina quædam Italica & Tyrolenſia hoc fine bona ſunt. Mumma Brunswicenſis ſimili modo inconparabile remedium; ſæpe celandum, mutandum aromate quopiam, & ex pharmacopœa parandum, ne demum voluptate capti nimium ſe expleant: eſt quinta eſſentia tritici, non amplius fermentans. Tali etiam mumma, ad drachmas tres, quatuor, ſumta, claudant jentaculum, prandium, cœnam.

6) Somnus maturus in edita ædium parte inter ligna non picta. Ligna inbibunt humiditates, picta retinent: pyxides pictæ, ut ſcitis, non valent rebus conſervandis, quæ ſiccæ manere debent, & humidæ fieri queunt.

Stragula, lectus, ſemper bene ſicca ſint.

Induſia lanea, quia non repercutiunt ad corpus, ut lintea, ſed inbibunt: ergo humidiora corpora melius exſiccantur; lintea repercutiunt, ergo corpora molleſcunt in proprio balneo, quod noxium hic; nunquam enim ſic robur fiet.

Aëre montano & ſicco utantur.

Augetur vis frictionum fumo aromatico pannis infectis.

Aliquando debilitas tanta, ut homo exutus veſtibus ad dormiendum vertiginoſus fiat, a defectu adpreſſionis ad caput: laxata vaſa omnia inpediunt retrogreſſum ad cor & caput: tales dormiant in thoraculis.

Nunc accedamus ad curam *therapeuticam*.

Sunt primo omnia roborantia, quæ agunt firmandis fibris;

2) Omnia aromatica, quæ ſubplent, non defectum, ſed inertiam, ſpirituum.

In prima claſſe princeps chalybs. In chalybe duo conſideranda: 1) vis illa, quæ a ſulphure metallico, (*) quod tam facile ſolvitur, ructus parit ſimillimos illis, qui fiunt, dum chalybs a foſſilibus acidis roditur; reſtaurans ſummum: 2) eſt illud auſterum; prodeſt utraque ratione.

Si homo acido laboret, chalybs crudus in pollinem verſus ſolvitur ab illo acido, & facit iſtos vapores, vertiturque in ſpeciem vitriolatam, quæ fibras & humores conſolidet, firmet. Lapis hæmatites, embryonatum ferrum, eo refertur.

Succus catechu, optimum adſtringens, roborans, eſt ſuccus inſpiſſatus & depuratus arboris Indiæ orientalis, adſtringens, amarus, miſtus ex ſucco betulæ, acaciæ, & catechu arboris. (**) Poteſt etiam in pollinem verti,

---

(*) Ex Chemicis nota ſubpono hic ferri chalybisque principia; notumque ſimul, in chalybe nullum exiſtere *ſulphur*, vera vocis hujus ſignificatione deſignandum, acore vitrioli, phlogiſtoque conpoſitum: etſi dudum ſciam, tale a pluribus, quos hic & HAENIUS ſequutus fuit, adſumtum. *de* W.

(**) Datur quidem verus fructus catechu, ſic vocatus a Braſilienſibus, quem vidit in Braſilia, maxime in inſula Itamarica, & deſcripſit NIEUWHOFF in itinere ſuo Braſilienſi; revera adſtringens is eſt, atque vinum auſterum Braſilienſes inde conponunt; ſed non eſt talis catechu, quali nos in Euro-

verti, unde *terram* vocant, & quidem *Japanicam*, quum ibi bonus paretur. In fcorbuto cum flaccidis & fere folutis gingivis fruftulum ore detentum mire roborat eas.

Cortex peruvianus, cafcarillæ, tamarifci, herba falviæ, rorismarini, lavandulæ, ftœchadis arabicæ, mari fyriaci, abrotani &c., cydonia mala &c., maftiche, olibanum &c. huic fini propria:

v. g.

℞. Flor. rorismar. ℥j.
limat. ferr. ℥ij.
vini græci, vel gravenfis, vel adftringentis riforfco dicti, tyrolenfis vel montis Politiani (monte pulciano) ℔iv.

Stent per 24 horas in digeftione tepida, ut ferrum acido bene folvatur. Capiat æger prima fecunda & tertia die ter de die cochleare, horis medicis: dein fumat, fi bene ferat, quater; deinde quinquies aut fexies. Id enim obfervandum in omni re, dum tam facile mobilia corpora habetis curanda. Suftinerent forte a principio plus, forte non; fi non, animum mox folent illi εὐμετάβολοι defpondere, ut vix poftea tale remedium repetere queatis.

Si bene ferant, augenda prudenter dofis, ut videamus, quousque ferant. Si igitur bene ferant, & diu ufurpavere, & indies melius fe habeant, ita continuent.

Sed fæpenumero fit, ut primo vifi hi ægri reconvalefcentes, poftmodum non ultra lucrentur, immo

Nn 5 fere

Europa nunc utimur: eft noftrum catechu non Americanum, fed Afiaticum. *de H.*

fere retrocedere videantur; licet, quo ſolebant, more pergant. Vitium corporis, vel vitium Medici poteſt hic ſubeſſe. Vitium corporis poteſt eſſe, quod aliquid obſtructi ſit in illo corpore alicubi, quod non patiatur vim ferri. Aſt, tunc ſignis ſuis illud ſe manifeſtabit; aut moleſtia alicubi deprehendetur, aut dolor, aut febricula levis &c. Vel fit vitio Medici, cujus erat, adtendere, an non natura, adſuefacta remedio, minus inde adficiatur. Si nulla alia ſigna adſint, augebitur doſis lente & tunc forte melior ſtatus exſurget.

Hinc & moneo ac inculco id ſerio, centies Medicos lamentari, quod jam tot ac tanta dederint, nec profecerint quidquam. Centies vidi, id dependere a nimis parva doſi. Medici habent duos debiles homines curandos; unum marem, aliam feminam: mas v. g. debilitatem contraxit ſine materie a tribus menſibus, femina a tribus annis: curant marem belle, egregie, doſi certa; vident eum bene habere &, dum illam feminam adgreſſuri ſunt, judicant, feminæ, utpote debiliori, aliquanto minus dandum. Errant maximopere. Feminæ huic tot gradibus deterior eſt debilitas, ut nedum æquali, ſed longe majori, copia indigeat, ut reſtituatur.

Dein, ſi dederint doſin auctiorem parum, & videant prodeſſe, ultra etiam progrediuntur: ſi jam deſinat prodeſſe, ſiniſtro utuntur hoc argumento: „hoc videbatur primum prodeſſe, jam non ultra; videtur minus naturæ Tuæ conveniens, tentabimus aliud: aliud illud forte eumdem eventum habebit, ergo tentabimus iterum aliud.“ Æger inpatientia victus valedicit Medico, qui inutiliter tentando quævis nihil proficit.

Sunt Practici famoſi, qui vix auſint dicere, quod una die duo tria grana opii dederint ægro, & hinc in con-

consultatione concludunt de opio non ultra cogitandum, quia experientia didicerint, inutile prorsum esse.

Sane lætus recordor, quid egerim ego, quid alios bonos Practicos agere viderim, in hisce. Lente augendo dosin insuperabiles dolores & spasmos solvi; nam, qui sic lente progreditur, semper terminum novit.

Egregius HARRIS *Tract. de morb. infant.* justissime inputat Medicis sua in curandis ab acido infantibus infortunia; dum a paucis granis antacidorum, oleosorum, saponaceorum exspectant, quod non nisi a totidem drachmis est exspectandum.

Risum mehercle movent sæpe consultationes, dum Medici ajunt v. g., oleosa non profuisse infanti, ut a clamoribus desisteret, rogatique, quantum dederint, mane & vesperi ajunt cochleare parvum, quo utimur ad saccharum cum potu coffeæ miscendum; dum ajunt, acidum non domari hic posse; ubi vix scrupulum de die infans adsumserit. Habeant illi in vase tantum acidi, quantum infans in suo ventriculo & intestinis, videantque quam ridiculum sit, tam parva absorbentium copia illud inmutare velle.

Misturæ expectorantes in validis pulmonum, vel pleuræ, morbis ridicule præscribuntur a Practicis ad cochleare unum omni bihorio, vel omni hora, sumendæ; & interim solent pulveres absorbentes & antispasmodici dari, qui adhuc absorbeant acidum, quod forte adest, in mistura, & in quo vis stimulans misturæ maxima residet.

Vidistis porro plures hic curatos, interque eos, qui pessime se habebant; sed quinque, sex uncias oxymellis squillitici 24 horis abligurierunt. Si kermes dandum, a paucis granis incipiendo scitis me ad 27

grana

grana 24 horis femel deveniffe. Ipfi per Vos hæc videbitis in Veftra praxi, quod nempe felicitas Veftra dependeat ab hac cognitione, ad quam alii, qui ante Vos adfuerant, non adtenderunt.

In hydropicis nihil magis folemne, quam quod primum juvare videatur Medicus, poftea nihil, & æger fiat incurabilis: fi id, quo homo primum aliquantum levabatur, auxiffent, forte decem curaffent, ubi nunc non duos. Uno verbo, percurrenti omnes morbos, omnes cafus, idem ubique obfervatur. Redeamus ad formulas!

℞. Limat. mart. ℥ifs.
cort. cinnamom. ℥fs.
fol. mac. ℨfs.
fem. cardamom. minor. mundat. ℥fs.
vini generofi rhenan., mofellan., Razersdorf., vel St. Georg. ℔iv.

Stent in fervida digeftione in phiala alta chemica per 24 horas: colatura nitidiffime parata detur ufui in lagena; non vefica, non charta, fed apto fubere cum fuperpofita vefica, claudenda. Jubeatur æger, ut pro ufu unius diei requifitam copiam effundat (idque in minori vafculo eodem modo recludat), quo reliquum bene confervetur: vel faltem magnam lagenam femper bene claudat. Ufus, ut prioris.

℞. Limat. mart. ℥j.
cort. cafcarill. ℨvj.
— aurant. ℥fs.
nuc. mofchat. No. j.
radic. caryophyllat. montan. ℥j.

Præparatio & fignatura eadem.

Si indigeamus adftringente majori:

℞.

℞. Limat. mart. ℥iß.
cort. tamarifc.
— peruvian.
vifci quercini, aa ℥ß.
flor. lavand. Miß.

Cum vino adftringente, v. g. riforfco, paretur ut priora; ufus idem.

Animadvertitis porro, me in formulis præfcribendis femper indicationem præ oculis habere; nec adhibere nifi felectiffima quæque in hunc fcopum collimantia.

Si nunc examinem in plerisque Europæ pharmacopœis decantatis conpofitiones roborantes, inter pauca bona habebo fylvas ingredientium bonorum; cum, vel ineptis, vel contrariis, rebus miftas.

Si qui fint, qui hæc vina non ament, vel qui vina ferre nequeant,

℞. Conferv. flor. anthos. ℥ij.
limat. ferri ʒvj.
fem. iv. calid. major. aa ʒj.
fyrup. ftœchad. arab. q. f.
M. f. cond.

Ut primo ter de die ex nebula fumat magnitudinem nucis mofchatæ, tum augendo fenfim cum vino vel cerevifia, vel potius mumma Brunswicenfi.

In his videbo femper, an adfit in ventriculo acidum; fin minus, mifcebo conditum cum fucco citri; vel cum fyrupo citri, vel cum acido dabo.

℞. Confervæ menth. ℥ij.
limat. ferr. ʒvj.
fucc. catechu ʒij.
caryophyll. aromat. gr. xv.
fyrup. condit. aurant. q. f.
M.

Ufus

Ufus ut prioris.

℞. Conferv. abrotan. ℥iß.
lapid. hæmatit. ʒiij.
miv. cydon. ʒiv.
rad. zinzib. condit. ℥ß.
fyrup. myrthin. q. f.

Ufus fere idem.

Si alia forma paranda medela,

℞. Maftich.
oliban. aa ʒj.
limat. ferri non rubiginofæ; nam tunc vis ferri reftaurans partim abivit, ʒiij.
fucci catechu ʒj.
ol. ftillat. rorismar.
— —— lavand.
— —— cort. aurant. aa gtt. iij.
balfam. peruv. q. f.

M. f. pil. gr. iij. iv., non deaurandæ, aut deargentandæ; nam facile hæ pilulæ deliquefcerent; fed copiofo pulvere glycyrrhizæ involvantur & adfpergantur.

Sumat primo ter de die tres, augendo fenfim dofin ad 6, 8, 10 fingula vice, cum vino, mumma &c.

Vel

℞. Extract. cort. peruv. ℥ß.
pulv. vifc. quern. ʒj.
limat. ferr. non rubiginof. ʒij.
ol. ftillat. cinnamom.
— —— caryophyll.
— —— macis
— —— aurant. aa gtt. ij.
balfam. de Mecca. q. f.

Ufus prudens ut prioris.

Si

Si eligat potius pulveres æger

℞. Rad. helen. pulv. ℥ij.
ſem. fœnic. dulc. ʒj.
limat. mart. ℥iij.
ſang. dracon. ʒj.

M. f pulv. No. xxj. ; ſing. ergo ℈j.

Sumat primo ter de die unum ex vino, augendo ad pulv. 4, 5, 6, 8 de die.

Vel

℞. Limat mart. ℥ij.
cinnamom. ʒj.
croc. auſtr. ℈ß.
cort. peruv. ℥iß.

M. f. pulv. No. xv. ; ſing. ℈j. ; uſus ut prioris.

℞. Pulv. cardamom. min. mund. ʒij.
limat. mart. ℥iij.
ſem. aniſ. ſtellat. ℥ß.
ol. ſtillat. cinnamom. gtt. v.

M. f. pulv., dandus in lagena vitrea, operculo clauſa, ut æger ſumat quater de die tria parva cochlear. in vino.

℞. Rad. biſtort. ʒj.
limat. mart. ʒiv.
oliban. ʒij.
nuc. moſchat. ʒij.

M. f. pulv.

Si placeat forma miſturæ,

℞. Tinct. mart. aperient. ʒvj.
—— cort. peruv. ℥ß.
—— myrrh. ʒij.
ſyrup. ſtœchad. ℥j.
aq. roriſmar. ℥vj.

M.

Vel

Vel

℞. Extract. cort. peruv. ʒiß.
syrup. mart. ℥iß.
aq. majoran. nobil.
— cort. aurant.
— citr. aa ℥ij.

M. Sumat omni trihorio cochl., sensim augendo dosin, ut duo cochlearia omni bihorio, vel citius, sumat.

℞. Tinct. mart. pomat. ℥j.
extract. cort. peruv. ℥ß.
syrup. menth. ℥iß.
ol. stillat. cinnamom. cum sacch. alb. ʒj.
in œleosacch. redact. gtt. iij.
aq. salv. ℥x.
M.

Notandum tamen, quod mars præparatus in his tincturis adpareat minorum virium, quam in substantia cum vino datus; vel in vinis acidis, aut austriacis, solutus. Suffecerint porro hæ formulæ.

Videtis igitur, quomodo præscripturus medicamenta Medicus clinicus debeat scire, quid velit agere. Sic in hoc casu vult flaccidam, aquosam, dispositionem tollere, addereque partibus robur: debet proinde confugere ad duo hæc, roborantia & adstringentia.

Omnia hæc remedia, corpori toti profutura, prius prosunt ventriculo, ut ille restauratus chylum paret meliorem; nam a bono chylo bonus sanguis.

Juvat proinde roborantia & adstringentia hæc dare forma conservæ, aut pilularum, aut pulveris, ut diutius maneant in ventriculo. Vinis autem medicatis solet addi frustulum panis biscocti.

Interea evitet homo religiose causas excitantes, gyrationem, adspectum rerum in circulum se moventium,

tium, ſtationem in alto loco, motum obverſum rhedarum &c.; donec fuerit factus robuſtior.

Abſoluta cura prophylactica & therapeutica, ſequeretur *mitigatoria*, quæ in multis morbis locum habet; ut, ubi nimiæ convulſiones & dolores &c. adſunt. Mitigamus tunc ſimul ſymptomata, v. c. dando aliquando opium in pleuritide ſæva; interea, dum cura inflammatoria & expectorans ſua peragit. Verum hic in vertigine cura mitigatoria minus locum habet; quia therapeutica ſimul mitigatoria eſt: hinc transimus ad quartam curam, dictam *confirmatoriam* contra recidivas.

Videtis adtentionem V. V. in curando noſtra utplurimum majorem. Quando 1) cauſa ſublata erat; 2) morbus præſens eradicatus; 3) mitigata ſymptomata; 4) cogitaverunt de roborando corpore contra recidivam.

Quartum hoc conſtat in cauſis proëgumenis auferendis.

Adſuefactione lenta & prudente illis, quæ cauſæ fuerunt procatarcticæ, idque totum arcanum eſt.

Nemo facile laborabit in hac prima claſſe vertiginum, qui metuere neſcit. Si in glacie ambulas incogitanter, firmus es; ſi cogitas, quod poſſes forte cadere, metus ille vires diſſolvit & genua labant. Si altam turrim conſcenderis, & deſcendens cogites, quod de tam inmenſa altitudine cadendo miſerrime labereris, jam incipis fere cadere.

Ergo, poſtquam eſt ſanatus, firmandus eſt, ut lente adſueſcat illis, quæ malum olim excitaverant.

Id ergo prudenter repetat ſæpius; cerebrum enim jam obfirmatius eſt, & fabricando fabri fimus. Qui a mari vertigines patiebatur, navigando ſæpius æque in mari tranquillus eſt, quam in ſuo lecto. Qui a curru

vertigines & nauſeas patiebatur, jam in curru tandem repetita agitatione degit, ut in ſuo cubiculo.

Docent fabri ferrarii, cæmentarii, funambuli, nautæ, inſtar ſimiarum ſcandentes malos navium hoc aperte. Sola incogitantia periculi reddit illos aptos, ut ſic agant. Si periculi memores fiant, in cadendi ſunt periculo. Sola conſuetudo juvat.

Equitatio in gyros, primo ampliores, ſenſim arctiores, qualem HOMERUS Græcorum deſcribit & pueri ASCANII VIRGILIUS, firmat corpus, cerebrum & oculos, ut ultra a nullis motibus, aut gyris perturbentur, aptique fiant homines omnibus motibus in bello, in quibusdam artibus mechanicis ſustinendis, inlibate.

Exempla mirabilia ſunt intrepidorum effectuum hujus conſuetudinis.

Inperator CAROLUS V. dum pompa ſolemni a Mechlinienſibus exciperetur, monebatur, ut vellet ad cacumen turris Sti Romualdi oculos elevare. Vidit ibi hominem in faſtigio turris, ſervandi æquilibrii adeo expertum, ut ibidem trabem ligneam ſerra divideret, & abſciſſam circiter partem pede adhuc detruderet. Fremuit Inperator hæc videns, edoctum æquilibrii hominem miratus, ſed rogavit, ne ultra ſibi talia ſpectacula exhiberentur. Funambulorum quædam artificia miracula forent, ſi non eſſet intrepiditas & conſuetudo.

Miramini mecum maſculam V. V. medicinam: non ſufficiebat curaſſe morbum, ſed proſpiciebant in futurum; ne, quibus miſeriis ægri eſſent olim conflictati, ultra conflictarentur. Habebant itaque ægri Medicos, qui & morbos curarent, & qui ſimul ſtabilem illis ſanitatem in poſterum procurabant. Hæc circa primam ſpeciem vertiginis.

Altera

Altera ſpecies vertiginis eſt a *plethora* caput adficiente: quid plethora ſit, non repetam, quum in capite de MORBIS HUMORUM explicatum fuerit,

Si plethora cauſa prædiſponens ſit, eaque incipiat jam a quacunque alia cauſa excitante in actum duci, ita, ut leviſſima incipiant indicia obſervari, animadvertitur

1) calor & rubor major ad caput, jugulum, tempora;

2) dolor capitis; qui ſi pergat, eſt, uti ægri ajunt, quaſi caput finderet;

3) oculi rubent, ſplendent, lacrymantur;

4) pulſus ingens carotidum, temporum;

5) inflatus (turgeſcentia) venarum jugularium, maxime internarum;

6) tumor mollis, plenus, distendens, in omnibus partibus corporis muſculoſis, cum tarditate ad motum.

Cauſa itaque nota eſt proëgumena; hanc dedit anamneſis, ſive recordatio, olim in eo corpore obſervatorum: dat eamdem præſens hominis ſtatus.

Incumbit jam mihi inquiſitio cauſæ excitantis: novi enim prædiſponentem ex ſe nunquam facere morbum. Homo ille plethoram tulerat innocue olim; quid factum, ut noxiam nunc experiatur eamdem?

Plethoram innocue ferunt multi, dum ſemel, bis, ter, quater, in anno eam ſolvunt larga hæmorrhagia narium, aut largo hæmorrhoidum fluxu; aut feminæ ſingulo menſe largis catameniis.

Horum ſi deſit quidquam, naſcitur mihi cauſæ excitantis idea. Plethoræ innoxiæ accedens illud excerni olim ſolitum, jam in corpore incluſum, facit, ut vaſa cerebri infarciantur, demum turgeſcentia magis magisque increſcente, rumpantur: unde quandoque

 apople-

apoplexia lethalis oritur, dum sanguis vasa adeo dispandens, ut cedere amplius, eumque locare, nequeant, ea vi sua rumpit, ac in enkephalon effunditur.

Videtisne, quomodo nos vertiginis idea ducat ad ideam apoplexiæ ex hac causa. Convincet Vos magis cura hujus speciei.

Motus, aut quies, possunt hic causæ esse excitantes. Plethoricus homo motu moderato sibi conciliaverat laudabilem perspirationem: jam plane quievit, non perspiravit, vel vix tantum. Illud intro manens, tum copia, tum sensim adquisita acrimonia, latentem causam, innocuam hactenus, jam facit nocentem.

Vel etiam motu moderato sanus jam debuit per aliquot horas æstivo calore motum majorem edere: calore in corpore aucto fit rarefactio: fit major transitus venosi cruoris in arterias & hinc vertigo.

In plethora noxia facta sanguis venosus multus jam in arteriis est & venæ depletæ sunt: nam motus omnis muscularis venas deplet; ubi manebit ille sanguis? Non nisi in arteriis. Quam male ergo ratiocinantur Medici in consultatione, dum, dubitantes an plethora in causa sit, nec ne, lustrant venas in manibus & brachiis; quum autem hæ venæ depletæ adpareant, immo inaniores solito, firmiter credunt, jam saltem plethoram in causa non esse: quum ex obposito venæ depletiores, & effectus præsentes, manifesto peccantem notent plethoram.

Homo ingurgitavit majorem cibi potusque copiam, unde, aorta pressa, sanguinis copia longe major ad caput ducta. Homo consueverat a prandio & cœna otiari per aliquot horas; jam ab aliquo tempore consuevit, se mox mensæ scriptoriæ adponere, viscera repleta

pleta adprimere ad aortam & cœliacas; unde major ſanguinis ad caput adfluxus.

Sed plethora quædam eſt generis peculiaris, quæ ab acri ſtimulo, veluti venenato, oritur in corporibus cæteroqui non plethoricis, immo a plethora remotiſſimis. Hæc ergo Vobis explicanda, ne in praxi peculiari, aut in conſultationibus, vacilletis.

Habebitis forſitan in cura Veſtra virginem cacochymicam, pituitoſam, pallidam inſtar gelidæ mortis; laboraveritis forſan diu, quin excutere pallorem potueritis; multum abeſt, ut hic plethoram adcuſetis. Graſſentur interea variolæ, corripiatur illa iisdem! En natam virgini veram plethoram, motum, adtritum, calorem, febrim acutiſſimam; qui brevi antea aquoſus fere ſanguis lente per vaſa transierat, jam de vena miſſus cruſtam phlogiſticam exhibet.

Ubi ergo in claſſe proëgumenarum cauſarum invenio plethoram, quæ per ſe nullum morbum produxerat, & in claſſe procatarcticarum v. g motum, iram, pergræcationem &c., quæ plethoram, olim innocuam, jam in actum duxit; video mox ex his binis cauſis naſci cauſam proximam vertiginis; quæ hic eſt arteriarum in enkephalo tanta repletio, ut turbetur inde æquabilis ejus per cerebrum perfluxus, utque turbetur æquabilis ſpirituum ſecretio, distributio.

Ultra non pergo; nam ſi cogitem arterias cerebri ita infarctas, ut cerebrum multum conprimant, jam non habetur vertigo, ſed apoplexia. Ergo debeo in data definitione cauſæ proximæ manere.

Fuit homo in Hollandia, qui mira arte ſtipem petebat & lucrabatur. Cranium ipſi ablatum magna portione, non recreverat: metallico tegumento ejus ſubplebat defectum. Pro eleemoſyna accipienda a Medicis & Chirurgis tentamina ſubire voluit: ſi ablato te-

gumento metallico leviſſime tangeretur cerebrum, vertiginoſus fiebat; ſi paullo plus, vertigo tenebricoſa, naſcebatur, ut fulciendus eſſet, ne caderet: ſi denuo plus, vertiginem ſequebatur ſomnus, excitabilis tamen; ſi adhuc plus, perfecta apoplexia, ſed mox evanida, ubi a premendo deſiſtebatur.

In idea ergo illa cauſæ proximæ hujus vertiginis videtis, jam Vos cogitare morbum; nec poſſe cogitare morbum hunc, niſi cogitetis ſimul cauſam proximam; ergo cauſa proxima eſt ipſe morbus, morbus cauſa proxima.

Sequitur cura prophylactica, therapeutica, mitigatoria, roborans.

Si ergo malum ſit in primis minis intentatis, v. ſ. curat; pediluvium; aër non calidus, non humidus; diæta tenuis, refrigerans; ſitus corporis erectus; abſtinentia a ſomno per aliquot horas.

Sanguis enim ruber calefactus hic peccat non ſemper copia; ſed, vel copia, vel rarefactione, vel transfuſione in arterias.

Advertenda tamen cura V. V. adtenta: ſi eſſet in venis ſanguis paucus, & arteria pulſu reliquisque effectibus indicaret magnam adeſſe in arteriis copiam, conabantur ipſas ſecare arterias.

Revera v. ſ. juvat, quatenus inpedit, ne arteriæ adhuc plus onerentur; verum non ita directe eum evacuat, & maxime conſiderabant hoc, quando corpus a plethora alieniſſimum, a venenato ſtimulo jam habebat plethoram in arteriis.

Animadvertebant enim, ſanguinem in arteriis infarctum ante fines capillares ſtare, ergo venas non accipere multum ſanguinem: cor dextrum plenum eſſe, quia non poterat ſe per pulmones evacuare, præ arterioſorum in pulmone finium obſtructione: ergo cor ſini-

ſiniſtrum non multum excipere a pulmone, ergo nec aortam a corde ſiniſtro, ergo nec venas ab aortæ ramis.

Igitur ſpongiis humidis, tepidis, fovebant nares, frontem. Arterias hæmorrhoidales itidem vapore humido, tepido fovebant, clysmatibusque; vel irritabant clysmate, ſubpoſitorio, ſcarificatione, hirudinibus multis, ſimul adplicatis: deciduis hirudinibus ſanguis ſolet quandoque exſtillare multum; unde videntur potius vulneraſſe arterias, quam venas; venæ enim inter plicas illas citius reconderentur & obturarentur.

Videmus *arteriotomen* commendatam a M. A. SEVERINO aliisque. TAYLOR in oculorum inflammationibus me præſente æque dexterrime & breviter ſecuit temporalem arteriam, quam ſi alius Chirurgus venam ſecaſſet: ligabat inpoſito nummo involuto linteo, addita deſuper conpreſſa & firma ligatura, per octiduum adpoſita; nec vidi unquam aliquem ex vulnere illius arteriæ quid mali percepiſſe.

Cucurbitæ ſcarificatæ plures videntur quoque arterias evacuare æque ac venas. Cucurbitæ ſiccæ adplicatæ temporibus; vel maximæ cucurbitæ aliis corporis partibus latioribus adhibitæ, agunt quoque internas arterias evacuando, repletis externis. — Hirudines 4, 6, 8 circum caput admotæ uſus boni ſunt.

Partes a capite remotiores V. V. fovebant, ut laxarentur ibidem vaſa omnia, balneis, ſemicupiis. Tum irritabant has partes epiſpaſticis ex fermento panis acido, ruta, ſinapi, betonica, cæpis, porris, raphano ruſticano; ut eo verſus vim humorum adlicerent & a capite averterent. Ajunt, fruſta carnis, lienis animalium, turtures, piſces planos, pedibus adplicatos, extrahere de corpore putredinem, ideoque præſtare præ cæteris.

 Verum

Verum carnes intra 5, 6 horas, lienes vitulini, turtures, pifces plani intra 1, 2, putrent fupra calidum corpus, bene obvoluti: ergo, non quod putredinem extrahant, fed quod in calore illa ipfa putrefcant, nata putredine vehementer ftimulent, profunt. (Sed & ex putrido humore partem denuo quamdam per vafa bibula in corpus reforberi, hic non prætermittendum.)

Frictiones moderatæ jungantur poftea; ut, factis primo dictis aliis, æquabilis reftituatur circulatio.

Curam talem ad initia mali V. V. inftituebant, & fic futurum jamjam morbum prætervertentes, *prophylacticam* dixere.

Revera in quibusdam diftinxere has curas admodum fubtiliter, & forte nimis. Nam vix diftinguimus hanc curam prophylacticam, præfervatoriam, a therapeutica, five morbum jam præfentem curante; remedia fiquidem funt eadem, ac in ipfo morbo.

Sed fcrupulofos fecerat eos, qui turpiter fæpe a Medicis error committitur. Prudens illa gens videns aliquo in corpore natam a longa die prædifpofitionem ad morbum aliquem, & nunc fieri ab illo, vel in illo, vel circa illum hominem aliquid, quod latentem diathefin excitare vel leviter incipiat; prævidebant, quid futurum effet metuendum, nifi illud averruncaret ars medica. Hinc, antequam morbus adhuc integre natus effet, præfcindere illam conabantur. Si vero morbus jam effet integre formatus, ita, ut caufa conpleta, five proxima, jam exftaret, *curatoriam* curam inftituebant. (*)

V.

(*) Hominem a plethora vertiginofum jubebant V.

V. ſ. igitur, medicamenta diluentia, ſedantia, leniter refrigerantia, nitrum, cremor tartari, cujus aliquot grana ſemper in ore habeant, ſucci acidi, ſaponacei, hic conveniunt.

V.V. omnino quieſcere in loco obſcuro, frigidiuſculo, ſilente. *Quieſcere*, ne motus augeretur; in *obſcuro* loco, ne objecta augerent vertigines: qui vertiginoſus oculos claudit, ſæpe ſilentem pro tempore habet vertiginem. *Frigidiuſculo*, calidus aër rareſcere facit humores: *ſilente*, ne rumoribus & ſtrepitu augeatur motus animi corporiſque.

Homini tali, ex V. V. jam doctrina, victus parcus, aquoſus, per epicraſin, dandus. — Otium illi convenit ab omnibus adfectibus; nam plures efficiunt motus mechanicos in cerebro: ab omni ſtudio, a poſitura in priora incurvo corpore abstineant. — Vigiliæ conducunt; ſomnus caput obplet; vertigo ducit, ſi pergat, per ſe in ſomnum apoplecticum: erecti, ſuſtentati pulvinaribus, vigilent; niſi, quatenus ſomnus pro vita requiritur.

In mentem hac occaſione venit infortunium, quod habui principio praxeos meæ. Medicinam faciebam œnopolæ ſexagenario, pituitoſo, aſthmatico. A multis noctibus non dormiverat fere & mane ſummo dum advenio, uxor me rogat, ut vellem primo alios aliquot ægros inviſere, quum bonus maritus, qui a tot diebus ſomnum non viderat, jam ſomno datus videretur. Abeo per tres circiter horas. Interea filius Pharmacopœus patri adfue-

Palliativa cura iisdem conſtat; in vertigine primæ ſpeciei dictum.

Confirmatoria ſupereſt: faciunt huc victus parcus, labor magnus (moderate, ac ad vitæ genus viresque ac indolem totius corporis adcommodatus), herbæ amaræ

---

adfuerat & ſomnum ſenſim extraordinarium fieri & cum roncho ac febri peragi, animadvertens, me jubet quæri per civitatem, quumque non ſat cito adeſſem, prætereuntes Medicos advocabant. Tandem accedens turbatas totas ædes video, binosque ſeniores urbis Medicos adſidentes lecto, ipſum vero ægrum parapoplecticum. Multum faciebat pro mea fama tuenda, quod prior morbus pituitoſus, aſthmaticus, ſomno indiguiſſet, quodque priori tempore glutinoſa pituita pulmones, non cerebrum, adfeciſſet: hinc Medici illi, quod adcuſarent, vix habebant. Sed nihilominus adcuſabam memet ipſe. Concludere debebam, pituitam ſenilem, jam ſolito abundantiorem, ſic poſſe ab uno viſcere in aliud deponi, poſſe relinquere pulmones & facere apoplexiam. Unde legem faciebam mihi, ſemper oportere videre dormientes, ut liqueat Medico, bonusne, an malus, ille ſomnus fuerit, & ex pulſu prudenter, ne æger expergeſiat, tacto, illud etiam examinare. Quæſo animum advortite: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum!

Homines non vulgares, ſed ipſi Medici aliquando familiam ſpe ſalutis fovent, quia æger dormit & dormientem ſinunt: ſomnus apoplecticus brevi manifeſtat inſcitiam & incuriam Medentium. *de* H.

ræ infusæ aqua, absinth. pontic., card. benedict., centaur. min., marrub. alb., scord., rad. gentian.

Acetum quoque eo facit: torosissimum juvenem novi, qui clam aceto, quo delectabatur, affatim usus tandem macilentissimus fiebat & acido laborabat: moderata copia non obest, maxime in temperamento plethorico. Omnia hæc augent perspirationem; ergo multa de corpore perspirando exeunt, labor plura adhuc consumit, victus parcus non multum adfert; hinc sic plethora abit.

Tertia species vertiginis nunc ordine sequitur, nata a retenta materie quacunque, quæ quibusdam temporibus, aliquando periodice, evacuari solebat. Jam aliquantum de his egi in PLETHORA: sed hic non consideramus corpora plethorica sola, verum habentia consuetudinem, certis temporibus a noxiis alioqui futuris humoribus se evacuandi; sive boni sint humores, sive mali.

Si ergo a retenta hæmorrhagia narium, hæmorrhoidum, uteri, nascatur morbus, eæ hæmorrhagiæ erunt, ut dictum est, provocandæ.

In his casibus animadvertimus duo:

1) corpora virilia, inevitabili necessitate obnoxia his evacuationibus, plane feminea reddi; ita, ut ad datum tempus cogantur naturali tali via evacuari, vel aliam viam substituere, aut ægrotare. Mutantur sæpe ætate; ut, qui juvenes naribus, adulti facti non ultra naribus, sed vasis hæmorrhoidalibus, evacuari soleant. Id adhuc bonum est; sed frequenter etiam, cessante narium hæmorrhagia, hæmoptoë, phthisis, sequitur.

2) Si corpora cæteroqui sana sint & bene nutrita, quo crebrius evacuationes has habeant, eo citius replentur. Est sæpe in hominibus sanis, torosis, blanda humorum diathesis, generans oleum multum; unde

pan-

panniculus adipoſus bene ſaginatur. Venæ hinc premuntur; ſed turgidæ ſanguine ſuſtinent diametrum conſuetam: facta evacuatione pinguedo nanciſcitur ſpatium, oleum distendere magis cellulas poteſt; conprimuntur hinc venæ magis: renaſcente plethora adeps reſiſtit venarum dilatationi & plethora præſente ægre cedit. Si iterum evacuatio, vires adipis prementis inpune agunt in venas; nam adeps, durante ultima plethora, iterum increvit. Sic ſenſim venoſum ſyſtema minuitur; augetur proin arterioſum: unde fit, ut arteriæ, tempore ſolitæ evacuationis, magis ſemper magisque producant largiores evacuationes.

3) Sed hinc fit, ut, quo evacuationes crebriores, aut largiores, homines a ſubpreſſis iisdem eo pejus habeant, & majores pœnas luant.

Videmus ex his tribus, quanta cautela opus ſit Medico, dum corpora talia plethorica gubernanda habet.

Videtis ſimul, quam peſſime agant, qui hominem plethoricum, & olim quidem a plethora ægrotantem, jam vero reſtitutum, velint a plethora liberare & curam confirmatoriam inſtituere, frequenti v. ſ.. Capitisne errorem? Adtendite modo ad ea, quæ illico No. 2. dixi.

Unde percipitis, me in cura confirmatoria vertiginis ex plethora ortæ, de v. ſ. non eſſe loquutum; *confirmatoria* dico, nam in therapeutica larga v. ſ. requiritur una vice, bis, ter: ſed in confirmatoria alia dixi, non miſſionem ſanguinis.

Circa evacuationes menſtruas feminarum etiam grave quiddam notandum eſt. Laborant certe malis ab his retentis: verum error Medicorum & vulgi eſt, quod, ſi femina habeat parciora menſtrua & incommodo aliquo laboret, culpa omnis reſundatur in menſtrua parciora.

ciora. Si Medicus non profecerit medicamentis, excusat se; utinam, ait, tibi copiosiora catamenia essent, sanior fores. Si tunc ille fomentis, vaporibus, balneis emollientissimis curet hoc corpus ita laxare, efficit sæpe, ut vasa illa debilitata bis, ter, quater in mense evacuentur, & ut a cibo, potu, vel minimum incrementum plethoræ eo evacuetur; immo, ut nonnullæ feminæ perpetuo fere sanguine madescant. Corpora sensim hinc debilitantur, & miratur adhuc sapiens Medicus, etiam post tantam evacuationem morbum non emendari. Si causam ejus intellexisset & menstrua pauciora non injuste adcusasset, forte curasset dudum. Igitur discamus causas bene distinguere, antequam curam suscipiamus. Neque plethoram in his feminis urgebimus nimium, si causa nobis sufficiens constet, unde ægrotent.

Sed si revera sic sit, ut evacuationes solitæ quæcunque sanguinis virorum, mulierum, subsistant, aliam sibi viam quærent; quæ, si ad exterum, nullum corporis locum liberum relinquent, e quo aliquando non erumpant. Legite BONETUM, SCHENCKIUM, BALLONIUM, RUYSCHIUM, *Lud.* MERCATUM *de morbis mulierum*, videbitis, per oculos, aures, digitos, pollices, periodice sanguinem evacuatum; tam in viris, quam in mulieribus. Quodsi non ad externa, sed interna viam sibi faciat sanguis, ad caput apoplexiam, ad pulmones hæmoptoën, ad ventriculum vomitum sanguineum, ad intestina dysenteriam cruentam &c. faciet.

Ergo in his modo exposito sæpius viæ naturales restituantur: & si cito expediteque id fiat, præcavebitur vertigo, in cujus cura præservatoria nunc versamur: sed si non sat cito hæ viæ referentur, & pergeret morbus formari, v. s. aliaque evacuantia & deri-

van-

vantia, instituantur, ut praecaveatur morbi progressus; & restituto homine Medicus mature adhibeat artis opem circa tempus futurae plethorae, ut viae naturales apertae inveniantur.

Dixi vero, in hac tertia specie non tantum evacuationes vel derivationes aliorsum faciendas in sola plethora contineri, sed omnes evacuationes & derivationes in alia loca, etsi nulla plethora adsit.

Veteres hic multum loquuntur de suis catarrhis, ad nares, ad fauces, ad pulmones, ad intestina, ad uterum, ad articulos. Ignari circulationis dixere nonnulla, quae vera non sunt. Visa eorum sententia videbimus, qua cautela sint legendi, ut legamus illos cum fructu.

Ignari circulationis putabant loca esse in corpore frigidiora, quae, quia frigidiora, humores condensarent, alioqui tenues. Ignari circulationis legum & videntes materiam spissam per membranam narium deponi, humorem spissum deponi ad oculum, ad uterum, ad pulmones, ad articulos; ajebant sic: „ humores hi prodeunt condensati, nec tamen ita in corpore eos invenis, aut in arteriis cernis; ergo inspissatio illa debet causam habere: causa ergo est vel frigus, coadunans fluidiora, vel calor dissipans tenuia. Sed est locus in corpore, ubi frigidior pars praesidet, nempe cerebrum; nam videmus, partes alias corporis bene calentes multo rubro sanguine abundare; unde concludimus, calorem illis conciliari a copioso sanguine: atqui cerebrum album vix habet sanguinem rubrum, ergo frigere debet. Tale album, frigidum viscus potest ergo condensare humores, & potest iisdem condensatis ita obprimi, ut apoplexia, vel lethargus, nascatur. Sed solet se variis viis inde liberare; per nares enim, aut pulmones, aut uterum, aut articulos expurgat se

ab

ab hac condensata materie. Materies hæc καταῤῥεῖ de capite subito, nam aliquando subito nascuntur, ergo subita fit fluxio. Quod autem sciamus, a capite defluere hunc humorem, novimus inde, quia aliquanto antequam exoneret se cerebrum, patitur vertiginem, immo incipientes apoplexias: mox ubi catarrhi nascuntur ad dicta loca, cerebrum caret his malis. Si consuetis temporibus solebat se evacuare & jam turbata fit evacuatio, v. g. evacuantibus ad uterum, repellentibus ad articulos, cerebrum obruitur, vertigines fiunt, apoplexiæ, epilepsiæ: si fortunato revocari possunt, sæpe cerebrum liberatur. "

Videtis, vera dixisse, sed male explicuisse causas; sed ponamus, nos cum illis ignorare adhuc circulationis leges; nonne argumentum nobis plausibile videretur?

Helmontius ut in scholas ubique invectus, ita & hic. Dixit hoc pendere a custode loci. Ponebat ille quoddam principium, quod cuilibet visceri, parti, membro, præsideret. Si illud præsidens principium in bono æquilibrio se teneret cum reliquis partibus, omnia bene; si minus, ibi male. Si v. g. rector ille articuli, cujus erat, succum fabricare ligamentorum; acrem nunc produceret humorem, nascebatur podagra; & sic ad alias partes: aliquid dixit Helmontius, quod intellectum pareret suis lectoribus phænomenorum & insons cerebrum culpa exemit: verum circuitus Harveyani aut ignarus, aut ignarum se simulans, non plus luminis arti adtulit in natura rerum explicanda, quam V. V.

Distribuebant AA. catarrhos in classes: 1) in podagricum, cum suis satellitibus; 2) in destillationes arthriticas, non proprie podagricas; 3) in evacuationes per nares, fauces, pulmones, uterum.

Quam-

Quamquam res non ita ſit, vera tamen dixere quoad praxin. Homines ſaniſſimi, nunquam podagram paſſi, vertigine corripiuntur idque vicibus iteratis: ars fruſtra adhibet omnia. Subito nata podagra vel cheiragra &c. ceſſant vertigines.

Sic vidimus 1) hanc tertiam ſpeciem vertiginis deberi vel bono, vel pravo, humori nimio, evacuari ſolito; 2) materiæ catarrhoſæ V. V.. Sequitur tertia ſcaturigo hujus claſſis, a materia ulceroſa, fiſtuloſa, fonticulorum, herpetum, ſcabiei veræ, efflorefcentiarum humidarum, vel ſiccarum. Si evacuari inpediatur, vertigo, apoplexia, epilepſia &c. Ex decem aſthmaticis a prima infantia, octo, vel novem, ex hac cauſa ſunt.

Diagnoſis habetur ex Aetiologia; obſervatione, an vertigo non plethorica; an cacochymica quæcunque.

Prognoſis, plethora evacuari conſueta jam reſtitans & vertigines faciens, facere poteſt brevi apoplexiam, epilepſiam &c.

Si a materie alia, *catarrhoſa* dicta, naſcatur malum; ſane, ſi illa articulos rodat in calcem, quid non mali metuendum, ſi jam incipiat, vertigines faciens, tenella cerebri ſtamina adficere? Certe lethale!

Anamneſis: eſt vertigo, olim abſens; cauſa ergo debet eſſe, quæ eam produxerat. Recurritur ad tres dictas cauſas & invenitur.

Curatio quadruplex.

Prophylactica, conſiſtens in ablatione cauſæ excitantis: cauſa excitans eſt intromanens materia podagrica, ulceroſa, herpetica: meum erit, ad loca conſueta revocare illam materiem emollientibus fomentis, cataplasmatibus, unguentis; vel ſtimulantibus dropacibus, phænigmis, ſinapismis, cantharidibus. Si i...

tu-

tura langueat, prudenter danda per os talia, quæ naturam excitent, ut vis cruroris ad loca illa determinetur: *prudenter* ajo, ne materia, exitum non facilem nacta, furibunde ad locum in cerebro, quo nunc peccat, adferatur: præſtat enim in parte quadam doluiſſe, quam perire apoplexia.

Si ergo per nares olim facta evacuatio, jam non fiat, ſpongiæ calidæ, humidæ adplicentur, hauriat aquam tepidam cava manu, turundæ ſpecie tabacum vel betonicam inponat: de menſtruis, de hæmorrhoidibus, idem valet.

Si non ſat cito hæc juvent & malum urgeat, v. ſ. aliisque evacuantibus utendum, curato morbo præſente curandum deinceps, an evacuatio conſueta reſtitui poſſit, ne ultra homo his obnoxius ſit.

Non ferendi ſunt Medici, qui laxæ methodo addicti, morbos tales præſentes tantum curant v. ſ. & purgantibus; injungunt ut bis, quater, in anno ſibi v. ſ. celebrari curet æger ad ℥x. xij., ut præcaveatur morbus: auſi fuere, ad Principes ſic reſcribere conſulti. Sed, ſi lauto victu, parvis exercitiis augmentum plethoræ haberent, jam vertigo renata poſtulabat v. ſ. quinquies, ſexies, octies, in anno. Quo plus repetitæ v. ſ. in multis, eo citius augmentum plethoræ in arteriis, quia venæ conprimuntur a pingui oleo, ut expoſui. Plethora autem in arteriis nocentiſſima.

Si aliæ evacuationes ulceroſæ &c. ſubpreſſæ, revocandæ arte quacunque, ut dixi.

Cogitabitis, miſerum tamen eſſe, ut infans pulcerrimus, nobilis, princeps, faciem, caput, defœdatum horrende ulceribus, gerere per annos debeat. Reſp. 1) quidſi nobilis ille infans, familiæ unica ſpes, Princeps ſpes unica regni, curatis ulceribus & achori-

bus, fiat ex vertiginofo apoplecticus, vel epilepticus; an tunc magis proderit familiæ, proderit regno? 2) Revocata evacuatione fubpreffa & curato morbo, tinea, achores, favi, purgantibus hydragogis & mercurialibus fæpe repetitis pulchre haud raro curantur; quodfi non, ætate dispareant fine corporis noxa.

Sic homo aut lepram habet, vel turpem fcabiem, aut vertiginofus, apoplecticus, epilepticus fiet: meum eft, ut curato morbo curem alias evacuationes fubftituere per mercurialia, lignorun decocta &c. fonticulos, fetacea.

Palliativa cura, ut in fecunda fpecie erit.

Confirmatoria: fi a plethora retenta natus morbus & jam fit curatus, prævertere oportet, ut dixi ante; fi ab alia materie, eam aliunde educere.

Quarta fpecies vertiginis eft epileptica. Hanc aliunde explicui, de EPILEPSIA agens. Curatur remediis omnibus prophylacticis, therapeuticis, palliativis, confirmatoriis, quæ laudavi in variis epilepfiæ fpeciebus curandis.

III. APOPLEXIA.

Abfoluta doctrina de VERTIGINE, ut fymptomate præeunte alios morbos capitis, jam ipfos hosce morbos adgreffuri fumus, ac præprimis APOPLEXIAM: quia

1) apoplexia omnium morborum capitis eft periculofiffimus;

2) quia multi alii morbi, nifi hac prius intellecta, non intelliguntur;

3) quia multi alii morbi ex illa originem trahunt.

Vo-

Vocatur ab HIPPOCRATE morbus hic *apoplexia corporis* ; nam consueverat dicere , *apoplexia brachii, linguæ , cruris ;* sed acturus de hoc morbo vocat *ἀποπληξίην τȣ̃ σώματος, Aph.* 6. 56. Aliquando tamen dicit per excellentiam *apoplexiam*, sine addito aliquo : v. *Aph.* 2—42.

ARETÆUS CAPPADOX vocat apoplexiam non τȣ̃ σώματος, sed σκήνος & γνωμῆς.

In perfectissima sopiuntur omnes sensus externi absolute, ut homo tractus, vellicatus, morsus, nil sensus ostendat.

Sopiuntur omnes sensus interni ; nulla murmura, inquietudo nulla ; æque parum memoriæ habent, quam habeant sensus externi.

Omnes motus arbitrarii musculorum desinunt perfectissime.

Musculi omnes sunt flaccidi , nunquam contracti; ergo est *ἀκινησία*, inmobilitas cum paralysi.

Videmus ergo clare, quod sit morbus solius cerebri ; partis enim sentientis & moventis sedes in cerebro est : ergo morbus sensorii communis, sive morbus inpediens functionem sensorii communis.

Tamen in exquisitissima apoplexia superesse solet deglutitio. An ergo non est perfecta paralysis arbitrariorum musculorum ? Forte hi musculi deglutitioni inservientes duplex habent agendi principium.

Ita vomitus sæpe, ut & actio quædam intestinorum in chylum, in fæces, alvi depositio, urinæ effluvium, nunc nullum, nunc quasi per inpetus.

In homine sano dormiente non fit vomitus, non alvus, non urinæ profluvium. Sed in homine apoplectico aliquando vomitus oritur a materia hærente in ventriculo, & eum stimulante.

Oritur in apoplexia vel aucta copia & ſtimulo excrementorum, vel ſtimulo purgantis, aut enematis reſtitantis intra inteſtina alvus.

Urgente copia & acrimonia urinæ in veſica fit ejus effluvium in apoplexia.

Homo perfecte ſanus, dormiens, ſi urina ſtimulet ad ſecretionem, ſi alvus, excitatur inde: accedente tunc arbitrio ſuo, dimittit. Si homo ſanus vino parumper ſubmerſus non expergefiat inde, ſæpe actio veſicæ aut inteſtinorum in lecto pergit, inſcio illo.

Infans, ignorans inperium ſuæ voluntatis, in ſomno mittit fæces, mittit urinam; non enim novit, ex illo ſtimulo excitari ad arbitrariam emiſſionem.

Apoplecticus homo ſimilis, hac in parte, infanti: illi ſenſorium commune adhuc plus dormit, vel iners eſt, quam in infante, qui doloribus, qui animi adficitur paſſionibus.

Hinc longe minus poteſt excitari, quam in infante, voluntatis inperium in apoplectico.

An ergo deglutitio, quædam actio ventriculi inteſtinorumque & veſicæ urinariæ, duplex movendi habet principium; ita, ut a cerebello habeant actionem a voluntate non dependentem, & a cerebro actionem dependentem a voluntate; adeo, ut actio illa, quæ in homine ſano adulto moveat actionem voluntariam ad expulſionem; ea jam, quum ſepulta ſit actio voluntaria profundiſſime, in apoplexia & in infante augeatur & expellat fæces, urinamque?

Foret res, ut in reſpiratione. Cerebelli ope inſciis nobis reſpiratio peragitur; ea labaſcente voluntaria actio ſuſtinet illam. Creſcunt enim in apoplexia ſenſim actiones vitales: reſpiratio & pulſus creſcunt multum.

Creſcit

Crescit respiratio in stertorem usque : a magnitudine stertoris mensurat HIPPOCRATES morbi magnitudinem.

Ergo in apoplexia vitalia sunt fortissima, animalia abolita, uti & naturalia ; demtis deglutitione, actione quadam ventriculi, intestinorum, vesicæ urinariæ. Neque enim quisquam putet, a debilitate oriri alvum, urinam involuntariam : vires vitales tunc sunt majores.

Divisio in species varias.

1) *A defectu spirituum in sanguine.* Si in sanguine arterioso a corde per carotides & vertebrales non adsit illa materies, quæ ad cerebri corticem secreta spiritus faciat, est apoplexia exquisita.

Apoplexia nempe æque perfecta, ac si nullus sanguis adpelleret ad cerebrum.

Si spiritus deficiant, somnus oritur.

Homo sanus laboravit tota die ; vesperi somno victus cadit & toto proflat pectore somnum. Verum ea somni in homine sano est conditio , ut intra sex, septem, horas ex sanguine sufficiens copia spirituum parata sit.

Si homo non dormiat ea nocte, sed pergat laboribus, consumtio spirituum erit tanta, ut sequenti die fere concidat & longiori somno indigeat , quo defectum spirituum resarciat ; sed si tunc dormiat, maxima vi indigebis, ut illum expergefacias.

Milites in obpugnatione urbium ad minimum strepitum bombardæ portatilis, sive missilis, somno excitantur : sed exhausti vigiliis dormiunt tranquilli juxta tormenta, unde globi ignei exploduntur.

Milites post vigilias nimias tandem somno correpti, ab hoste fuerunt prehensi, spoliati vestibus sicque

relicti ; ut demum expergefacti nudos se & frigidos esse mirarentur.

Hæ sunt apoplexiæ a defectu spirituum, sed temporariæ : reparata jactura resurgunt, nisi a nimiis vigiliis ægrotent aliunde. Sic intelligitis, quid velim dum dico Vobis, esse apoplexiam a defectu materiæ requisitæ in sanguine, ut spiritus fiant. Corpus sic conparatum, ut ex ingestis hanc in sanguine materiam producat ex aëre, cibo, potu.

Alienissima hæc a nostra natura, tamen per vim naturæ humanæ mutantur in humanam naturam.

Ex alienissima tali materie id tenuissimum debet parari, passum primo actionem pulmonum, cordis, arteriarum, & miram mutationem per adparatum illum partium cerebrosarum. Si jam res non naturales ita non possint mutari, ut inde fiat apta materies, ex qua in capite spiritus elaborentur, fit apoplexia hujus speciei. Leukophlegmatia & cacochymia dant ideam hujus defectus.

In his bilis debilis & iners totum corpus ; sunt valde laxi, ab omni adsumto tumentes, facie, buccis, labiis, instar bombycum, dum ad fila ducenda se parant. Frigidi toto corpore, oculi in adnata non instar margaritæ, sed pallidissimi, humidi, quia calor non dissipat (superfluam lympham) ; anhelant ad minimos motus, ponderosa membra ægre trahunt ; hebetes, tardi ad respondendum, ad deliberandum ; tandem obliviosi, volentes respondere quæstionis non sunt memores ultra, & sic fit in illis verus veternus, sive lethargus.

Est illa species, quam ait HIPPOCRATES *Aph.* 3—16, tempore nebuloso, humido accidere : cadit in tale temperamentum. — Est illa, quam *Aph.* 2—

31.

31. ait, ſenibus accidere & cachecticis ; quos ARETÆUS deſcripſit *p.* 33.

Diagnoſis ex dictis facilis ; uti & *prognoſis.*

Sola *prophylactica cura* ſupereſt. Revocate hic in memoriam primam ſpeciem vertiginis ex defectu ſpirituum.

Diæta ſicca, frictio, vectio, calor ſolis, remedia ſiccantia, incitantia, moventia, agilitatem in humoribus facientia, vitia coctionum emendantia. Pertinent huc aſa fœtida, caſtoreum, olea ſtillatitia aromatica, ſalia volatilia oleoſa.

Salina moderate ſumta, ut leniter ſtimulent dividantque ; & quia in hac ſpecie apoplexiæ etiam deglutitio tardiſſima & fere nulla, enemata acria cum ruta, colocynthide, euphorbio, adhibeantur, ut irritatum corpus in actionem ducatur.

Veſicantia quoque in uſum vocentur & cauſtica ipſa potentialia.

Si hæc non juvent & morbus firmetur, *therapeutica* cura nil efficiet. Scimus enim, mori tunc paſſim omnes, & ſi illa fortiſſima remedia adhibeantur, mors Medico forte ob violentiam inputabitur. Hinc familia moneatur, rem deſperatam eſſe, & poſſe, ut ſatisfiat hominum exſpectationi, quædam adhiberi, ſed incaſſum veroſimiliter omnia fore.

Ergo præcedentia omnia fiant, & errhina iis jungantur, forteſque ſpiritus penetrantiſſimi naribus adhibeantur.

Cura *palliativa* conſtat in iis, quæ ſpiritus fortiſſime excitent ; v. c. vinis generoſis, ſpiritu vini, ſpiritibus ſtillatitiis, oleis æthereis lavandulæ, majoranæ, rutæ, roriſmarini, ſæpe deſtillatis & cohobatis : dant hæc ſpiritus, qui in ventriculo a centro motus agitant

totum corpus. Si jungas cum ſale volatili, dant ſal volatile oleoſum, abitque fere ſal hoc cum alkohole in ſpeciem ſaponis.

Cura *confirmans* æque parum hic obtinet, quam therapeutica; tamen, ſi aliquis inde rediret, confirmans conſiſteret in prophylactica.

Ab atra quoque bile videtur naſci talis ſanguis; videmus ſpirituum defectum in illo piceo ſanguine: facti apoplectici & mortui exhibent cerebri membranas varicoſas a ſanguine craſſo piceo.

Phlogiſtica diatheſis huc etiam pertinet: unde phrenitis a phlogiſtico ſanguine quandoque abit in apoplexiam, deficiente materia.

Videamus nunc alteram ſpeciem apoplexiæ.

Oritur ab inopia ſanguinis boni, requiſiti, ut corticis vaſa inpleat & materiem preſſione idonea ſecernendis ſpiritibus ſubpeditet. Talem apoplexiam HIPPOCRATES advertit accedere vulneribus & in hæmorrhagia uterina.

Oritur & a thlipſi, conpreſſione arteriarum in collo.

Glandula thyroidea expandens ſe utrinque conprimit carotides; hi homines pallent, uti ſæpe in ſtrumoſis cernere eſt.

Explicat rem ligatura artificialis, ut in canibus DRELINCURTIUS inſtituit ligaturam carotidum; nam vertebrales nequeunt ſatis adferre.

Stenochoria a tumore in oſſibus, per quæ tranſeunt arteriæ carotides & vertebrales, uti fit in ſpina ventoſa, lue venerea &c.

Tandem per emphraxin a polypis.

Immo ex arteriarum ad cerebrum euntium chondrogeneſi; ita aorta, carotides, viſæ factæ cartilagineæ.

Ea vitia minus cognoſcuntur in vita; unde certa diagnoſis non datur: ſed conjecturamus aliquid ſimile,

ſi

ſi ea, quæ ſui ſigna certa dant, deficiunt : dum enim videmus non eſſe illas ſpecies cognoſcibiles, ſuſpicamur ex illis latentibus cauſis aliquam adeſſe.

Hinc certa cura non datur in omnibus his, ſed palliativa.

Si vero a ſanguinis ipſius copia, in vulnere, in uterina hæmorrhagia; noſtis curam ex diſſertatione, quam Vobiscum habui *de* VULNERIBUS & *de* HÆMORRHAGIA.

Sequitur apoplexia nata ex vitiis cerebri corticis.

1) Inflammatio; unde omnis phrenitis tandem abit, ſi non ſolvatur, in maniam, vel apoplexiam.

Hinc a primordiis mali 1) danda & facienda omnia, quæ inflammatoriam ſpiſſitudinem diſſolvant; 2) quæ inpetum a capite potenter avertant; 3) quæ vires minuant : ergo cura tota inflammationis topicæ.

2) Subpuratio corticis. Hiſtoria anatomica docuit, inventa eſſe capita, in quibus poſt apoplexiam corticis ſubſtantia viſa eſt ſcatere abſceſſibus purulentis, ſarcoſis, ichoroſis, virulentis.

Noſcitur anamneſi, ſi inflammatio prægreſſa.

3) Hydatides, a RUYSCHIO detectæ in cerebri membranis, ipſa in corticis ſubſtantia. In his omnibus apoplexia fit a penuria ſpirituum, inepto cortice.

4) Calloſitas corticis : tales inventæ in cerebro eorum, qui curantes omnia præter proprium ſuum tabernaculum; innumeris intricatisque ſpeculationibus ſeſe inmergunt. Si ad ſeram ætatem perveniant, incidunt quaſi in cerebri atrophiam, incipiunt non bene videre, ſurdeſcere, perdere memoriam, ſenſus internos paullatim amittere, repueraſcere & tandem fieri hominum ſimulacra.

Ita perit tota animalitas in illis, qui olim sui similes in animalitate vix haberent, & ob praeclaras animi ac ingenii dotes caeteros mortales in sui admirationem rapuerant. Callositas in hisce talis visa. Nulla spes familiae detur; est incurabilis.

5) Petrifica diathesis corticis; ita docuerunt observationes.

6) Corticis congelascentis vitia; quando homo frigore perit. Methodus est, hominem sub nive recondere, vel aqua ita frigida, ut modo non congelascat.

Apoplexia orta a conpressione cerebri externa.

Ideam sibi quisque bonam formare debet cranii eoque contentorum, ut eo melius morbi hujus perspiciat indolem. Vasa corticis cerebri sunt conpressibilia per totum cerebrum levissima de causa. Patuit in homine, cujus antea, dum de VERTIGINE sermo erat, historiam dedi, qui pro stipe conpressionem externam cerebri sustinuit. Patuit etiam tumore quocunque enato intra cranium hominis adulti. Sed vix credimus, posse a levissimo tumore quid fieri, quia cerebrum molle potest cedere in alium locum; quia videmus sinus, ventriculos, in quos posset pressa plaga cedere sine noxa.

Verum non satis consideramus rem. Videte modo ab infima basi cranii usque in fastigium cranii fornicatum, inpressas ubique osseas glenas: si non premerentur eo tempore, quo ossa molliora sunt, non cernerentur illae foveae in substantia ossea. Auctae hae foveae deprehensae sunt in craniis eorum, qui in vita validas ibi loci pulsationes passi erant.

Si unquam vel in ventriculo, vel ad medullam oblongatam esset locus sine resistentia, arteriae hic adeo tenues disrumperentur: etenim laxitas illa ventri-

triculorum, & plexus choroidei, nata videtur poſt mortem effuſis humoribus; videtis enim, ſi recenter a morte olla cranii auferatur, ut inſpicere queamus cerebrum, vix poteſtis poſtea ollam reponere, quia cerebrum ita adſurgit in foramen.

Cranium ergo plenum undique, ubique; adeoque inmobilis hæret maſſa interna tota: tota hominis fortuna ab illa æquabiliſſima plenitudine pendet; ſi vero unicus locus eſſet non plenus, vis arteriarum exorbitans in illum ſe inſinuaret.

Si ergo tumor oriatur in cranio, non datur ipſi locus, niſi conprimat eo in ſpatio, quod occupat, cerebrum; faciendo in eo ſinum, ſuæ moli æqualem.

Sed ſi premat eo loco cerebrum, quod demonſtratum eſt, nullum vacuum ullibi habere, premet tumor totum quantum cerebrum. Porro omnes arteriæ cerebri inter ſe communicant per circulum Williſianum: ergo ſtatim repreſſus a tumore liquor premet omnia alia vaſa.

Si jam non tumor premat, ſed tantum ℥iij. iv. ſanguinis effuſi intra cranium & duram matrem; effuſus liquor non premit tantum locum, in quo hæret, ſed totum cerebrum & generat apoplexiam; ſolo cerebello adhuc inmuni manente, utpote expanſione duræ matris illa, ceu altero diaphragmate, defenſa. Animalitas ergo ſuſpenditur, viget vitalitas.

Tumores ſunt 1) oſſei, iique vel nati epigeneſi, vel claſi.

Epigeneſi fiunt exorbitante ipſo oſſe, lentiſſime creſcunt; vix primo quid efficit, niſi vertiginem levem: auctiores vero pergunt in levem, tandem in ἰσχυρὴν, apoplexiam.

Claſi fiunt a conpreſſu externo, ut ſæpe in infantibus inprudente actione nutricum, obſtetricum, cuſtodum;

dum; in adultis à contusione valida. Vidimus hoc in historia vulnerum & contusionum: si causa est retropressio, ars chirurgica in opem vocetur.

In infantibus, detecta hac causa, sumatur emplastrum orbiculare tenacissimum &, raso cranio, inponatur centro intropressionis: margines pice, vel resina, obducantur, ut inmobile hæreat. Sed propendeat ex ipso centro emplastri funiculus, sive ansa, qua prehensa tum centrum intropressionis prudenter elevetur. Hæc operatio sæpe succedit in infante.

Sed si id non juvet, vel in adulto nimis infirma operatio sit, cranium sectione denudandum est, & cochleæ instrumentique levatorii ope os elevandum.

Quum autem terebrando intropressio augeatur, prudenter lenteque est agendum: nam, qui ruditer hic vellet agere, posset apoplexiam ἀσθενέα in ἰσχυρὴν mutare.

Est præterea tumor plethoricus. Si a plethora universa totius corporis sit, in corporibus talibus facillime franguntur vasa arteriosa ἀναςώμοσι, διαπήδησι, ῥῆξι, v. g. in pulmone; unde hæmoptoë, quæ sæpe, si a sola plethora, cessat soluta plethora, citra ullum sequens malum: in mesenterio; unde alvi fluxus sanguineus; sæpe etiam citra noxam, soluta modo plethora: ita & per hæmorrhoides, per nares.

In plethora autem universali si idem fiat in capite, non habet effusus humor exitum: ergo fit conpressio inemendabilis; nisi vel cura resorptionis, in historia VULNERUM toties commendata, vel trepano.

Verum sæpius in cadavere apoplecticorum ne unica quidem uncia sanguinis effusa inventa est, & tamen plethora perierunt.

Ple-

Plethoræ effectus maximus in arteriis eſt. Si ergo copia magna ſit in totius corporis arteriis, arteriæ duræ matris accipiunt quoque magnam copiam: ſi copiâ adcreſcat quotidie (ſanguis per totum corpus) ita & in enkephalo. Jam locus non eſt in quem cedant, nam omnia ſunt pleniſſima: vis ergo cordis prævalet venarum in enkephalo reſiſtentiæ: ergo arteriæ cerebri plethoricæ conpriment cerebri venas: ergo totum ſenſorium commune obruatur neceſſe eſt.

In riſu, tuſſi, ſternutatione, vomitu, validiſſimis, in lucta, digladiatione plethoricorum, hoc poteſt contingere. Tota facies, oculi, rubent, tument. Fit quidem hoc etiam in facie, quia venæ inpediuntur, quin ſe evacuent in cor dextrum; ſed ipſum hoc efficit, ut arteriæ in capite distendantur, quum ſe per venas nequeant exonerare. A ſumma ira in plethorico idem fieri poteſt.

Adeſt 1) vaſorum anevryſmatica dilatatio: oritur 2) inde effuſio ſanguinis.

Hæc de plethora univerſa.

Sed altera cauſa eſt determinatio plethoræ, vel ſanguinis, ad cerebrum per inpedimentum ſanguini alio loco natum.

Sanitas perfecta adeſt, quando vis humorum eſt, ut ſunt reſiſtentiæ naturales: ablato eo æquilibrio ſolum enkephalon pœnas maximas luit. Solum enim illud non patitur extenſionem. Ipſe oſſeus thorax, abdomen, admittunt dilatationem; ut utrumque hoc vidimus in cadavere, (in noſocomio practico) ubi muſculi intercoſtales elongati extenſique multum erant remotæque coſta, abdomen autem inmaniter turgens.

Cranium autem quum cedere neſciat, totum cerebrum conprimatur neceſſe eſt, ſi alicubi ſanguini detur inpedimentum. Nulla cauſa frequentior, quam

ipſius

ipſius aortæ conpreſſio, maxime ab ingluvie, tumente ventriculo; ut toties bonus WEPFERUS inter ſuos Helvetos, convivia feſtiva & opima amantes, detexit. Erant inter illos mortui apoplectici cum effuſione ſanguinis intra cranium: erant multi a mera anevrysmatica arteriarum dilatatione.

Curationem hic non addam: plethoræ nimiæ univerſalis cura data fuit in VERTIGINE: plethoræ aliunde determinatæ cura data fuit, ubi actum de PLETHORA tali.

Si oſſeus tumor ſit, inquirendum, an homo rachiticus, ſpina ventoſa, lue venerea laborans, inclinet in apoplexiam: ſi a nulla alia cauſa derivari queat; ſuſpicio eſt, ab his morbis oriri. Sola cura luis, ſpinæ ventoſæ, rachitidis &c. hic aliquid juvabit.

Si aquoſa diatheſis metum faciat hydatidum in enkephalo, vel aquoſa diſpoſitio adſit, cura ſit hydropis.

Si denſitas atrabiliaris, vel phlogiſtica, cura petatur ex his morbis.

Sed de effuſione humorum, corticem premente, adhuc quædam notanda.

Exhalat omni momento liquor ex tota cava ſuperficie duræ matris, ex ſuperficie utriusque magnæ adpendicis falciformis, ex ſuperficie diaphragmatis illius, quod cerebellum ſuperius recondit; omnes enim hæ partes ſemper madeſcunt; ſi etiam prematur dura mater, qua piam matrem ſpectat, humidi quid adparet; tota quoque arachnoidea humet.

Hæret cerebrum in arachnoide liberum, usque ad medullam oblongatam, in hoc vapore, omnesque inde oriundi nervi. Humore ventriculorum inpediuntur lobi cerebri, ne concreſcant.

In

In ſtatu ſano quantum continuo exhalavit illius roris, tantum etiam venulis reſorbetur.

Sed Anatomici obſervarunt, quod in languidis morbis vis arteriarum exhalans durabilior ſit vi reſorbente; unde talis humoris copia poſt tales morbos ſemper major invenitur. Hinc in omni diatheſi, ubi minuitur vigor vis vitalis, contingere poteſt, ut ab hac ipſa cauſa aquis cerebrum inundetur.

Hoc viſum inter duram matrem & cranium in infantibus; ita, ut dura mater a cranio tota cerneretur ſeparata & cavum inde factum refertum aqua.

En ideam Vobis hydrokephali intra cranium: moriuntur tales infantes ſæpe apoplectici.

Sanguis a contuſione ibidem effuſus eodem modo facit apoplexiam.

Sed & ab acrimonia atrabiliari & ſcorbutica putrida, fractis vaſis, idem contingit; ſi acrimonia talis in oculis, ſæpiſſime ſolo adtactu in gingivis, vaſa rumpat; quid ſi diabroſis hujuscemodi contingat in cranio?

Sed tamen plenitudo enkephali efficit, ut vaſa adeo tenera haud tam facile perrumpantur, quia undique ſuſtinentur; quod non ita in gingivis: unde etiam ſæpius tales atrabiliarii & ſcorbutici moriuntur apoplectici, & nihil effuſum intra cranium exhibent, tantum vaſa distenta.

In omnibus his vertigo præcedit, augetur, & creſcit in plenam apoplexiam.

Inquirendum jam, quousque enarrata vitia pertingere queant.

Revocate in memoriam, quomodo cerebrum ſe habeat. Hæret illud inter duram matrem triplici modo:

ſuper-

ſuperne a pericranio interno defenditur; per medium ad duriſſimum falciformem duræ matris proceſſum; inferne ad fortiſſimum diaphragma duræ matris, demto ſolo caudice jamjam futuræ medullæ ſpinalis.

Ne gutta liquoris poteſt ire ex tota hac camera fornicata, niſi per vaſa reſorbentia.

Sed quid nunc? Medulla oblongata collecta ex toto cerebro, veniens ad locum, ubi inter os cuneiforme & os occipitale fiet deſcenſus; jungitur cum medulla oblongata cerebelli, & totum hoc tenuiſſima membrana includitur. Nam cauda oblongatæ medullæ ſub cerebello libere dimittitur, unio fit utriusque caudæ, miſtæque abeunt in canalem vertebralem.

Porro, ubi intrant, eſt tenuis membrana, quæ liquida prohibet, ne in ſpecum deſcendant vertebralem. Vitia ergo hæc pertingunt ad ſuperficiem ſuperiorem, lateralem, inferiorem, cerebri; finis datur ad ligamenta tenuia, quibus connectitur medullæ, in ſpinam dorſi ituræ.

Poteſt pervenire ad quatuor ventriculos cerebri; ubique enim ibi transſudatio, vaſaque arterioſa, venoſa.

Poteſt pervenire ad medullam oblongatam, & poteſt hærere, ubi ad ſeceſſum particularem cerebelli veniet; poteſt venire ad omnia loca, ubi nervi egrediuntur; poteſt pervenire ad foramen rotundum in proceſſu ſphœnoidali usque ſub ephippio nervumque conprimere.

Tandem ad exitum medullæ ſpinalis, poteſt dilatare, vel rumpere, membranas. Si rumpat, fit ſæpe poſt hydrokephalon ſpina bifida.

Sed, ſi æque magna reſiſtentia inferius, quam ſuperius, omnia in enkephalo conprimuntur. Effectus con-

conpressionis vergit in totam medullam; unde tunc omnia ibi in somno apoplectico sunt.

Hæc hucusque dicta, opinor, Vobis dant contuitum omnium apoplexiarum.

Sed sunt & aliæ causæ. Ponite etiam venas resorbentes bonas fungi functione sua; si in via, quam permeant, ut cordi reddant hunc laticem absorptum, inpediantur, facient quoque apoplexiam.

1) Hoc facient omnes causæ, venas inpedientes in superficie corticis;

2) in itinere, ubi venæ eunt ad sinus;

3) in sinu falciformi;

4) maxime ad torcular HEROPHILI, ubi duo sinus duræ matris intra os occipitis fecerunt excavationem digitum capientem; HEROPHILUS, circulationis ignarus, putabat, tantam pressionem sanguinis hic fieri, ut spiritus hac pressione, tanquam torculari, conprimerentur: unde vocatur *torcular* HEROPHILI.

Cadavera hominum post annuas kephalæas & vertigines tandem apoplexia mortuorum demonstravere, hic enata inpedimenta esse, tumores, excrescentias &c.

Conpressio venarum jugularium hic quoque consideranda: facit illa apoplexiam in suspensis; nam laquei conpressio non invenitur ita arcte arterias carotides premere, aut asperam arteriam, sed maxime jugulares: unde primo vertigines, dein convulsiones, demum apoplexia. Qui laqueo suspensi forte fortuna, soluto cito laqueo, evaserunt, testantur, se primo esse redditos vertiginosos, dein vidisse lucem maximam, tum tenebras densissimas & posthac nihil recordantur.

Ait HIPPOCRATES *Aph.* 2—43. „ Ex iis, qui strangulantur & resolvuntur, *καὶ καταλυομένων*, *nondum autem sunt mortui*, non se recolligunt, quibus

ſpuma circa os fuerit.“ Nempe hoc ſignum apoplexiæ fortis, non curabilis. Spuma in epilepticis peſſimis adeo formidanda, ſed tamen minus, quam hic; nam ibi illa continua apoplectica conpreſſio docet, ſpuma illa ingenti jam copia obrui cerebrum & cerebellum.

Si conpreſſio jugularium id faciat, num venæſectio jugularium adeo tuta? Commendatur a BOERHAAVIO & omnibus probatur viris, & cerebrum inmediate liberat. Si Chirurgum habeatis, qui dexterrime queat ſine multa & ſine diuturna conpreſſione id facere, bene: ſed, ſi conprimat multum, metus ne alia lædat; ſi jugularis non bene turgeat, nonne facile per Vos videtis, quod ex levi incipiente apoplexia poſſit facere incurabilem, lethalem? Habet enim res ſuas difficultates; nam, ſi non prematur, poteſt hæmorrhagia inde oriri. Poteſt inpedimentum oriri ad oſtia venæ cavæ, ad pulmones &c.

Corollaria quædam deducamus ex tota de apoplexia recenſita doctrina.

1) Morbum hunc oriri a cauſis tam variis, ut ſæpe nil commune habeant diverſæ apoplexiæ ſpecies; immo, ut habeant conditiones phyſicas plane obpoſitas. Etenim a nimia copia aut rarefactione oritur, aut a nimia ſubſidentia & inopia; a nimio calore, a nimio frigore; a ſpiſſitudine inflammatoria, a diatheſi aquoſa; ex abundantiſſima copia ſpirituum & ab eorum inopia; a tumore intra cranium; a conpreſſione corticis variis de cauſis, tum natis intra ipſum enkephalon, tum aliunde ortis.

2) Etſi cauſæ tam obpoſitiſſimæ & diverſæ; cauſa proxima ſemper eadem eſt, ſpirituum ſcilicet officina turbata; ſubpreſſum, ſublatum, ſpirituum officium.

Cauſa-

Caufa ergo proxima & continens eadem femper, in omnibus; fed caufa hæc a caufis diverfiffimis nata.

3) Quum Medici fit, læfam functionem reftituere, oportebit eum diverfa curandi methodo uti; quia caufa illa proxima a tam diverfis caufis oritur.

Etenim, fi a fola aquofa diathefi fanguinis natus fit effectus diathefeos hujus; eft, quod fpiritus non transfluant: curabit id omne, quod reftituat deficientes fpiritus in illo fanguine eosdemque moveat.

Remedia præfcripta fpiritus præfentes generant, generatos movent.

Sed, fi a fpiffitudine inflammatoria, cura tota eft, fanguinem ita mutare, ut fit inter aquofam & nimis denfam diathefin intermedius. Cura ergo unius morbi ab obpofitis oriundi caufis obpofita perficienda methodo. Id verum per omnes cafus. Effectus tamen ultimus cujusque methodi erit, ut fint iterum & præfentes & fluentes fpiritus: fed pro diverfitate diathefeos erunt remedia diverfa.

His præmuniti poterimus demum falfo fecernere verum & per ætiologiam, diagnofin, prognofin, ex vero determinare, quid in quoque cafu agendum.

4) Ergo non eft methodus felix una. Utinam univerfalia illa ad apoplexiam minus cognita, minus in libris Medicorum exftarent!

5) Ergo inpoffibile eft, empirice curare. Empirici, quamdiu nefciunt, quis morbus fit, fciunt nihil: fed, audito nomine apoplexiæ adhibent fuum balfamum antapoplecticum, effentiam cephalicam, effentiam cephalicam balfamicam, pulverem cephalicum rubrum, pulverem cephalicum album, cephalicum fpecificum Michaëlis, fpecies dictas contra apoplexiam &c.; quodfi præcife quadret in uno, erit magnus Apollo, per totam urbem celebrandus; fi cafus fit longe alius, homines ad plures mittit.

Sed necdum vidimus finem apoplexiæ; nempe, cur in mortem ducat.

Copia magna ſanguinis capiti inpenditur: MALPIGHIUS unam tertiam totius exiſtimavit enkephalo ſolo inpendi.

Si conſideretis molem cerebri & cerebelli, videntur partes $\frac{5}{6}$ debere tribui cerebro, & $\frac{1}{6}$ cerebello.

In cerebro jam ſtat ſanguis omnis, nec ultra per illud conpreſſum circulum obit: ergo cerebellum liberum hærens ſub ſuo diaphragmate, accipit copiam tantum majorem, quam antea. Hinc vires vitales augentur omni momento. Oritur inde febris ardens cerebelli; nam febris ardens eſt rapidiſſimus motus & trajectus ſanguinis rubri.

Febris ardens raro ultra tertiam diem durat, quarta die mors eſt; ita & apoplexia fortis, cerebello obſtructo & deſtructo: eo deſtructo fit apoplexia cordis, ſive vitalium paralyſis, ergo mors.

Hæc in apoplexia ex cauſa plethorica; ſed etiam in apoplexia ex cacochymia obruitur cerebellum tandem pravis humoribus, quos obpreſſo cerebro omnes nunc ſolum admittere cogitur.

In apoplexia ex penuria ſpirituum, cerebro inutili, nec plus ſecernente; etiam cerebellum non poterit ex ſanguine, carente materia, unde ſpiritus conficiuntur, vitales gignere ſpiritus.

In vulneratis & puerperis mors cerebelli, æque ac cerebri, quia ad neutrum fit ſanguinis adpulſio.

IV. PARAPOPLEXIA.

Παρὰ diminutivum eſt; adeoque apoplexiam quidem vox hæc denotat, ſed ἰσχυρὴν, paullo minorem; ita, ut poteſtas ſenſuum obruta quidem, maximo motu,

tu, aut vellicatione excitetur, motusque quamvis sepultus omnino esse videatur, tamen ad maximos inpetus factos conamen saltem movendi edat; superest etiam tota fere deglutitio.

In forti apoplexia nulla ratione poterat sensus motusque excitari; hinc cernitis, quod morbus idem, sed tantum secundum majus & minus differens.

Vetustas insignivit nomine parapoplexiæ, sed non erat opus: sic possemus peripneumoniam dicere, & parapneumoniam, pleuritidem & parapleuritidem: cui usui? Nulli, & oneratur ars sine utilitate; scimus enim, non omnem peripneumoniam esse æque fortem; ita nec apoplexiam.

Quum tamen sic mos obtineat, tirones in legendis auctoribus vix capere possunt, quod res tam parum differentes aliis insigniantur nominibus: unde proni sunt, ut concludant, alium morbum esse; unde & operæ pretium, hæc monuisse: idem vetustatis vitium in aliis patebit. Veneramur antiquitatem, dignam summis laudibus; sed non cœce; non ita stupide, ut amplectamur in omnibus & ubique eorum normam agendi.

Diagnosis, prognosis, cura, datæ ergo sunt in APOPLEXIA. Ex quibuscunque causis apoplexia potest oriri, ex iisdem etiam parapoplexia; nam est morbus idem, gradu intensitatis tantum minor: si non illico curetur, mortem inferens, mutatus prius in apoplexiam fortem.

V. PARAPLEGIA.

Vox hæc vago sensu ab HIPPOCRATE & ARETÆO sumitur, vago quoque ab Auctoribus (recentioribus.)

Excussis præcipuis determinanda hæc vox est ad apoplexiam totius corporis, demto capite. Frequens morbus in conflictu bellico, ubi in supremo collo ita vulneratur aut contunditur homo, ut cauda medullæ spinalis infra adfectum locum sit destructa.

Homines hi capite bene habent, ita, ut visus, gustus, auditus, olfactus, bene habeant, cerebrum quoque; loquuntur, ut ante, mente præsente; respirationem exercent, deglutiunt; nam bene animadvertite, me dixisse, morbum esse apoplexiam totius corporis, excepto capite. Sed, ut in apoplexia, vitales actiones, & quædam naturales, supersunt ad tempus, & quia in his cerebrum non obrutum est, exercent sensus externos & internos.

Morbus tamen inevitabili fato lethalis; vel enim læsa medulla in collo communicat malum tandem cum ipsa medulla oblongata; aut medullæ membrana arachnoidea, aliave vasa, adfecta, hic cum interno cranio communicant malum, & sic homo moritur.

Vel etiam moritur homo, quod nervi intercostales & octavi paris demum deficiant sustinendis actionibus vitalibus & quibusdam naturalibus. Scitis enim, quam crassi valentesque nervi a spinalibus accedant & confundantur cum intercostali pari: igitur his nervis in origine medullæ spinalis destructis, par intercostale unum sufficere ineptum, fatiscit & homo moritur.

Sed explicatio facilis morbi orti a causa externa; hic vero ponitur a causa orta interna, qualem causam diximus esse vertiginis, apoplexiæ, parapoplexiæ. Quomodo sic explicandum? Causa enim in cerebro hæret; adfecto primo cerebro & medulla, intelligo, quomodo adficiantur nervi per totum corpus: sed in paraplegia causam morbi proximam hærere in cerebro, cerebrum esse inmune, & cerebri propagines, scilicet ner-

nervos, apoplecticas esse, vix videtur conprehendi posse.

Fateor, ineluctabilem fere difficultatem exponendi: sufficit, adesse talem morbum, ubi a causa interna sola, apoplexiæ causis simili, oriatur id ipsum, quod in apoplexia, demto capite: id porro experientia docet.

Sed periculum faciamus exponendi.

Inflammatio fit aliquando in vasis rubris; sed sæpe crassior materies transit vasa rubra & inflammat serosa; sæpe serosa transit inflammatque lymphatica. Si ergo in cerebro, ut RUYSCH, ut jam plurimi clari Anatomici statuunt ex analogia, etiam fiat ope vasorum confectio spirituum; si vasa medullosa a cortice orta in nervos propagentur; nonne licet in paraplegia concludere, materiem transivisse corticem, quæ initia medullosorum tubulorum quidem penetrare potuerit, in progressu autem versus medullam spinalem crassior sit, quam ut per illos tubulos, prioribus adhuc exiliores, penetrare possit: unde tunc, nata obstructione, spirituum in nervos spinales penitus præpeditur persluxus.

Hæc de paraplegia nullo præcedente morbo capitis notabili: sed si apoplexia prægressa sit ab effuso humore in ventriculis cerebri, isque humor descendens ad ventriculum quartum ibidem pondere suo vel acredine solverit tenues illas membranosas fibras, quibus medulla oblongata connectitur ossi vertebræ primæ, mox ubi specum vertebrarum ingressa est, cadit effusus liquor in specum & premit spinalem medullam: inde inferiorum partium inertia.

Causæ, diagnosis, prognosis, dictæ in APOPLEXIA. A causa externa dixi incurabilem, in eoque est pejor, quam apoplexia a causa externa, quæ aliquando tempore levatur; hic nihil ab arte auxilii.

A causa interna ortæ plerumque finis fatalis: tamen aliquid agendum, quamdiu homo vivit & capite bonus est. Causa ergo indaganda, ut in vera APOPLEXIA & VERTIGINE, ergo & cura mali inde petenda.

VI. PARESIS.

Determinatum sensum non habet, confunditur cum paralysi: significat aliquando levissimam apoplexiam, ubi sensus & motus non sunt ablati, sed ita languent, ut in semiebrio; ita, ut si malum augeretur, fieret apoplexia.

In hoc sensu cura petatur ex cura VERTIGINIS & APOPLEXIÆ.

Iterum videtis V. V. defectum: quid opus erat, artem ita onerare inutili vocabulorum farragine? Apoplexia fortis, apoplexia debilis, parapoplexia, paresis, unum eumdemque tantum significant morbum, gradu differentem. Quodque discentes magis turbat & obfuscat, est, quod V. V., ut dixi, confundant cum paralysi: hujus rei ignarus vario sensu hoc nomen datum legens, se ipsum perdit.

Quid quod etiam peculiariter sic vocaverint aliquando vesicæ urinariæ paralysin?

Hinc ex sensu oportet mentem Auctoris primo bene capere, antequam legendo aliquid concludamus: perperam enim aliquid concluderemus, quum Auctores nunc hoc nunc illo sensu vocem hanc intelligant.

VII. ANÆSTHESIA.

Huc retulerunt morbum, in quo sensus interni hebescunt, omnes actiones animales per gradus ita incipiunt languere,

guere, ut si ultra pergerent, apoplexia sequeretur, & maxime ubi sensus tactus omnino desinit; ut pro tactu tantum fit stupor in nervis.

Ad incipientem e longinquo apoplexiam est igitur referenda anæsthesia; inde petenda causa, diagnosis, prognosis, cura. Prophylactica apoplexiæ cura huic morbo prodest. Neglecta transit in apoplexiam ischyren, lethalem. Anæsthesia igitur nomen, quo possumus carere. Unde ex centum Medicis vix duo bene norunt, quid significet; nec est necesse scire, nisi ut confusionem non pareret Auctores legenti; si enim nesciamus, quid velint hoc nomine, confusio nobis in legendo nascitur. Ergo, pro quinque nominibus unum sufficeret.

VIII. LETHARGUS.

Morbus cerebri, motum sensumque tollens, cum inexpugnabili necessitate dormiendi, natus a pituita, humida, frigida, cerebrum madefaciente, ibi tandem putrescente, incipiente motum facere arteriarum febrimque lentam cum marcore. — Sumsi definitionem ex libro *Definitionum medicarum*, cujus auctorem nonnulli GALENUM credunt.

Ex tota definitione, vel descriptione, videtis esse apoplexiam frigidam, natam ex sanguine ita inerti & mucoso, ut spirituum bonorum materiem ultra nequeat subpeditare cerebro: obruto ergo cerebro somnus inexpugnabilis fit, cerebellum, per aliquot tempus circulationem solam sustinens, febrim patitur & destruitur, vel obstruitur, ab illa mucosa materia, & fit mors.

Ut hujus speciei apoplexiam plerumque lethalem dixi, tamen aliquid est faciendum, an forte quis inde

rediret, revocate modo, quæ in cura illius ſuaſi Vobis, & adplicate huic morbo lethargico.

An non cogitaſſemus, ſub nomine tam alieno latere morbum necdum in tota hac de morbis capitis pertractatione explicatum? Tamen videtis, vos alio ſub nomine jam hunc morbum intellexiſſe: an ergo non iterum quid ſuperflui?

IX. CATAPHORA.

An non crederetis, Vos miri morbi audituros explicationem? Tamen jam explicatus eſt bis, aut ter.

In hoc morbo homo perpetua ſomnolentia detinetur; ita, ut nihil noſcat, quæ a ſe, aut circa ſe gerantur; obpreſſo a pituitoſo ſanguine cerebro.

Ergo iterum lethargus eſt, aut apoplexia ex cauſa mucoſa; ſed forte haud æque cito, ſed parum lentius, occidens.

X. CARUS.

In nulla re carus ab apoplexia calida leviori differt; niſi, quod apoplexiæ leviori ſanguineæ, ubi homo ad ſe rediens aliquam partem paralyticam haberet, vel in perpetuam vitam, vel in longum tempus, reliquerint nomen apoplexiæ; ſi vero integre convaleſcerent, ajebant, modo carum adfuiſſe.

Verum diagnoſticum ſignum, vigente morbo, non datur: ergo ſunt cauſæ eædem, apoplexiæ calidæ levioris & cari; ſunt eadem ſymptomata. Nullus ergo Medicorum poterit, vigente morbo, diſtinguere; nec refert ægrorum etiam, quum curatio ipſiſſima eademque ſit.

Cura-

Curato vero morbo nomen mutabant, &, ut dixi, integre curato hoc carum fuisse ajebant; curato quidem, sed relicta aliqua labe, v. g. in lingua, genis, palpebris, digitis &c. apoplexiam leviorem.

Est perinde, ac si hominem pleuriticum, qui ex pleuritide aliquam in pulmonibus labem servaverit, dixerim vera pleuritide laborasse; eum, qui integre curatus, thoracitide. An ergo nomine illo carere cum cæteris non potuissemus? Est tamen cari frequens apud auctores, etiam antiquissimos, mentio; unde necesse fuit, rei notitiam dare, qua tirones noscerent intelligerentque, quid nomine vario in idem collimante significatum legerent.

XI. CATALEPSIS.

Mirus morbus, parum descriptus, explicatu admodum difficilis: pituitosis & crasso, lento ac melancholico humore plenis, solitus.

Eo in morbo sensus interni ac externi sopiti sunt, sed alio modo, alio sensu: ita, ut hic morbus differat a præcedentibus, nomineque alio mereatur insigniri.

Invadit homines plerumque, dum mente compotes, actiones omnes rite peragentes, uno momento videntur omnibus sensibus internis carere & etiam externis; verum modo fere inconprehensibili.

Sunt enim 1) inmobiles eo momento invasionis; ita, ut non cadant ut apoplectici, sed sic maneant, ut momento invasionis: si sedeant, manent sedentes; si stent, manent stantes, si habeant manum admotam ori, vel alteri corporis parti, manet ea manus adplicata eodem modo, donec ad se redeant.

2) Si Medicus prehendat brachium & levet sursum, brachium sic manet, tanquam si clavo ibi fixum

esset;

eſſet; ſi ponas ſuper unum pedem & corpus in æquilibrium dirigas, ut linea directionis habeatur, manebunt ſtantes in uno pede. Si os diducas, ut quaſi ridentem hominem repræſentent, os ſic manet. Omnia hæc in puella duodecim annorum vidi, & feci, præſens plusquam vigeſies; durabat enim ultra menſem catalepſis; bis ter de die paroxyſmum habens.

Theologus ſapientiſſimus hoc morbo laborans Leydam adducitur & liber a paroxyſmo acceſſit BOERHAAVIUM: inter colloquendum paroxyſmus hominem prehendit, ut ſtans manſerit ſic: donec ad ſe rediret, in eadem faciei forma, quaſi adloquens & intuens BOERHAAVIUM fuiſſet. In quamcunque partem BOERHAAVE membra flecteret, manebant ſic. Hæc de actionibus muſculorum.

Sed 3), dum alii quaſi fulmine icti permanent, non audientes, non videntes, non ſentientes, ullo modo; alii cantant, garriunt, enunciant multa ſine hæſitatione; ut juraretis, eos mente non laborare.

Puellam, de qua paullo ante dixi, ſæpe vidi cantantem, recitantem pſalmos quosdam memoriter, ut nemo exactius memoriter recenſere potuiſſet; immo eloquentem ea, quibus extra paroxyſmum occupabatur. Sancte teſtor, me, de nocte vocatum, ſequentia vidiſſe & audiviſſe. Paroxyſmus ſævus prehenderat illam, &, dum me exſpectabant, Pharmacopœum vicinum arceſſiverant parentes. Sermo in illa familia fuerat ſæpius de moribus inpudicis Pharmacopœi illius; qui, viduus & quinque pulcerrimarum puellarum pater, cum ancilla ſua concumberet. Dum ego advenio, video Pharmacopœum præſentem, audio puellam primo cantantem, deinde quaſi aliis hominibus narrantem, quod in vicinia habitaret Pharmacopœus, qui & filiabus & toti viciniæ prava inpudicitiæ exempla

pla daret, quemque proinde ſequeretur ultor a tergo Deus; & ſic centena alia. Avidus ſciendi, an quid ſublitefceret doli vel fraudis, unguibus meis vellicavi cutim teneræ puellæ, ut ſtigmata plures per dies inpreſſa manerent; ſed nullus ſenſus: ſumſi aciculam & variis corporis locis pupugi; ſed nulla ſigna ſenſuum.

Mirabilis ſane morbus, in quo functionum animalium aliæ pergunt, aliæ ceſſant.

Erant ante paroxyſmum muſculi in ea actione, ut hominem ſtantem efficerent; ajebant ergo: ſi non egiſſent, homo humi jacuiſſet: ergo agebant muſculi tenentes corpus in æquilibrio. Manet hæc actio in paroxyſmo; ſed ultra nihil: ne vel minimum quidem motus ſignum editur. Fiebat tamen mutatio in hoc ſtatu: nam homini dormienti cum flaccidis muſculis brachium prehendo & elevo, non manebit ſic, ſed pondere ſuo cadet: in cataleptico brachium elevatum ſic manet, ſine ſuſtentamine. Si ponamus muſculos brachii pendentis fuiſſe in æquilibrio, erunt illi elevati non in æquilibrio: nam elongabuntur nonnulli, alii in minus plicabuntur ſpatium. Undenam in homine tali ſpiritus copioſiores influentes, ubi ante non erant, ut certe in quibusdam muſculis pendente brachio extenſis, brachio elevato contractis? Nam, ſi non contraherent ſe muſculi, caderet brachium. Et cur hi ſpiritus influunt in muſculos voluntarios, non ad voluntatem hominis cataleptici, ſed ad voluntatem adſtantis? Idque eo tempore, ubi cerebrum non agere videtur in muſculos. Nam, quod homo in paroxyſmo maneat ſtans, vel erectus ſedens, hoc oritur, quia ſpiritus momento ante ex ſenſorio communi in muſculos inpulſi & muſculos inflantes, ſic maneant inmoti, nec diſpellantur ulla corporis actione.

Deinde, undenam in puella voluntarius motus ad loquelam? Unde vivax illud ingenium medio in paro-

xyſmo,

xyſmo, ubi inpreſſus nervis dolor ſæpe repetitus cum cerebro a nervos communicatus non fuit?

Videamus, an ex analogia aliquid adferri queat?

In homine dormiente ceſſat motus animalis, ceſſant omnes motus voluntarii; tamen aliquando ſapienter ſomniat, ſapienter loquitur, de iis maxime rebus, quibus ante præcipue occupabatur.

In ſomno perfectiſſimo ad paucas horas a penuria ſpirituum eſt quædam vera cerebri apoplexia: ſed datur ſomnus, datur talis brevis apoplexia, in qua non integre ſopitum cerebrum partes aliquas habet liberas, per quas operationes mentis videntur exerceri.

Hinc forte idem in hac puella contigit.

Verum, cur motum habuit muſculorum faciei, glottidis, linguæ &c. qui a voluntate dependet?

In ſomno movet homo quoque partes illas, ut loquatur integro ſermone; movet partes ſuas; immo, ſi cum ira loquatur, percutit aliquando eum, qui ſecum dormit; putans in ſomno, ſe jam inimicum adgredi. Sunt homines, qui nec ſomniantes, quantum ſciunt, quidquam, & bene dormientes, liberas ſervant vias quasdam inter ſenſorium commune & gradatorios muſculos, ut in pleno ſomno ambulent magna prudentia.

Videmus ergo, in ſomno cerebrum apoplecticum pro tempore, tamen non inpedire, quin mens utatur aliqua ejus parte, & vi hujus mentis operationis ſenſorium commune, ſive τὸ ἐνορμῶν, agat in quosdam muſculos.

Eodem modo mihi videor, poſſe illas miras catalepticorum actiones explicari, quoad motum ad loquelam & ſapienter prolata verba.

Verum perſiſtens extenſio, quæ videtur non a cataleptici ἐνορμῶντι, ſed a me adſtante, facta, unde explicatur?

Vide-

Videtur tamen facta ab enormounte catalepticorum & non ab adſtantibus. Voluntas ægri non determinavit ſupinum brachium in pronum, pendulum in erectum; id adſtans fecit: ſed ſenſorium commune non plane iners, ut videmus ex effectibus, motum fuit occaſione mutatorum nervorum brachii & enormoun hinc incitabatur, ſpiritus neceſſarios in nervos pellere, quo ſic brachium maneret. Hoc facto iterum quies ſumma; nec ultra enormoun egit; manſere ſpiritus brachium tendentes, muſculos inflantes: ergo manſit ſic brachium. Si vero occaſio externa, cauſa externa, mutaret ſitum brachii; nervi mutati cum ſenſorio communi non plane ſopito hanc mutationem communicabant: inpetum faciens mox iterum eo ſpiritus amandavit, ut antea. (*)

Videmus ſic differentias morborum ſenſorii communis: in apoplexia iſchyre conpreſſum, vel iners, ita eſt, atque in cadavere: in apoplexia leviori paullo minus conpreſſum eſt, ita, ut vis a cauſa externa inlata nervis illud excitet pro momento: in epilepſia uno momento temporis conprimitur, alio momento furioſum & inpetuoſum agit, & ſic viciſſitudo hæc durat toto tempore paroxyſmi, donec inpetu furioſo ceſſante terminetur in apoplecticum ſomnum, aliquando lethalem in epilepſia acuta, plerumque autem in ſpeciem

(*) Aſt, ſi ſenſorium commune non plane iners, cur ad vellicationes & punctiones non retrahitur pars, non mutatur ſitus? An eſt tantum iners ſenſorium commune reſpectu nervorum ſentientium, & non reſpectu nervorum motoriorum? *de* H.

ciem ſanitatis. In catalepſi adeſt ſenſorii communis conpreſſio vel inertia in magna parte, a cauſa tamen externa irritati nervi ad motum deſtinati habent quamdam cum communi ſenſorio communionem: irritati nervi deſtinati ad ſenſum, communionem nullam. Adeſt etiam in nonnullis liber quidam locus, quo mens utitur apte, ut juſtæ cogitationes adſint, & unde ab enormounte deriventur ſpiritus in muſculos voluntarios ad loquelam. Tamen peculiare eſt hoc, quod, ad ſe redeuntes, nihil ſciant, niſi quod vel dormierint, vel ſomniaverint; reliqua, quæ geſta ſunt, vix credere poſſunt.

Curatio non alia, quam ea, quæ conveniat temperamento. Sunt plerumque temperamenta glutinoſa, vel atrabiliaria, in quibus v. ſ. raro prodeſt. Enemata, veſicantia, ſpiritus excitantia, gluten vel ſpiſſitudinem atrabiliariam incidentia, conveniunt; & ubi quies aliqua a paroxyſmis, temperamentum unice corrigentia requiruntur. Porro hæc data ſunt in cura vertiginis ab hac cauſa natæ: ſic curavi meam puellam, ſic BOERHAAVE ſuum eccleſiaſten.

XII. CHOREA STI VITI.

Hanc aliquoties vidi in praxi mea: adcurate eam deſcripſit SYDENHAMUS *Sched. monitor. p.* 526—528. & in proceſſu integro morborum *p.* 595. *&c.*

Obſervavit SYDENHAMUS, morbum eſſe, qui teneram ætatem potiſſimum invaderet, a decimo ætatis anno in pubertatem usque: in quadrienni tamen puella vidimus hoc vere hunc morbum in leviſſimo gradu. Mira claudicatione ſe prodit, ita, ut pes non ſit paralyticus, ſed edat geſticulationes ridiculas; quaſi ab homine ebrio, titubante, editas; manum ejusdem late-

lateris idem malum occupat; ita, ut risum adstantibus moveant hi homines, dum velint pectori, vel ori, aliquid adplicare: vigesies cibus, vel potus, transit os, antequam forte fortuna quid intret.

Vidi bene moratam puellam præ verecundia mœstam, perfusam lacrymis, omni voluntatis inpetu renitentem, sed frustra: nihil hic valet voluntas.

In his mens præsens est, cerebri conpressio nulla; vitium tantum hæret in nervis cruralibus & brachialibus.

In expositione colicæ Pictonum alibi problematice proposui, an nervus intercostalis non adfectus esset peculiariter in illo morbo: consideravi tum intercostalem nervum magnam partem distributum in nervos brachiales, quum in collo se uniat cum brachialibus, ex cervicalibus & primo dorsali ortis; dein unitum cum dorsalibus in thorace, cum pari octavo in visceribus abdominalibus; cum nervis lumbalibus & sacris ad conponendos magnos nervos ischiadicos & crurales.

Cernebamus motum crurum ac brachiorum potissimum vitiari a colica Pictonum, non sensum, qui superest: adeoque concludebamus, nervum intercostalem ad motum potissimum pertinere: considerabamus nervum hunc in abdomine adfectum una cum nervo paris octavi producere dolores humana patientia majores, & constrictiones nulla arte fere referandas, nisi vel summis artis moliminibus, vel ipsa intestinorum, post tantos dolores, paralysi.

Explicabamus, dolores enormes hos posse oriri partim a paris octavi sensui destinatis nervis; partim paris intercostalis tubulis, qui sensui inserviant.

Paralysin vero artuum superiorum inferiorumque explicui tunc, sequi sæpe illam nimiam agitationem & conpressionem nervorum: videri a conpressione, a coarctatione omnium in abdomine partium oriri tubulo-

rum nervi intercoſtalis, motui, non ſenſui, deſtinatorum, inmeabilitatem, conlapſum, & fere quamdam ſymphyſin, eosdemque tubulos, ſic adfectos, languorem producere per magnam longitudinem; ita, ut in nervis iſchiadicis tubuli nervei intercoſtales eſſent inpervii, adeoque ſpiritibus transmittendis inepti, itidemque in brachialibus.

Conſiderabamus, non adeſſe magnam difficultatem explicandi, cur pedum major minorve paralyſis hinc oriatur, quod pedes eſſent ſub loco adfecto; ſed oriri difficultatem explicandi, cur etiam ſupra locum adfectum intercoſtalis laborarent.

Reſpondi tunc, effectus id docere

1) in hoc morbo Pictonico;

2) in inflammatione ingenti pulmonum notatum eſſe ab HIPPOCRATE in *Coacis*, a turgente uno in latere thoracis pulmone inflammatiſſimo oriri brachii ejusdem lateris paralyſin; adeoque factis conſtare, rem ita contingere.

Sed ſimul ex his concludebamus, non in ſola colica Pictonum, ſed & in inflammato & turgente pulmone hoc contingere; adeoque videri, languorem pati intercoſtalem nervum in longa ſæpe diſtantia a loco adfecto; idque a loco adfecto ſurſum verſus principium ſuum: an eſſent etiam tubuli recurrentes, iisdem incluſi vaginis, ut extra vaginam ſuam octavum par dat nervos recurrentes?

Difficultas vero nova erat explicandi, cur nervo intercoſtali adfecto vel languido in colica Pictonum reſpiratio ſimul non laboraret, cur non etiam cor?

Reſp. 1) nervum intercoſtalem ad unamquamque vertebram augeri craſſo nervo ſpinali, & ſic poſſe fibras illas a ſpinalibus intercoſtali datas continuare actiones pulmonis & cordis.

2)

2) Gravem esse adeo aliquando colicam Pictonum, ut homo de vita periclitetur, labantibus etiam functionibus vitalibus & animalibus; ut langueat vita, ut fiat aphonos plane, cœcus, amens; quorum omnium exempla vidi. Eo in casu videntur adfici omnes fibrillæ nervi intercostalis, ut nervi accessorii spinales haud sufficiant continuandis actionibus vitalibus, & ut defectu vitalium etiam animales actiones vacillent.

His visis redeamus ad choream Sti Viti.

A temperie mucosa, inerti, flaccida, vel debili, aquosa puerorum, vel a nimia in his totis nervosis corporibus nervorum debilitate, intercostalis nervus minus successive videtur a cerebro inpleri; unde ad motum continuandum pedis ac manus ineptior fit: perinde, ac videmus homines ægros titubare & vacillare pede, manu, dum volunt aliquid accipere, vel bibere, vel lecto se movere. Vitium, quod in plerisque nervis animalibus est, hic pro parte est in intercostali, ut voluntas quidem actionem determinet, sed successiva non adsit enormountos actio ad ultima nervi usque.

Causa videtur in nervo potius, quam in sensorio communi hærere: sunt enim mente præsentes, lacrymantur suum infortunium, & omni vi voluntatis vellent evitare tam turpes gestus. Videtur nervus, in tunicis suis vel gangliis ab humore lento utcunque inpeditior, continuato spirituum persluxui ineptus esse: vel nervus ipse in sua fabrica debilior, quam ut vim enormountos ad finem usque sustineat.

Indicatio in hoc morbo sponte patet; adtenuatio mucosi, roboratio invalidi, omnem absolvunt paginam. Cura hæc data fuit in historia VERTIGINIS ab hac causa natæ; ergo non repetam.

Monitos tamen Vos velim prudentiæ, dum SYDENHAMUM hac super re consulitis. Ille solet bis,

ter, venam secare & intermediis diebus purgare ista corpora, dein roborantibus firmare: dico ergo:

1) corpora Anglorum alia sæpe methodo debebant curari a SYDENHAMO, quam aliæ nationes tractandæ sint; Angli enim succulentissimis nutrimentis & meracissimo potu aromatibusque, inplent sua corpora ac rarefaciunt humores suos: unde v. s. & purgantia in ejusmodi hominibus usui venire possunt; id quod alio modo educatis non conveniret.

Sed 2) videtur hic oportere nos parumper recedere a SYDENHAMI sententia; quia utrisque antea laudatis locis ex ratiocinio suo subponit, tali, quali hic utitur, methodo, etiam adultorum posse epilepsias curari. Videtur magnus ille Medicus in natura noctu diuque rimanda, tot variis morbis occupatus fuisse, ut omnibus æque adcuratam navare operam non potuerit: vidimus enim, in epilepsia curanda universalem dari methodum nullam; methodum, quæ uni prosit, lethiferam esse alteri, adeoque ex caussarum differentia peti differentiam methodi. Unde etiam in hocce morbo cura præscripta neutiquam universalis est; immo, in mea praxi non potui ea cura uti in meis ægris. Si enim ætatem respexeris, & temperamentum, vides omnia arguere sanguinem, qui mucosior sit, adeoque hinc inde parvas obstructiones ad nervos creare possit, vel nervos debiliores, quam ut vim inpetum facientis ad finem usque sustineant.

Curam ergo ex præcedentibus conprehenditis: puellulam adlatam huc (in nosocomium practicum) in matutino pauperum ægrorum examine, multum emendatam vidimus in secunda visitatione, ex quo pes & crus a summis lumbis in digitos ultimos quotidie frictiones sustinuerunt ope balsami facti ex unguent. mar-

tiat.

tiat. nervin. ol. laurin. aa ℥j., ſpir. ſal. ammon. ʒij., & ex quo bibit tota die infuſum roriſmarini.

XIII. COLICA PICTONUM.

(„ Sæpius, hic HAENIUS ait, de hoc morbo actum & explicatus eſt fere totus §pho præcedenti, de CHOREA STI VITI: curam dedi præcedenti hyeme. Recidivam præcavet cura lactea, diu multumque continuata." — Remittere itaque Lectores debeo ad *diſſertationem* HAENII *de colica Pictonum*, quæ plurimum emendata denuo recuſa fuit nuperrime in *Antonii de* HAEN *&c. Tom. III. Rationis medendi continuatæ*, ſeu *Operum poſthumorum Volum. I. collegit edíditque Maximilianus* STOLL *&c. No. VI.* ubi Celeb. Auctor morbum hunc optime examinavit, atque methodum medendi, quam frequens praxis optimam docuit, ſimul addidit. Proxime diſſertationem hanc egregiam, quod ante plures annos jam deſideratum fuit, *v.* medizin. Wochenblatt für Aerzte, Wundärzte und Apotheker, 1780. *p.* 263., germanice verſam in commodum generis humani majus edam.)

XIV. COMA COMATODES.

Si a cauſa calida oriatur, eſt carus levior; ſi a cauſa frigida, levior lethargus, ſeu cataphora. In acutis ſæpe adeſt, ut vidiſtis in noſocomio in lanione, quem totos decem dies occupabat. SYDENHAMI obſervato monito homo ſic reſtitutus eſt.

XV. COMA AGRYPNODES.

Morbus partim ex iisdem causis, ex quibus prior, ortus; partim quoque ex acrimonia adjuncta, sopitum ex prioribus causis cerebrum continuo excitante: vel denique natus ex eo, quod totum cerebrum conprimatur, excepta unica parva parte, quæ continuum perfluxum spirituum patitur. Ponite nonaginta novem partes conpressas, & unam perviam; illa una inpedit diuturnitatem somni, vivida sua actione.

Miserrimus casus sæpe in acutis, maxime in phreniticis; sed frequentior in nullis, quam in infantibus. Submerguntur sopore & acre irritans ita agit in quasdam cerebri partes, ut, dum adhuc dormiunt, videatis in facie brachiisque ortas convulsiones, & mox ingenti pavore, terrore, ejulatu exsilire e somno. Cura universalis morbi, & hujus mali est cura: non neglectis, in adultis, vesicantibus, quo vigiles illi spiritus aliorsum advocentur.

XVI. PARALYSIS.

Apoplexiæ quoque species, ut videbimus; sed adeo mirabilis morbus, adeo frequens in praxi, adeo cognitu omnibus suis in partibus Medico necessarius, ut ignoratio ejus damni plenissima sit; unde per aliquot lectiones nos debebit occupare.

Παρὰ, ut ante vidimus, diminutivum est; *παραλύειν* est *fere* solvere, sed non integre: est ergo PARALYSIS solutio nervosæ facultatis, ut mors quidem non subsequatur illico, sed tamen, ut fere mors adsit, & ut certo adsit, si vitalia *παραλύονται* (resolvantur.)

Signi-

Significat itaque leviorem ſolutionem fere ad mortem.

Definitur eſſe morbus muſculi, ponens in muſculo inpotentiam motus exercendi inpetu mentis, una cum ejusdem muſculi laxitate flexili.

Error damnoſus non tantum theoriæ, ſed & praxi, dum Medici paralyſin vocant omnem morbum, in quo muſculus non poteſt moveri. Damnoſus, inquam, quia ad aliquas ſpecies motus inpediti, laxantia, debilitantia, humectantia, palmaria ſunt remedia: dum ſic motus defectum curari videbant, huncque defectum vocabant ſemper paralyſin; hinc omnem paralyſin ſic curare adgreſſi ſunt, & homines peſſumdederunt. Nam 1) alius eſt inſuperabilis defectus motus in ſilicernio homine, cui tendines per ætatem occaluerunt concreveruntque cum oſſibus.

2) Alius eſt defectus motus, ubi poſt inflammationem & ſubpurationem tendo cum muſculo concrevit; ut ſæpe poſt paronychias.

3) Alius eſt defectus motus, ubi poſt anchyloſin muſculi tendinesque figuram mutarunt, lubricitatem amiſerunt; ſive, quando cretacea, podagrica, materies inpedit motum articuli; ſive, quando induruerunt articuli ligamenta.

Ergo paralyſis non eſt omnis inpotentia inſuperabilis motus muſculi, ſed eſt inpotentia inſuperabilis motum exercendi in muſculo, una cum flexibili laxitate.

Inſuperabilis dicitur, quia nulla vis τȣ̃ ἐνορμȣ̃ντος poteſt efficere, ut agat. Tamen exempla nonnulla ſunt victæ inſuperabilis alioqui hujus movendi muſculum inpotentiæ per miros animi adfectus.

Inter libros arabicos, quos CLENARDUS in inperio Maroccano collegit, quosque Leydenſis bibliotheca

ſervat, habetur hiſtoria uxoris Caliphæ, paralyſi unius lateris dudum laborantis. Multis incaſſum tentatis conſultus quidam Medicus ait, curaturum ſe eſſe, niſi iram Principis metueret: metus expertem reddidit Calipha. Ille ergo prono corpore finxit ſe pedes velle adtingere, id quod in ea regione ſummam mulieris, quæ hoc permiſerit, redolet inpudicitiam; unde irata illa mox convaluit.

HERODOTUS narrat ſequens: CRŒSUS, quintus & ultimus Lydorum Rex, a CYRO, Perſarum & Medorum Rege victus, inpetitur a Perſa milite, CROESUM ignorante. Unicus filius CROESI, a nativitate mutus, maxime hoc ſpectaculo territus: abstine Perſa, inquit, ab inferendo in patrem gladio!

Notiſſima veriſſimaque hiſtoria eſt dominæ nobilis ex familia conſulari *de* SLINGELAND, quæ ad annum ætatis quintum plane muta, ad ciborum delectum, ad veſtes pulcras, ad ludos & jocos, plane adiaphora, uno verbo, vix niſi hominis ſimulacrum. Nundinarum tempore ancilla qaædam hanc innocentulam ſecum duxit in comœdiam ſtatuarum *marionettes;* ubi puella intrans mox adtonita audit tibicines & cantatores: mox ubi comœdiam videt repræſentari, tota incitata videtur; indicat digito, quid miretur, ac demum tota fere præ gaudio & admiratione extra ſe rapta incipit loqui, licet confuſe; rogabat tamen, quî id vel illud vocaretur. Domum regreſſa matri narrat, quæ viderit; quæ omnia videns audiensque vix ſe præ gaudio poſſidebat. Puella hæc magno ingenio poſthac polluit; eſt jam ampliſſimo viro nupta, ac numeroſæ prolis ſapientiſſima mater.

Quando

Quando ergo dicitur insuperabilis inpotententia movendi musculum, id passim ita est: sed non excludit id, quod aliquando summo mentis inpetu fieri queat.

Dicam aphoristice, quæ huc spectent.

Inpotentia hæc est ablatio causæ physicæ, quæ musculum exercet. Ea causa duplex est; vel adlata ad musculum, vel prærequisita in illo.

Adlata causa 1) est sanguis a corde per arterias ad musculum adlatus.

2) Nervus, cerebro, cerebello, medulla spinali oriundus, ad musculum pertingens.

In musculo autem prærequiritur fabrica bona omnis ejus structuræ; arteriarum rubrarum, serosarum, lymphaticarum, ad ultimas vasorum series usque.

Si jam distributio nervorum per illum musculum ad omnia puncta, si villorum musculorum, ea sit conditio, qua possint adcurtari a vi liquidi influentis, tunc, quoties volumus, fiunt motus musculares arbitrarii: quando etiam illa omnia & in musculo & ad musculum destinatum motui spontaneo præsentia sunt, agunt hi musculi, ut cor, & respirationis organa.

Quia jam paralysis est inpotentia insuperabilis exercendi motum, potest referri vel ad causam adferentem, vel ad ipsum musculum. Ergo omnis paralysis vera pessima semper illa est, quæ simul habeat anæsthesiam musculi. Observatio generalis est.

Sunt quandoque paralyses tales, ut illa pars paralytica retineat sensum valde dolentem; spei superest quidquam; sed, si stupor perfectus adsit, ut non plus supersit sensus quidquam, pessima paralysis.

Loquimur de musculis arbitrariis solis; nam in spontaneis musculis sensus non adest, etiam in summis inflammationibus; ut in inflammatione cordis, pulmonum &c.

Differentia eſt in diaphragmate, eſt enim muſculus pendens partim a ſpontaneis vitalibus actionibus, partim ab arbitrio. Laborat tota vita, nec ſentimus quidquam. Paraphrenitide adficiatur; dolor naſcitur ille intolerabilis, ut quarto die necet, peripneumonia nata a cohibito ſpiritu.

Quanta differentia inter cor & diaphragma! Sed illud pendet a voluntate; cor non, ſaltem non directe. Ergo nervi a cerebello ad cor non ſentiunt: nervi ad diaphragma partim a cerebello, qui non ſentiunt, partim a cerebro arbitrarii, ſentiunt.

Stuporem hunc V. V. conſideraverunt: ſi digito ſit ſenſus, ut dum mihi quis oculos obvelaſſet, ego dicerem tangens: „ eſt lignum, non eſt ferrum. "

Si in tenebris baculo longo offendo in ciſtam ligneam, dico: „ incurro in lignum. " Sic ſenſus per tam longum inſtrumentum propagatur: ſi baculo tangam arenam, dico: „ moveo arenam. "

Ergo dum ajebant V. V. Medici, in paralyſi ſtuporem eſſe peſſimum, voluerunt ſignificare, vim ſentiendi penitus ablatam eſſe; & quotiescunque ſtupor parvus, modicus, adeſſet, paralyſin malam quidem, ſed non peſſimam eſſe; ſenſu vero integre perſiſtente, paralyſin eſſe boni ſigni. Hæc de ſtupore.

Sed 2) omnis paralyſis deprehenſa cum frigore accedere, vix minori, quam eſt aëris externi temperies, eſt peſſima. Pars, v. g. pes, ſentitur quaſi marmoris inſtar frigere; ſummo admota igni incaleſcit, ut lapis incaleſceret; remota ab igne brevi iterum inſtar marmoris eſt: eo in ſtatu circumductio ſanguinis per pedem ceſſat; ſi enim per arteriam rubram circumduceretur, caleret pars; jam vero friget: ergo non per arteriam rubram ſanguis circumducitur; ſi non per rubram; nec per ſeroſam, nec lymphaticam.

Ergo

Ergo laborat caufa advehens, & hanc fpeciem V. V. dixere peffimam; fi inminutus quidem calor, fed non integre, malam; fi calor naturalis fuperftes, effe paralyfin boni ominis, dixere.

3) Si in paralyfi maneret fua mufculo torofitas, boni figni etiam hanc ob caufam ajebant: recte quidem! Torofus enim non poteft manere mufculus, nifi quando omnia vafa arteriofa, venofa, pinguedinofa, refpondent fanitatis conditioni. Unde marcor ejus, five tabefcentia, figni peffimi. Id maxime cernitur in horrenda illa paralyfi colicæ Pictonum; ut videatis in nudo brachio cutim pendulam, & ficcos funes fuper offa.

Ergo 1) flacciditas fumma;
2) infenfilitas perfecta;
3) mobilitas arbitraria abfolute deleta;
4) frigus marmoreum;
5) marcor fummus;

certum eft, pendere hæc a mali caufis utrisque; nempe a caufa advehente, & conditione ipfius mufculi.

Paralyfis ab adfecto cerebro, vertigine, apoplexia, parapoplexia, lethargo, caro, comate, melancholico delirio, docet, originem mali pertingere ad enkephalon, & non in mufculo, fed in caufa advehente, hærere; licet pofthac cerebrum levetur: materies enim ex cerebro in nervos depluit. Si etiam in uno latere hæreat paralyfis, folemus femper fubponere originem mali hærere in parte enkephali obpofita. Id ex HIPPOCRATE, ARETÆO, variisque aliis Auctoribus, ut & ex MORGAGNI & SANTORINI demonftratum legere poteftis in *Comment. Ill.* BAR., *cap. de paralyfi.*

Si jam in uno latere fit paralyfis, caufa hærente in obpofita cerebri parte, & in latere non paralytico calor magnus & convulfio nafcatur, malum eft tanto

pejus:

pejus: notat enim magnitudinem causæ in toto cerebro.

Quotiescunque functionibus cerebri perfecte integris oriatur paralysis valida, causa sæpe est infra cranium: miramini, quod non dicam, causam semper esse infra cranium, sed sæpe; patienter ferte me hoc dicentem, rationem daturum, ubi mox agam de causis aliis.

Quotiescunque adest parapoplexia, dixi Vobis esse resolutionem omnium nervorum, demto capite; sed simul esse tantum arbitrariorum, non spontaneorum, musculorum motus; nam motus vitales aliquamdiu adhuc pergunt: sed tandem languent, quia intercostales nervi jam non augentur illis nervis accessoriis spinalibus ex singula vertebra oriundis; atque etiam, quia nervi diaphragmatici, qui ex colli vertebris oriuntur, inutiles quoque redduntur: adeoque diaphragma ultra non agit, nisi per nervos a pari octavo & intercostali: unde demum vita cessat. Sedes ergo mali in parapoplexia est ad, vel infra, ventriculum cerebri quartum.

Pulcrum est, recordari ex anatomicis, quomodo omnis medulla spinalis oriatur ex medulla oblongata; quomodo sese decussent fibræ medullosæ; unde credibile, quod pars dextra spinalis medullæ sit productio medullæ cerebri sinistri, & vice versa. Manifesta distinctio habetur ad ventriculum quartum, ubi in medio scrobs & in ea sulcus; & ne fieret concretio, adest latex ille ventriculi quarti.

Ubi latex ille abundat & gravitate suâ decidit in specum vertebralem sub tegumentis medullæ, paralysis oritur; cujus causa non necessario oritur ex obposito cerebri latere, sed potest oriri ex causa eodem in latere hærente.

Monet

Monet MALPIGHIUS, quodſi medulla ſpinalis transverſim ſecetur, inveniatur ejus cortex in medio. SWAMMERDAMMIUS in *obſervatis* editis a BLASIO 1660. *apud Commelinum*, in quo opere plurima ſunt SWAMMERDAMMII, corticem eſſe jam viderat, & RUYSCHIUS detexit, eſſe corticem ſimilem ei, qui externe adſit cerebro (Horum vero omnium quum in phyſiologicis ac anatomicis clarior multo idea tradatur, *Haeniana* hæc abs additamentis recentiorum circa illa obſervatorum dimittere malui) Videbimus paullo poſt, quid inde ſequatur.

Hemiplegiam, paralyſin unius lateris, ſic intelligimus fieri, quando cauſa tantum in una parte intra cranium, vel in uno tantum latere medullæ ſpinalis, hæret.

Practici norunt, fere ſemper a cauſa intra cranium oriri hemiplegiam; niſi forte externa cauſa acceſſerit ad ſpinam ipſam: quum, ſi una pars dimidia cerebri adficiatur, tunc omnis medulla infra caput, in theca vertebrarum, debeat fieri paralytica in latere obpoſito.

Quum jam facile contingere poſſit, ut in ventriculo primo dextro, vel ſiniſtro, cauſa oriatur inpediens, illico erit obpoſiti lateris corporis paralyſis: tunc adparet mox paralyſis in facie, ita, ut in ipſa faciei paralyticæ parte riſus ſardonicus adpareat, oculus quaſi invertatur, lingua contrahatur in latus.

Sæpe liberatur in apoplectico cerebrum, ac decidit id obſtruens in ſubjectam medullam ſpinalem, homo ad mentem redit, ſola manente parapoplexia.

Ventriculi cerebri, ut ante dictum, mira ſunt corpora; habent in fornice ſua medullam, in convexa parte fere corticalem ſubſtantiam: vitia ergo hic nata ſua extenſione magnos morbos producunt. Quia vero cortex communicat per annulos Williſianos ubique, vitia

tia hæc non raro, ſine magno malo, ad nervos pergunt.

Tertia ſpecies paralyſis eſt unius muſculi : longe difficilius intelligitur.

Poteſt origo mali hærere intra caput, tam quoad ſenſum, quam quoad motum. Hic terribilia exempla habentur : homo valuit eo usque recte, ſed ait Tibi, „ neſcio, quid mihi deſit ; eſt, quaſi ille digitus ſenſu careret, fieretque ſtupidus ; " ſæpe brevi poſt reliqua ſigna apoplexiam minitantia accedunt, ipſaque apoplexia. Alii aliquas contractiones percipientes tremoresque vacillant, brevi poſt incidunt in apoplexiam. Monentur talia audientes Medici, ut prophylacticam curam apoplexiæ inſtituant.

Ergo illud præcedens ſignificabat, quod incipiens malum tam parvum eſſet, ut unum modo nervulum adficeret; deinde ita auctum hoc eſt brevi tempore, ut totum cerebrum adficiat.

Sed non ſemper apoplexia inde ſequitur : praxis docet, quod aliquando ſic unus nervus, ſive ſentiens, ſive movens, adficiatur, adfectusque maneat per totam vitam ; vitio forte calloſo, vel inpenetrabili, orto in illa parte una cerebri vel cerebelli.

Stupores ſingulares, ſingulares paralyſes, oriri poſſunt ex uno muſculo ; ita, ut neque in illo muſculo, neque in ejus nervo, neque in ejus arteria venave, vitium quidquam ſit, ſed tantum in cranii uno illo loco, unde illa fibrilla nervea, ad muſculum hunc demum tendens, oriretur. Vitium porro illud in cerebro nil aliud forte eſt, quam illud non dandi motum requiſitum ad illum muſculum.

Sæpe adfecto muſculo non poſſumus dicere, hærere cauſam in cerebro, aut cortice, aut medulla oblongata, vel ſpinali ; niſi aliunde ſigna latentis vitii intueamur. V. c. nervus cruralis oritur a nervis oſſis

ſacri

ſacri & lumbaribus & etiam aliquantum ex intercoſtali: nervus ille debet digitum pedis movere; nec movet. Quia jam nervus ille magnam partem oritur ex ſpinali medulla, non poſſumus adſerere, quod cauſa vitiati nervi hæreat in medulla ſpinali. Cur non? Cruralis nervus oritur ex ſpinali medulla, hæc eſt productio oblongatæ, hæc cerebri & cerebelli; ergo poteſt illa fibrilla, quæ digitum pedis movere debuerat, nec nunc poteſt, vitiata eſſe in ipſa ſua origine ex cortice.

Verum, poteſt quoque vitio revera ſpinalis medullæ nervus ille ineptus eſſe, ſi forte ortum duxerit ex illis fibrillis nerveis, quæ, ex cortice medio ſpinalis medullæ oriundæ, conmiſcentur cum fibrillis ab enkephalo ortis.

Exempla practica multa adſunt, quibus convincimur, in una, paucisve fibrillis, vitium obtinere, intactis reliquis.

Cl. BOERHAAVIO notus fuit homo negotiis publicis deditus, alacer quidem ille vegetusque: in parapoplexiam lapſus curatur, remanente paralyſi; ſanatur & ab hac paralyſi. Manſit ad mortem usque homini id incommodi, ut amiſerit nomina vera rebus dandi facultatem. Ergo optime ſanatus a morbo parapoplectico, poſtea a paralyſi, pollens omni facultate ſentiendi & movendi, optima gaudens memoria: id unicum vitium in cerebro manſit, ut nervi linguæ & vocales, quamvis bene moti, non haberent illam determinationem ad pronuntiandum id, quod revera eſſet pronuntiandum. Unicus tantum locus vitiatus erat, cætera omnia bona: a levi fibrillula poteſt hoc pendere.

24. Nov. 1753. contigit, ut ſtrenuiſſimus belli Præfectus, quo vel a longinquo viſo tota quanta 1200 hominum cohors tremebat, media nocte ex cœna lautiori

tiori aliquantum laborans, mane plane aphonos esset dextræque genæ paralysin haberet, & linguam in dextram partem contractam; pulsum vero in sinistro carpo, brachio, humero, nullum; quamvis sanus habuisset pulsum sinistri brachii æque fortem, quam dextri. Erat porro corpus plethoricotaton.

Præter enemata, purgantia, epispastica, frictiones, collutoria acria & plures cucurbitas siccas, centum circiter unciæ sanguinis detractæ sunt primis morbi diebus, magna cum euphoria. Centum illæ unciæ sanguinis habuerunt omnes crustam summe phlogisticam. Apoplecticus non fuit, nec parapoplecticus, sed tamen mente stupidus, aliquando ridens sine causa, aliquando instar pueri flens. Septimo die mente præsentior & apyretos, cum urinis bona habentibus sedimenta, levissimaque iterum per vices perceptio pulsus in carpo sinistro.

Homo hic perdidit facultatem dandi nomina rebus: linguam novit movere in omnem partem expedite: primis diebus nil potuit dicere, nisi *ita*, hocque repetebat ad singulam rem, quam volebat exprimere. Si aliquando gesticulatione manuum, digitorum, faciei, ejus, conjicerem ego, vel uxor, vel Chirurgus militaris major, qui diu noctuque ipsi aderat & rem acu tetigeramus, exclamabat præ gaudio, & intelleximus omnes, sana illum mente gaudere.

Sed contigit, ut aliquid vellet habere, jacens in lecto, ubi nulla gesticulatione conjicere poteramus, quid esset. Rogabam, an vellet scribere mentem suam? Adnuit; sumsit chartam, atramentum, & scripsit characteribus nitidissimis, pollebat enim nitida scribendi dexteritate, verba duo nullius sensus. Id sæpius in aliis rebus tentavit & quasi tota mente adplicatus

catus, ut apte indicaret ſcribendo quæ peteret, vidimus optimas litteras, ſuis commatibus & punctis bene notatas, ſed nihil ſignificantes. Tamen ex iis, quæ mox conjiciebamus in aliis rebus, memoria videbatur vivida eſſe.

Die undecima incœpit pronuntiare nomen filii *Wilkelm*; die decima quarta aliquot verba cum bono ſenſu conjungere, ſed in plerisque tamen hæſit; ut pronuntiaret quidem aliquid, ſed non id quod eſſet. Si petere vellet *panem*, dixit *ſedem*, & audivit ipſe, quod non bene dixiſſet; repetiit, da mihi *cultrum*: ubi dixerat, ridens ſe ipſum, quod male loqueretur, iterum aliud dixit vocabulum: ſi tunc capiebamus mentem, & rogabamus, an vellet *panem*, gaudebat. Tunc incitabamus ipſum, ut ſæpius conaretur dicere *panem*; ſed ſummus ea in re labor erat. Elapſis tribus circiter menſibus ab inſultu primo, quum præter hunc defectum ſaniſſimus eſſet, robuſtus, carpento, vel equo, quotidie vectus, credidi, forſitan vi electrica poſſe aliquid in linguæ nervis mutari, ſucceſſu illo, qui cum nervis totius corporis, ipſoque proinde cum cerebro, communicatur. Ubi per decem dies continuos id eſſet factum, magno labore & quaſi titubans & balbutiens, incœpit recta adpellatione res omnes vocare, & plura verba conjungere tam apte, ut illico intelligeremus. Viennam deinde quum profectus,ego ignoro, quem exitum res habuerit. Illud porro mirum, quod me abeunte necdum pulſus, niſi admodum debilis, ita, ut vix perciperetur, in ſiniſtro brachio rediiſſet.

Porro ab initio morbi eo usque nunquam calor, aut motus in illo brachio defuit: id videtur incredibile; patebit ratio phænomeni in ſequentibus.

Manſit ergo homini illi, ſanata paralyſi, vitium forte tantum in unica plaga, in unica fibrilla cerebri; unde factum, ut a ſenſorio communi vera determinatio per organa vocis, cum mentis intentione reſpondens, dari non potuerit.

Lugduni Batavorum matrona parapoplexia correpta, curatur a ſummo BOERHAAVIO; ita, ut rem ſuam domeſticam & familiarem iterum aptiſſime adminiſtrare potuiſſet, modo noviſſet, vera rerum vocabula invenire. Dictura „voca filium meum," ajebat, „adfer ceſpites;" mox ſe colligens, dixit, „adfer mihi forcipem:" iterum aliud &c. Sic jam erat a multis retro annis.

Dum hæc conferamus cum multis aliis obſervatis, videmur concludere poſſe, ut dixi, ſingulares functiones nervorum particularium aboleri, eo, quod in primo initio, ubi commercium corpus inter mentemque incipit, aliquid mutatum ſit.

Abſolvi vitium læſi primi organi ſentientis, moventis.

Sed 2) læſio eſt a vitio ſolius nervi, haud ita in origine ſpectati, ſed in ſuo itinere.

Poteſt hoc contingere in medulla ſpinali: ſcimus enim hanc ſpinalem medullam, habere originem ab enkephalo & a cortice ſuo proprio medio.

Si ad eam vitium oriatur fibras omnes adficiens, omnes nervi infra hunc adfectum locum oriundi, erunt inutiles.

Homo ex ſcala cadens duplicato dorſo in pavimentum, videt paullo poſt ſe urina madeſcere, nec tamen ſenſerat effluere. Multi brevi pereunt gangræna inferiorum; ſed unus alterve viſus eſt aliquando ſupervixiſſe tota vita deletis functionibus genitalium, veſicæ,

inte-

inteſtini recti, femorum, crurum, pedum. Contuſio ſimul & ſemel læſerat omnem medullam ſpinalem lumbalem.

Exemplum habuit BOERHAAVE juvenis nobiliſſimi, ſapientiſſimi, cui ad ſpinam dorſi ulcus natum tandem per conmiſſuras thecæ vertebrarum introverterat ſe omnemque uſum ademerat partium ſubjectarum.

Caupo Walo Leydenſis parapolecticus cum bono capite & mente a contuſione vertebrarum colli paralyticus totus infra caput; tertia die interiit; ſed hunc caſum toties jam expoſui.

SPINA BIFIDA (huc etiam pertinet), morbus ille miſerrimus, naſci obſervatur a ſeroſa lympha inundante ſpecum vertebrarum, plerumque & enkephalon; plerumque enim qui ſpina bifida laborant, ſunt ſimul hydrokephalici. Homo hydrokephalicus apoplexia periret certo, ſi eo morbo adultus adfligeretur. Verum eſt morbus puerorum: unde, quum colluvies ſeroſa incipit naſci intra cranium, oſſa cranii extenduntur, ut locum cedant; quo fit, ut cerebrum, minus conpreſſum, poſſit ſuis uti functionibus, ſaltem utcumque. Aqua collecta ſæpe deſcendit in ſpecum vertebrarum, inter medullam piamque matrem, vel inter piam matrem & arachnoidæam, vel inter hanc & duram matrem, extenditque ita hoc cavum, ut tandem dehiscat proceſſibus ſpinoſis, jam factis bifidis; unde & morbus nomen habet. Tumor ingens tunc adparet, ſenſim major per ſeparationem ſpinarum, ab aqua extendente membranas: immo aliquando tumorem vere carneum conſpexere Medentes, dum dura mater adpareret in ſua ſubſtantia aucta. Eſt quidem hoc infortunium in totius ſpinæ longitudinis plaga quacunque obſervatum, ſed maxime ad lumbos; quum & in utero materno præcipua corporis inflexio ad lumbos fuerit, & in in-

fantibus perpetuo fedentibus & incurvis potiffima corporis flexio obfervetur ad lumbos. Sunt infantes, qui cum tali malo nafcantur; funt, qui adipifcantur deinceps; adparente primo ante tumorem macula rubra, purpurea, livefcente. Imaginatio gravidæ matris, in dorfum cadentis atque præ inquietudine manibus dorfum ibi loci contrectantis, caufa aliquando fuiffe videtur. Cadaver in hac urbe eft, in qua fpina bifida obtinuit a fexta thoracis vertebra ad os facrum usque. — Omne jam, quod infra locum talem adfectum eft, eft paralyticum.

Prognofis mali acerba eft; tumore enim non perrupto, vitam languidam poffunt per aliquot annos trahere. Scribit RUYSCHIUS, fe obfervaffe unum infantem per annum; quousque, ultra nefcimus. *Celeb.* Chirurgus Amftelædamenfis *A.* TITSING in *differt.* erudita *de fpina bifida* fcribit, fe puerum habere in cura fua, qui jam adtingeret quintum ætatis annum. Ex confilio *Cl.* ROËLL, Amftelædamenfis anatomes Profefforis, & fummi, tunc adhuc viventis, BOERHAAVII, fervabat locum femper tectum unguento defenfivo cæruleo.

Tumore vero aperto fponte, vel præpoftera arte, mors femper infequitur: nervi, cerebrum, a longa die his aquis inmerfa, dum fubita illa evacuatio fit, videntur conlabi & inpermeabilia fieri.

2) Poffunt in theca vertebrarum oriri membranarum inflammationes, fubpurationes, gangrænæ; ut in membranis ubique: hinc tumores conprimentes, effundentes, deftruentes tandem fubjectam caudam medullarem.

3) Nervi per conmiffuras vertebrarum exeuntes pulcre defenfas apophyfibus, per finuofum emiffarium deorfum fpectans, dimittuntur, expedientesque fe ex

offe

offe vaginam craffam habent, quos *nodos* vocavit apud BLASIUM SWAMMERDAMMIUS, alii *gangliones*, five *ganglia*. Nodi hi quandoque tumere poffunt, nervumque conprimere vera thlipfi. Mufculorum, hujus conpreffi nervi ramulis gaudentium, nata hac de caufa paralyfis.

4) In toto itinere fuo a caufis adjacentibus thlipfin poteft pati; v. g. ad ganglia fingula, ubi videntur nervi conmifceri, feparari, aliam ad viam duci &c.: fed & per ftenochoriam a vafis tumentibus membranæ, qua nervus, immo nervi fibrillæ, feparatim obductæ decurrunt. Callofitas in hac membrana id facit & fimilia.

Cafus in rheumaticis annofis & podagricis obfervandus; ut & in iis, qui tempore calido fub Jove frigido per noctem dormiunt; qui a motu magno fudantes validiffime, per madidas veftes, aut cadentem imbrem, cito refrigerantur: involucra nervorum hic adfici videntur.

5) Narcoticis, quorum bonos effectus fæpe fufpectos habere debemus, inprudenter datis, motus partium fenfusque abolitus vifus eft; five ore five alvo excepta fuerint: unde cautela opus.

Argentum vivum, adeo fæpe omnia mutando proficuum, funefto effectu paralyfin producit.

6) Vulnera, uftio, quid producant in nervis, vidimus in VULNERIBUS tractandis.

Itaque primo confideravimus paralyfin natam a vitio in origine nervi: deinde a vitio in decurfu nervi; jam

tertia paralyfeos caufa indaganda eft in ipfo mufculo.

V. V. Medici morbum in mufculo *ἀτονίαν* vocant, ablationem tenfionis, fimilitudine defumta ex chordis muficis, quæ, certa ratione tenfæ, ictæ refiliunt faciuntque motus elafticos, vel fonoros: nervi labefactationem hujus dixere caufam.

Sed analogia ratiocinans ex adparentibus ad non adparentia, concludit, nervum, qui ut homogeneus canalis eousque cucurrerat, jam in mufculo tantopere expandi, quanta eft proportio elementorum in mufculo.

Conftat mufculus 1) *arteria* omnibusque ex ea derivatis vafis: ergo forte arteriis omnium ferierum. Auferte hanc totam arteriam de mufculo per momentum.

Conftat 2) omnibus *venis*; quæ ex arteriis omnis generis, in mufculo latentibus, humores revehant. Auferte & hanc venam, cum omnibus fuis ramificationibus.

Conftat 3) *membrana cellulofa*, oleofa, ampullofa: interferente & innectente fefe inter omnes fibras nervofas, arterias, venas; quas omnes feparatas distinguit. Concipite & hanc ablatam effe.

Reftat 4) tunc modo id, quod a *nervo* eft; qui intrans mufculum fic dividitur, ut in omne mufculi punctum abeat; adeoque ex gracili introitu difpefcatur in multiplicatiffimos ramos. Quid fit ad ultimos hos ramulos, an coeci fint, an vero in ramulos nervis fubtilitate fimiles abeant, nefcimus: id vero, quod a nervo adfertur, *liquidum nervofum* dicunr.

Si liquida per unum mufculum mota celerius moveantur, quam per alios mufculos, oportet, ut ille mufculus magis diftendatur in fuis finibus nervofis; oportet tunc, ut magis tumeat capacitas illa nervofa in illo mufculo, quam dum effet in perfecto æquilibrio.

brio. Ergo illa cavitas expanditur σωματικῶς & mole ſua reſiſtit. Hic eſt ille τόνος muſculi V. V.; ἀτονία, quando non adeſſet, vel non ſufficienter adeſſet, illa tenſio; licet reliqua omnia adeſſent.

Cauſa in ipſis ſolidis his muſculi fibrillis eſt ſæpe nimia laxitas, aquoſitas temperamenti, qua efficitur id, ut expanſa a fluido ſolida non reagant, ut deberent: ſi non habeant vim reſiſtentem æqualem vi distendenti, atonia naſcitur & creſcit.

In facie ab aëre calido humido, laxante fibras, fit ſæpe tumor ab influente liquido in muſculum, nec valente a laxatis repelli fibris. Imbres adplicati tempore calido eo citius hoc faciunt; ut homines brevi poſt turgeant facie, genis.

Hinc ratio patet, ſecundum quam homines ad thermas mittendi ſint in paralyſi. Aquarum talium vapor, vel embroche, paralyſin incipientem mutat in reſolutionem integram, ſi atonia hæc in cauſa ſit. Sed, ſi vel obſtructio in arteriis, vel rigiditas anchylotica adſit, juvare quandoque poſſunt.

Dixi, poſſe ab arteriis obſtructis, inflammatis naſci paralyſin: ergo puto, me omnes cauſas dixiſſe, paralyſeos.

Sequitur prognoſis.

1) Quo altiori loco hæreat cauſa, eo pejor paralyſis, ut ex tribus dictis cauſis ſatis liquet: ſi muſculi oculi, faciei &c. adfecti, cauſaque non in muſculo, non in decurſu nervi, ſed in origine ad medullam hæreat; cogitate, quam proximus metus ſit, pro ipſa arce mentis. Distribuuntur in oculis, auribus, naſo, facie, lingua, tot tantique nervi, ut neceſſario metuere debeamus cerebro ipſi toti.

2) Quo inferior, eo levior plerumque, quia tot ſuperiora ſunt libera dantque ſæpe arti acceſſum; id quod in enkephalo erat inpoſſibile.

Tamen aliquando inferior locus ſuſpectus eſſe poteſt, ut adfectio non oriatur ex loco inferiori, ſed ex ipſo oriatur cranio; ut ex medullæ ſpinalis expoſitione patet: plerumque tamen cauſa hærente in cerebri hemisphærio dextro, oritur paralyſis ſiniſtri lateris; & vice verſa: ſi in utroque, paraplegia: ſi in inferiori parte cauſa lateat, paralyſis adficit partes hærentes infra cauſam hanc. Ergo eo plures partes ſuperiores ab illa labe inmunes ſunt. Tum, ut poſtea videbimus, datur ſæpius acceſſus arti in cauſam inpugnandam.

Eſt tamen in inferioribus ſæpe etiam cauſa inexpugnabilis; eo, quod cauſa pertinacior, major, remediis ſit, etſi in inferioribus hæreat; vel, quod origo hæreat in enkephalo, ita, ut pars illa inferior non accipiat nervos a cortice medullæ ſpinalis, ſed a cortice cerebri, ortos, & per thecam vertebralem ad inferiora ductos.

Immo partium a cerebro remotarum paralyſis ſæpe ita ſuſpecta, ut metum brevi adfuturæ apoplexiæ faciat.

MALPIGHIUS & RUYSCHIUS docuerunt, nervos, qui ad pulpam digitorum eant, eſſe plures numero, quam ad vicinas partes: ſi ibidem in his extremis inſolitus ſtupor oriatur, ſine cauſa manifeſta, peſſimum ſæpe præſagium eſt apoplexiæ, eſtque hoc ſignum maxime tremendum poſt adfectos faciei muſculos.

3) Omnis paralyſis primo alte hærens, dein ſenſim deſcendens, eſt melior; inmunibus jam factis arce mentis & præcipuis functionibus.

4) Paralyſis ab inferioribus ſurſum tendens, ſive languor, aut torpor, pejor eſt, denuntians futuram apoplexiam.

5) Paralyſis viſcerum thoracis, inteſtinorum, peſſima; ſcimus, quam magnam partem in his viſceribus ludant nervi intercoſtales, octavi paris & diaphragmatici; ergo his adfectis, brevi cerebello metuendum.

Nervi inteſtinorum mirum inperium habent in vitam ipſam. Vulnera meſenterii & inteſtinorum hoc docent, herniæ incarceratæ, ileus morbus, ipſa inteſtinorum inflammatio: paralyſis inteſtinorum maxime noſcitur lienteria, dum per ſolam vim reſpirationis contenta inteſtinis ſine ſenſu dimittuntur; unde in valido morbo inter ſigna futuræ mortis hæc paralyſis refertur. Idem verum de nervis magnam partem oriundis ab intercoſtali & octavo, veſicæ, uteri, inteſtini recti; quorum viſcerum ſitus, licet inferior, tamen ob cauſas dictas eorum paralyſis metum facit.

6) Paralyſis cum ablata facultate ſentiendi, peſſima: præſente paralyſi & læſa tantum movendi facultate, ſpes eſt: fibræ hæ miſtæ in nervis ſunt, quæ ad ſenſum, quæ ad motum; ab effectibus, non a demonſtrationibus, cognoſcendæ.

7) Paralyſes ſudantes, niſi curentur ſubito ſudore, exſolvuntur deſperatæ; DURETUS *p.* 368.: ſed ſi cito a ſudore vertitur in melius, ſæpe cura felix.

8) Paralyſes natæ a nimia cultura Veneris, malæ.

9) ARETÆUS *p.* 54., peſſimas vocat, quæ ex periodicis ſanguinis effluxionibus ſubpreſſis, nulla alia ſubſtituta, oriuntur.

Exitus varii conſiderandi ſunt; maxime hoc ex Primævis petendum, qui diſcere primo a natura & ab analogia debuerunt, quomodo morbi ſolvantur.

1) Adverterunt, si paralytico supervenerit statim magna febris, in summum calorem tendens, paralysin sæpe curari; qua febri magna cessante, nec juvante, incurabilem fere paralysin esse: febres porro nihil hic juvare lentas, sed validas; intermittentem fortem prodesse sæpe. Sartorem 50 annorum hemiplecticum a multis mensibus vidit BOERHAAVIUS superveniente tertiana exsilientem de lecto & negotia sua obeuntem: cessante tandem tertiana sensim & rediit paralysis. Postea tertiana rediens paralysin secundo profligavit, idque in tertiam vicem: post tertiam vicem rediit tamen paralysis & homo mortuus est paralyticus.

Sed iterum distinguendum hic in causis: si febris valida oriatur a paralysi, cujus causa inflammatio capitis, plethora faciens apoplexiam; quo febris major, eo homo interitui propior: videmus id in omnibus apoplecticis ante mortem. Sed, si a causa lenta, si cerebrum cæterum liberum, fere semper salutaris est magna febris; non toto morbi tempore, sed initio.

2) Observantur paralyses, hyeme a frigore natæ, æstate magno calore solvi.

3) Dolor magnus in parte paralytica natus (melioribus prognosticis accensendus); quamvis alioqui dolor destructionem minitans & demum fibras solvens, possit paralysin facere.

4) Observarunt, si punctura oriretur in parte, qualem esse dicimus nobis, si oblique in femur insederimus, bonum esse. Est enim similitudo quædam; primo est crus, quasi ad nos non pertineret, ergo paralyticum; dein punctura oritur & imago motus; tandem sensus dolorificus & motus restitutus est.

5) Notarunt idem de formicatione; quando homines conquererentur in parte paralytica oriri sensum

sæpe

ſæpe præſentem, ſæpe abeuntem, oberrantium veluti formicarum.

Hæc ſymptomata paralytico ſupervenientia nos docent, quod revera liber fluxus per arteriam, vel per nervum a conpreſſione liberum, fieri incipiat; quando motus quidem æqualis necdum adeſt, ſed ſi pergat, æqualis fiet motus ſanataque erit paralyſis.

6) Tremor inſolitus dat ſignum ſanationis; eſt enim motus inſufficiens, inpeditus; tamen motus inchoatus.

7) Convulſio; HIPPOCRATES & ARETÆUS obſervarunt, ſi paralyſis occuparet unam corporis partem, alteram convulſio, mortem inſtare apoplecticam; ſed, ſi parti perfecte paralyticæ deinde naſceretur convulſio, id bonum eſſe. Si vires motricis cauſæ ſubito inpellant in muſculos, convelluntur illi; qui pacate evigilat & ſe movet, non convellitur; qui vi expergiſcitur cito, fere convulſus eſt. Notat convulſio, in partem paralyticam vim motricem adplicari, ſed nervum adhuc inpervium, vel conpreſſum, eſſe: iterato ictu fit nervus aptior.

8) Diarrhææ magnæ, non ex κενεαγγείᾳ, ſed ex derivatione materiæ nervos premente, arteriasve, proficuæ viſæ; maxime, ſi cum teneſmo hæmorrhoidali.

9) Subpreſſarum periodicarum evacuationum reſtitutiones.

10) Solutio cauſæ conprimentis; bubonis v. g. vel tumoris ad axillas, poſt morbos inflammatorios nati & inducentis paralyſin cruris, brachii; bubonis venerei diuturni &c.

Hæc decem capita obſervationum maſculæ V. V. medicinæ, quibus curam ſuperſtruebant, imitando naturam; neque enim nos in tota noſtra arte quidquam aliud

aliud possidemus, quo paralysin curemus. Ad hanc naturæ imitationem me accingo.

Primo igitur maxima sanatio generalis paralyseos excitata febri facta fuit, eaque in toto vel in parte. Dixi jam antea, secludendas esse illas paralyseos species, quæ in apoplexia calida enumeratæ sunt; nempe, quæ ortæ a plethora extendente primi generis vasa & cætera conprimente; vel, quæ ortæ ab humoribus rarefactis, ut a venenis; vel, quæ natæ a nimia derivatione venosi, rubri, sanguinis in systema arteriosum, cum turbatione arteriæ primi generis: illæ etiam, quæ natæ ab inflammatione sive in capite, sive in decursu nervorum. Hæ omnes species non curantur febri, sed cura tantum illa, quæ spectat originem, unde primarius morbus oriatur: de cura autem hac actum in APOPLEXIA *calida*.

Quibus seclusis dico, paralyses chronicas, languentes, a viribus projectis ortas, curari febri nata.

Potest illa excitari semper, quamdiu in corpore debili mors nondum instat; premendo venas, concutiendo arterias, estque in artis potestate, efficere febrim, non intermittentem, & intermittentem.

Possumus hominem v. c. ponere in balneo aquæ frigidæ ad grad. 33., ut aqua modo non congelascat; si frigidius balneum volo, sumo aquam salinam.

Inmissum in tale balneum corpus horret, friget, concutitur, tremit, ut initio intermittentis; eductum exinde ac loco calido repositum, calet, sudat.

Potest ars hoc idem in parte facere, quod in toto; immo sola frictione potest febris excitari in parte, inflammatio, gangræna. Si manum prius in aquam gelidam ponam, vel nivem, tumque fricem, calebit enormiter.

Obser-

Obſervata ab ipſo usque HIPPOCRATE hactenus facta docuerunt, eo ſpem curæ majorem, quo major febris.

Videamus modos varios febres excitandi in his flaccidis, inertibus, corporibus.

1) Aër calidus, ſiccus; unde natæ hyeme paralyſes adventante tepore verno ſæpe curantur; ſin minus, ſaltem calidiſſima æſtate.

Thermæ, ſive conclavia ſulphuratis caloribus calentia, ut in regno Neapolitano habentur.

Montana regio & montanus aër, ab omni tempore commendatiſſima; unde peregrinationes per talia loca maxime juvant.

Lectus ſicciſſimus ſuper ſtoreis, ſuper herbis ſiccis aromaticis [v. g. ſumendo pro baſi filicem, addendo alias herbas aromaticas]; in cubiculo altiori, ſicco; tabulato ligneo non picto, ad parietes & lacunaria, & pavimentum, inſtructo.

Hinc toties cernimus paralyſes natas, quando homines, ſicco aëri adſueti, humidos, ſalebroſos, locos incolere cogebantur. Infantes in locis humidis, lapideis pavimentis inſtructis, educati, rachitici cernuntur & paralytici. Curatio hinc ſæpe inpoſſibilis paralyſeos & rachitidis apud plebejos; dum quippe in aëre humido, vel uliginoſo, perpetuo degunt, cætera vel optima vix juvant medicamina. (*)

2)

(*) Quantum valeat ſanitati adferre vel noxæ vel commodi aeris inpuritas, aut ab uliginoſis exhalationibus repurgatio, nuperrime denuo demonſtravit manifeſtiſſime *Cel.* HOWARD, carcerum disquiſitione phyſico-medica demonſtrationeque malo-

2) Regula pro potu sit: in paralysi tali prohibetur aquæ potus, maxime calidæ; nihil enim emollientius est: frigida concedatur pro necessitate.

Laudatur potus vini nigri, meraci, cretici; quodsi haberi nequeat, vinum canariense. Verum, quærant aliæ mundi plagæ vina ex dissitis regionibus, quibus carent, generosissima: nobis adest promptuarium fertilissimum vinis, regnum Hungaricum, quod vina habet totius fere orbis excellentissima & generosissima. *Vid. egreg.* HOFFMANNUM, *Dissert. de præstantia vinorum Hungaricorum.* Vinum dictum *capense*, sive *promontorii bonæ spei*, in Africæ meridionalis extrema ora, quod & album & rubrum habetur, de præmio decertaret forte cum optimo vino hungarico *tockayensi:*

---

malorum gravissimorum, redundantium ex perversa illorum administratione, hactenus in variis regionibus recepta, non solum de patria sua, sed de universo genere humano, optime omnino meritus: in itinere suo novissimo ne unicum quidem captivum *febri carcerum* (*Gaol-Fever*) adfectum in Anglia invenit; licet antea morbus hicce frequens adeo occurreret, totque hominibus feralis esset: manifesto sane documento, morbum illum, antea repetendum inprimis a carcerum inmunditie corruptoque prorsum, ac, ut ita dicam, in sepulcralem mutato, aëre, exsulare; quum mutata nunc, secundum principia ab egregio viro tradita, fuerint illa omnia, quæ carceres in vera morborum putridorum omnis generis seminaria redegerant. v. *Pandectas* meas *phys. med. chemicas, I. §. 1. &c. de W.*

enſi : Batavi ditiores utuntur eo vino capenſi, ut hic Magnates tockayenſi.

Inter Europæas cereviſias habetur *mumma Brunsvicenſis*, per omnes mundi plagas transportabilis ; qua nulla meracior, blandior, ſpiritus magis ligans ; ſic, ut quaſi oleum in venas fluat.

Vina talia cereviſiæque veræ cauſæ ſunt in corpore frigidiſſimo, debiliſſimo, veras febres excitantes, efficiuntque id eo certius, ſi ſimul miſceantur calida aromata indica, calida antiſcorbutica ; vim etiam durabiliorem habere obſervantur, ſi pane intincto diu maneant in ventriculo, ut illa prima officina egregie roboretur.

Juvat talibus diatheſi ad febrim nata, moderate eadem adhibere, ut ſuſtentetur modo maneatque diu hæc in febrim inclinatio.

3) Regula ad cibos ſpectat ; ab omnibus bonis auctoribus præſcribuntur carnes ; quas inter carnes avium, non aquaticarum, ſed ſylveſtrium, ferarum, montanarum, non coctarum, ſed aſſatarum ; additis, pro condimento, alliis omnibus, cæpis, porris, erucis, ſinapi, raphanis, majorana nobili, ſerpillo, thymo ; hæc aſſis carnibus inmerſa, non nimis cocta, ne vires perdant, dant nutrimentum ſummum in his malis. — Olera vix, nec horræi fructus concedantur : poma tamen & pyra adſtringentia, corna, mala cydonia, bene elixa, præſtans edulium. — Panis bene fermentatus, biscoctus, ſale & aromatibus conditus ſit. — Exulent jura carnium & ſimilia.

4) Regula balnea ſpectat : alia occaſione jam monui, nihil certi de his dici poſſe, & vel optima balnea plures peſſumdare homines, quam curare ; quia indiſcriminatim eo mittuntur omnes.

Lau-

Laudantur maxime hic ſulphurata balnea; in æſtuariis conclavibus nudi homines expoſiti tantum experiuntur calorem, ut brevi diffluant ſudoribus. Hinc ſæpe curantur in talibus locis homines cito; monet tamen DURETUS, ſi non cito curentur, eos reddi incurabiles. Qui etiam exhauſtis ſpiritibus illuc mittuntur, ſæpe ita exhauriuntur, ut reddatur morbus deſperatiſſimus. Si vero cauſa lenta, tenax, mobilis reddenda ſit, & vires ferant, egregiæ aliquando curæ fiunt.

Sudor ab arte excitatus, qua accenſi alkoholis flammæ calor nudo corpori adplicatur, projectiſſimos homines curavit; ſed, ſi non curet, exhaurit adeo, ut reddat deſperatiſſimos: unde, prima vel ſecunda vice mutatione nulla percepta, deſiſtendum eſt. Hæc de balneis illis ſiccis.

Balnea aluminoſa dicuntur vera paralyticorum balnea; alumen enim egregium adſtringens; juvant quandoque; nonnunquam nocent, quando plus ratione aquæ, quam aluminis, agunt.

Idem etiam de balneis aquoſis frigidis ſæpe metuendum; an aliquando aqua non plus humectando & diluendo poſt abſorptionem agat, quam frigore ſtringat. Sed poteſt res ſemel iterumque tentari, dum magnos febriles motus excitare volumus.

Homo æſtivo tempore ex calido aëre in locum ſubterraneum gelidum intret, exeat in externum calidum eumdem aërem, repetatque idem aliquoties; vehementer tandem ſudabit: nam fibræ conſtrictæ venoſum ſanguinem vehunt in arterias; hæ, magis intro hærentes, circuitum vehementiorem obeunt (experiuntur); cor, frequentius irritatum, propellit ſanguinem velocius, ſicque febris naſcitur.

Hinc

Hinc, in transitu, quæritur, quid cogitandum de balneo aquæ frigidæ pedum manuumque, in nimia hæmoptoë; de aqua gelida nuchæ & fronti adplicata, in nimia hæmorrhagia narium? Si posthac motus major oriatur, necesse est, fluorem arteriosi cruoris abundantiorem fieri, adeoque malum augeri.

Tamen id verum est, a gelida exhorrescere & quasi per momentum stringi, totum corpus; forte thrombus tunc incipit fieri, qui sistat cruoris effluxum. Dico *forte*; nam semper quid dubii & ancipitis hic manet.

5) Regula de frictionibus: iis acceleramus motum arteriosi sanguinis versus arteriæ finem, ex vena versus cor: utraque ratione vis vitæ acceleratur, & si in parte quadam a tumentibus nervosis tunicis oriatur paralysis, frictio egregie id dissipat.

Frictiones hæ movent musculum totum, quanti ergo usus, si quid vitii in ipso musculo hæreat? Constat enim experientia, quemlibet musculum eo magis ad paralysin accedere, quo minus moveatur; eo mobiliorem esse, cæteris paribus, quo plus moveatur.

Si a nervis metuatur orta paralysis, loca fricentur maxime illa, in quibus nervi maxime nudi hærent: ergo capiti toti superiori, faciei supra & infra oculos, ad mentum, ad tempora, aures, infra aures, ad processum mammillarem, ad specum totum vertebrarum, ad cava axillarum, inguinum, poplitum, frictiones adplicatæ tangunt nervos nudissimos, qui ad partes reliquas dein late disperguntur.

Hæ faciunt in languidissimis, in paresin veram declinantibus, dum pannis siccissimis calidis asperiusculis, vacuo ventriculo adhibentur, incredibilem nonnunquam παλιγγενεσίαν.

Fuſtigationes molles palpantes, concuſſiones, ad illa loca optimæ viſæ.

Pexus capitis, quem LOCKIUS in educatione infantum adeo commendat, concutit, movet, calefacit, & ſmegmata, aliter obſtructiones facientia, deobſtruit; ita quidem, ut, qui nimium id faciant, quandoque cerebrum nimium agile experiantur.

Licet tam egregium remedium ſit, ſolet tamen nunquam magis negligi, quam in iis, qui lenta diatheſi in apoplexiam, vel paralyſin, vel kephalæas, laborant; capitis vel minimum motum formidant & putant hallucinari Medicum, dum jubet quotidie illam capitis denudationem, fricationem, pexum. Amant potius, miſerum caput intra cruſtam tectum omni perſpiratione carere.

Referebantur huc cucurbitæ ſiccæ, quibus pro libitu facimus inflammationes in partibus. Bini juvenes, qui (in noſocomio practico) a colica Pictonum curati ſunt, habuere una vice 37 cucurbitas ſimul adplicatas, ſicque per menſem cum illis actum. Fiunt hinc derivationes humorum ex vaſis in vaſa: trahuntur ex truncis in ramos minimos, etiam in vaſa aliena: ſi ſimul ſcarificentur, inpeditur, ne materies introhærens noceat, ſed exeat. Videtis, quam non inane dixerim, perpetuas febres excitandi facultatem poſſidere Medicos.

Referri huc V. V. inſtitutum meretur, quo picis ſimplicis emplaſtrum cuti probe frictæ adplicarunt. Scitis, quam firmiter adhæreat: ſubito tunc illud avellentes inflammationes magnosque inerti in parte motus, excitabant.

Dropaces adplicabant a cervice ad finem oſſis ſacri 3, 4 digitos latas, relictas aliquamdiu avellebant, mutatione nervorum aliquando incredibili.

Seta-

Setacea adacta per cutim & panniculum adipoſum tracta hinc inde quotidie concuſſiones & inflammationes faciunt. PARÆUS, HILDANUS mira inde perpetrata narrant. Indomabilem & annoſam kephalæam RUYSCHIUS tertio ſic curavit. In armentis aliisque brutis egregii uſus eſſe invenere equiſones. Fluxum magnum facit irritatione ſua in illa, digitum ſæpe craſſa, ſubſtantia colli. V. V., immo poſterioris ævi Ægyptii, hodierni Japonenſes, inuſtiones per linum, vel per moxam, quæ eſt ſpecies artemiſiæ, adhibent.

Bene HIPPOCRATES dixit, quæ ferrum non ſanat, ſanat ignis. Inſanabiles coxarum dolores, inuſtio profunda talis ad coxam ſanavit; imitamur a longe hoc veſicantibus ex cantharidibus.

Referuntur huc illa omnia, quæ ad ſinapiſmos & dropaces adplicabantur, ranunculi varii, raphani, ſinapi: tandem flagellabant V. V. partes paralyticas urticis, unde calor, ardor, febris: hæc titulo mechanicorum remediorum laudabantur.

Dum ſapientiſſimi majores noſtri ſic rem direxerant omnem quoad aërem, victum & externa medicamenta, interna quoque præſcripſerunt; talia nempe, quæ idem efficerent, quæ illa externa.

Omnia medicamenta hæc erant compoſita ex iis ſimplicibus, quæ ſale & oleo multo abundarent; quæ ore maſticatæ copioſam producerent ſalivam, & ſi nimia copia exhiberentur, fauces exurerent.

Abrotanum, abſinthium, acorus ſeu calamus aromaticus, ageratum, ſempervivum vermiculare, aliter ſedum, aut piper murorum dictum, talia ſunt: hac ultima herba textor empiricus in Hollandia plures curavit; ſed ſimul, quia vires arcani ſui, inſtar euphorbii urentes, ignorabat, multis nocuit, qui tam acribus ferendis non erant.

Ad hanc classem quoque referenda alliaria, hespe. ris dicta MORISSONO, scorodones Græcorum, sive scordia, & allia; aloë; ambrosia, sive botrys; semina ammi, anisi; arum; atriplex fœtida; balsamita major & minor; calamintha; caltha; camphora; canella; capsicum, seu piper indicum; cardamoma varia; caryophylli; cæpæ, quæ fractæ mox sal vere volatile alkalinum oleosum exhibent, ut quandoque ferri non possit; asa fœtida; guayacum; ammoniacum; galbanum; opopanax; sagapenum; gumm. anime; benzoë; myrrha; lavandula; majorana; marum syriacum; origana omnia; pulegium; rosmarinus; ruta; salvia; santala; sassafras; serpillum; thymus: ex his omnibus parabant infusa, vina medicata, pilulas, conservas, spiritus destillatos oleaque.

Animalia multa quoque dedere remedia: castoreum ab omni ævo, ut apud ARETÆUM videri potest, in paralysi clarum; moschus odoris adeo penetrabilis & perennis, ut observatum sit, mercatorum ædes per quadraginta annos adhuc moschum redoluisse, postquam ædes illas evacuarant. Omnes animalium spiritus & olea volatilia; ne formicis quidem exceptis: omnia hæc titulo spirituum, salium volatilium oleosorum animalium, sunt præstantissima.

HELMONTIUS, PARACELSUS, BOYLEUS, magni faciunt spiritum sanguinis humani; alii sanguinis bubuli; alii spiritum ungulæ equinæ, vel cornu cervi, vel serici bombycum; sed non videmus alterum præ altero præstare.

Guttulæ GODARDI erant famosissimæ ante centum annos in Anglia, indeque per Europam. CAROLUS II. Angliæ Rex emit arcanum a vidua GODARDI: nihil erat quam illud cornu ductile quod bombyces ducunt titulo serici; dum in corpore vermis adhuc inclu-

sum

ſum hæret in proprio ſacculo, ſuccum aurei fere coloris referens. Dat hoc ſericum incredibilem copiam ſpiritus, ſalis, olei.

Confecere idem remedium ex pilis humanis, pilis omnium animalium, unguibus, cornibus, immo ex omnibus inſectis, papilionibus, avibus, piſcibus, amphibiis; hominum denique, equorum, vaccarum, urinis: perinde eſt, quodnam ſumatis.

Talia miſta cum unguentis in frictionibus externis ſæpe mira præſtant.

Curam primam in hoc noſocomio inſtituam hoc modo. Viſcera digeſtionis primæ purgabimus primo per aloën, myrrham, ſagapenum, deterſisque a pituita illis dabo drachmam unam talis ſpiritus in unciis tribus, quatuor, aquæ ſtillatitiæ rutæ, ægro hærente adhuc in lecto, ſummo mane; ſuperbibendo infuſum rutæ, vel ſantalorum, vel ſaſſafras: tum fricabimus tali unguento, vel aliquando etiam ſpiritu ipſo, pannis laneis excepto.

Cantharides ipſæ totæ quantæ adhibitæ fuere. Tinctura hinc parata a BARTHOLINO aliisque & decantata in gonorrhæis; ſæpe nimia violentia pollere in corpore humano viſa eſt; unde eam vix commendare auſim pro uſu interno.

Coccionella, unde color ſcarlatinus paratur, præbet tincturam ſapore ſubacri, ſubcalefaciente, inſtructam.

Formicæ tritæ dant odorem mire penetrantem & tincturæ inter ſumme incitantia numerantur.

Sed vix notiora hoc ſub reſpectu inſecta, quam millepedes; habent uſum primarium in morbis oculorum, ubi ſine cauſa manifeſta incipit oculus opacari; unde hallucinatio in viſu naſcitur.

Si prima die quinque, fecunda decem, tertia quindecim, & fic adfcendendo ad quinquaginta usque, cum vino conterantur & expreffus fuccus ad uncias tres quotidie exhibeatur, miracula fere aliquando præftat.

Brevi ante exitum meum ex patria fic integre, & magno urbis adplaufu curavi primarium ac famofum horolopegum Hagæ-Batavorum, Lambertum Vrythoff, qui ab annis aliquot his oculorum incommodis laborans cum continua lippitudine, tandem meam opem inplorabat. Dum melius fe habere deprehenderet tertia feptimana & ex guftu remedii aliquid conjiceret, voluit a me fcire, qualenam effet, quo uteretur, remedium? Ajebat, faporem effe veluti locuftarum, feu fquillarum marinarum coctarum, quæ Batavorum in bellariis deliciæ; fubfalfum nempe faporem effe, fubnitrofum; fe olim juvenem in Limburgica provincia, unde oriundus erat, eadem tenebricofitate oculorum laboraffe, & quum mater fruftra omnium opem exploraffet, fe ab eadem traditum fuiffe fagæ, quæ multos homines ab adfectionibus oculorum curabat: exceptum fe ab illa faga in ejus ædibus, ibi millepedes potaffe & fimul comediffe: poftea vero fe vifum egregium habuiffe. Quum itaque ex fapore remedii conjiciebat, millepedes ineffe, rogabat veniam, crudos eos comedendi cum pane, ut in juventute, quum fibi tam bene fapuiffent & tam miraculofe profuiffent. Conceffi, ufus eft crudis, belliffimeque convaluit.

Hæc in oculorum malis dictis; fed ubique in paralyfi, ubi adeft mucofa diathefis, diffolvit, dividit, adtenuat, valide hoc remedium.

Rariffimi funt, qui fic crudos millepedes comederent, ego faltem agerem gratias; rari etiam, qui hoc remedio uti volunt gnari; hinc bene tegendum eft; fed difficultas eft, unde habeantur; nifi Pharmacopœi

fic

ſic velint parare, ut ponant lapidem magnum, nudum ſolum ſub ſe non nimis conprimentem, eumque bene tegant; poſt aliquot dies vix rimam invenient in propinquo ad locum illum muro, ubi nunquam antea adfuerant, quin nunc adſint, vix patulum lignum, quin inſint. Sed tunc omni die recens parandum remedium & diu continuandum; unde tenuioris ſortis hominibus minus convenit. Subſtituere ſoleo pulverem millepedum, ſed longe invalidiorem ſucco ipſo reperio: odor tritarum habet quid urinoſi, ſubſalſi, quod vino & ſyrupo emendatur.

Paralyticum caſu ſanatum referunt ope inflammationis excitatæ apum aculeis; periculoſum cæterum remedium, quum ſumma inflammatio, delirium & mors inde viſa. Sed, ſi paucæ apes tantum pungant, ſi tantum tres, ut animadverterat SWAMMERDAMMIUS, faciunt febrim. Refero tantum, ut pateſcat, quam verum ſit, aucto motu & febri lentam curari paralyſin.

Piſcatores marini nos aliquid aliud docuerunt. Eſt inſectum marinum, urticæ marinæ ſpecies, *v.* RONDELETIUM, *p.* 532., quaſi ſquammis gelatinoſis conſtans, calore per manus diffluens. Putatur eſſe informis maſſa, ſed revera eſt animal mirum, radiis emiſſibilibus ejaculatis nocens. Loquutus fui cum iis, qui experti erant; ardor quaſi igneus oritur in parte, quam tetigit; ita, ut ſi paullo majori loco adplicetur, hoc quaſi venenum febres faciat cum delirio. Piſcatores gnari hujus, languidis, paralyticis partibus adplicant & curant aliquando. Ait RONDELETIUS: „ pruritum in pudendis & uredinem in manibus & oculis movent, atque acrimonia ſua Venerem ſopitam, vel exſtinctam, excitant. "

Atque hæc ſufficiant de remediis petitis ex regno animali.

Pauca petuntur ex regno fossili. Alumen sic dictum plumosum officinarum, cuti adplicatum cum farina, pruritum facit intolerabilem caloremque & habetur propterea inter summa remedia ad artus segnes excitandos. Si nimis ageret, solatio erit unguent. nutrit. cum succo citri.

Oleum succini, usu interno sumtum, externe cum unguentis parti paralyticæ adplicatum, miros, eosdemque sæpe salutares motus excitat; quales effectus & sal succini edit. Si oleum succini cum sale hoc uniatur, habetur sal volatile oleosum, acidum, ut habetur sal volatile oleosum alkalinum Sylvii. Sal succini sat magna copia pilulis addi potest, & egregia præstat.

Hac ratione vidimus curari paralysin modis jam septem; febri, calore, dolore, punctura, formicatione, tremore & concussione ac quadam veluti excitata convulsione.

Sed & per diarrhœam spontaneam curatam constat paralysin; quæ, quia debilitat, videtur causam augere mali, adeoque nocere. Tamen dico Vobis, non Medicos, sed naturam, per diarrhœas primo curasse paralysin, ejus vero imitatione Medicos quandoque felices fuisse. Ut autem hoc quasi paradoxon intelligamus, rem repetamus paullo altius.

Constat, nullam in corpore nostro dari partem, quin habeat nervum; vix ullum etiam nervum certa quadam ratione adfici posse, quin totum corpus in omnibus suis partibus inde moveatur idque tam mirifice, ut homo per nervum adtactum fiat uno momento omnino alius ab eo, qui prius fuerat. Ictus apum, morsus viperæ, plurimæque aliæ instantiæ, passim occurrentes, rem demonstrant ad oculum.

Videtis hinc mecum, quod corpus per omnes ſuas partes ſic factum ſit, ut ne minima mutatio, ſive in ſolidis, ſive in fluidis, ſive in utriſque contingat in unica plaga, quæ ſimul non poſſit mutare totum & integrum.

Quum ergo nulli nervi in corpore noſtro ſuas mutationes magis communicent, quam circa ventriculum, inteſtina, meſenterium; præſagitis, quodſi apis, vel vipera, ibi morderet loci, produceret adhuc aliquid plus, quam in digito: toties enim jam vidimus, quid nuda adplicatio opii, napelli &c., ad nervos ventriculi faceret; quæ omnia nata ſymptomata, dum illa emetico expulſa eſſent (cito ſatis, ac antequam malorum ſyndrome nimium increverit, aut debilitatus nimis fuerit homo) ceſſabant.

BOYLEUS, libr. *de uſu Philoſ. natural.* &c. narrat, Chemicum empiricum fuiſſe, qui homini binis cataractis laboranti porrexerat pulviſculum ſternutatorium [conſtantem paucis granis turbith mineralis]. Vix elapſa hora totus quaſi convellitur homo; caput tumet; buccæ, naſus, oculi, inflantur; oriuntur anxietas, nauſea, vomitus, tormina alvi, dyſenteria; ſudor manat toto corpore; ſalivæ profluvium per dies durans. Ergo adplicatio facta ad nudum fere cerebrum, nihil in ſolidis fluidiſque intactum reliquit.

Sufficiat, vidiſſe, quomodo ratione nervorum facti ſimus, hæcque edocti intelligere aliquomodo poterimus, quî agant purgantia, quî agant ventriculo excepta & inteſtinis helleborus uterque, mechoacanna, ſenna, gialappa, euphorbium, ſcammoneum; eſula &c.; quomodo hæc agant, fundendo ita humores, ut coërceri vaſis ultra nequeant & corpore effluere debeant?

Fuit ſic ſceleratis hominibus nota hæc vis fundens ſcammonei, dum doſi lenta clanculum miſcuerunt illud

alimentis, ut per fœtidam diarrhœam demum homo periret. (*)

Præter vim hanc fundentem agit ſcammoneum vi movente fuſos humores eosdemque tam valide educente, ut cerebro deſtituto efficiant animi deliquia.

Adſumtis talibus purgantibus nihil homo primo quadrante horæ, vel prima ſemihora, ſentit; ſed paullo poſt experitur nauſeas, horripilationes, ſitim, calorem moleſtum, pulſum febrilem, & dein expulſionem, durantibus his ſymptomatibus. Hæc nexu individuo juncta ſunt cum purgantibus hujus generis: neque vero ſolum ſic agunt, dum interne ſumuntur, ſed etiam, dum adplicantur externe. Docet id vis unguenti de arthanita, umbilico & ventri infantum adplicati. Immo pertractatio multa & tritus (volitans inprimis ſub contuſione pulvis) ſcammonei, aloës, colocynthidis &c. aliquando efficit eadem in Mercatorum, aut Pharmacopœorum, famulis.

Hydragoga vocantur talia purgantia, quia materies alvo educta aquam refert,

Ergo diarrhœas poſſumus excitare, ſi indicentur, ut natura per ſe fecerat.

Mo-

(*) Illa tamen vis fundens ſiſti poteſt uno momento; ſi enim nimium operetur ſcammoneum, vel ſimilia talia fundentia medicamenta, potet homo acetum, vel aquam cum ſpiritu ſulphuris per campanam. — Hinc emendare voluerunt vim ſcammonei, tenendo illud in charta ſupra fumum ſulphuris accenſi, atque tunc *diagrydium ſulphuratum* vocaverunt. Si nimis diu teneatur ſuper hoc fumo, vis ita enervatur, ut iners fiat. *de* H.

Motus horum tantus esse potest, ut exhauriatur totum corpus, tuncque advertitur inmensa sitis.

Tamen indicantur talia, ubi mucosi humores vaginas tendinum & nervorum nimis obpleverint.

Aloë, pituitam potenter solvens, educens, hic quoque memoranda; tot pilularum aliorumque purgantium basis; mire ecbolica & hæmorrhoides excitans.

Classem hanc ingrediuntur quoque cataputia, esula, & omnia tithymalorum genera. *Martinus* RULANDUS, empiricus famosissimus, mira quandoque præstitit in chronicis inveteratis succum esulæ prudenter dando: *prudenter*, inquam; nam aliter vi tam virulenta solvit una die hominem ita, ut contabescat. Hinc RULANDUS dabat cum cremore, vel crystallis, tartari. Actio nimia aceto, mele, saccharo, aqua, mitigatur.

Colocynthis, cucumis generis prorsum mirabilis, eodem modo agit. Cicurari dicunt mucilagine; inde, mutato nomine in arabicum, *trochisci* nascuntur *alhandal*. Si nimis agant, vina acida, acetum, aqua cum spiritu sulphuris, nitri, vel salis, sedant.

Elaterium, sive cucumis asininus, idem facit; in hydrope palmarium remedium, *v.* LISTERUM *de hydrope*. SYDENHAM, tentatis omnibus, ait, elaterio nihil posse conparari. Non veterascit, sed vim eamdem obtinet servatum per sæculum.

Gialappa idem præstat.

De Helleboro non dicam: usus fui nigro in maniaco: sed, an bonus non erat helleborus, an meticulosior ego in dosi? Nihil efficiebat. Veram etiam parandi methodum HIPPOCRATIS ignoramus. Quid, si ipsum helleborum *Hippocraticum*, sive veratrum, ignoremus?

Gutta,

Gutta, vel gummi, gamba, vel cambogia, ex arbore ingenti Indiæ orientalis, maxime in ditissima insula Ceylon, flavo colore, sapore nauseoso, effectu summo. Sunt tamen, qui adsuescant. Vidi obstetricem obesam, annosam, quæ ter, quater, in anno duplam dosin sumeret, & sine ullis turbis aquosissimam alvum haberet. Sed rari sunt, qui ita ferant.

Demum, si paralysis recens ab aliquo morbo capitis, ad apoplexiam accedente, orta, juvat hæmorrhagia narium, quia directe liberat cerebrum. RUYSCHIUS semper invenit, materiem carotidi injectam exire in cava narium.

Si malum a tumore ad axillas, ad inguina; salus nulla, nisi ablatis illis arte chirurgica.

Sequuntur ad finem hujus capitis formulæ talium purgantium drasticorum magis, de quibus antea dictum.

℞. Aloës lotæ gr. ix.
mercur. dulc. gr. viij.
trochisc. alhand. gr. iij.
M. f. pil. ix. summo mane sumendæ.

℞. Rad. gialapp. rec. gr. xxxvj.
mercur. pp. alb. gr. ij.
sacchar. gr. vj.
M. f. pulvis; facit plus, quam formula præcedens.

℞. Scammon. gr. x.
succ. inspissat. esulæ gr. ij.
sacchar. gr. v.
probe inter se mista adde conservæ rosar. pallidar. q. s., ut fiat bolus.

℞. Gumm. gamb. gr. iij.
resin. gialapp. gr. vij.
sacchar. alb. gr. xx.

bene

bene tritis adde

spirit. citrei ℥ß. M.

Sed hæc & similia caute danda, &, si nimis agant, mox acidis cicuranda.

XVII. INCUBUS.

Si in somno oriatur summa respirandi difficultas, vox præpedita, & totius corporis inmobilitas, cum idea rei graviter & prementis & suffocantis, INCUBUS, seu EPHIALTES, adesse dicitur.

Occupare animadvertitur homines, qui dorso solent incumbere dormientes; capite non elevatius, sed in eadem linea horizontali cum toto corpore, vel declivius, posito: maxime, si intestina & ventriculus alimentis crassis, difficulter digerendis ac potissimum flatulentis, rarioreque egestione, laborant.

Unde FORESTUS & SENNERTUS his hominibus consilium dant, adsciscendi sibi socium contubernalem, qui statim ac gemitus & suspiria incipiant, illos in alterutrum latus convertat.

Videndum nunc, quid fiat, dum homo sic jacet dormiens.

1) Diaphragma, a visceribus abdominalibus liberum in situ erectiori, in hoc situ maxime ab iisdem visceribus conprimitur.

2) Aorta quoque hac ratione conprimitur ab incumbentibus his iisdem visceribus.

3) Cavum thoracis inminuitur truso sursum diaphragmate; ergo cor, pulmones, quoque arctantur; respiratio minus libera fit. (*)

4)

(*) Aliquomodo hoc in omnibus fit, sine molestia; nam homo sanus placide in somno respirat: sed, si

4) Sinus laterales, receptacula magna, venoſa, robuſta, figuræ triangularis; ex ſinu longitudinali orta ad occiput, in ſtatu corporis erecto leniter deſcendendo, ſigni circumflexi accentus Græcorum in modum, decurrentia per duram matrem in anteriora, cerebrum inter ac cerebellum, donec in ſaccum venæ jugularis ſe exonerent; jam capite horizontali, vel & declivi, eorum, qui incubo laborant, adſcendere debent: vel potius ſanguis venoſus, ex enkephalo redux, in hoc ſitu capitis debet nunc adſcendere verſus venas jugulares, ſitas in jugulo; occipite elevatius nunc poſito.

Demonſtratum porro in hydroſtaticis & mechanicis 1) omne fluidum cæteris paribus eo majorem reſiſtentiam experiri, quo in perpendiculum magis fluere cogitur; 2) omne fluidum nec accelerari, nec retardari, ſuo in motu, quod horizontalem lineam in ſuo fluxu adfectat; 3) omne fluidum in motu accelerari ea proportione, qua ab horizontali fluore jam declivius fluit.

5) Arteriæ vertebrales ex ſuperiori parte ſubclaviarum porrectæ ſtatim inter foramina lateralia ſeptem vertebrarum cervicis receptæ, defenſæ, recto itinere delatæ, involucro membranoſo vaginali munitæ, ramoſæ, ubi ex vertebrarum foraminibus emerſerunt, ſtatim ſub proceſſu ſuperiori primæ vertebræ retroflexu incurvatæ, ibique latiores factæ, per magnum foramen occipitis ingreſſæ, depoſita craſſiori membrana unitæ, ubi longe

---

ſi multæ fæces in craſſis, multa materies indigeſtilis in ventriculo & inteſtinis, ſi præterea multo flatu hæc turgeant, ita fit. *de* H.

longe capaciores, quam antea, deinde carotidibus junctæ, ſtatim mire dividuntur.

6) Arteriæ carotides, rectiſſimo itinere cranium petentes, canali oſſeo muniuntur, ingredientes cranium, & incurvantur antrorſum.

Quum in ephialticis caput ponatur in eadem linea horizontali cum toto corpore, vel declivius; manifeſtum eſt, & collum poni vel horizontaliter, vel ſic, ut verſus caput declinet.

Sanguis igitur per arterias carotides & vertebrales vel deſcendit, vel horizontaliter fluit.

7) Venæ jugulares internæ oriuntur ex ſacco jugulari, in quem ſinus lateralis ſe exonerat. Ergo ſanguis ex ſinu longitudinali ingreſſus in ſinus laterales & *No.* 4 conſideratus tanquam jam adſcendere coactus, etiam nunc *No.* 6 debebit vel adſcendere, vel ſaltem horizontaliter ferri.

Habemus ergo ſanguinem arterioſum 1) inpeditum verſus inferiora; 2) ſanguinem arterioſum expeditius petentem cerebrum; 3) ſanguinem venoſum ægrius refluentem ex cranio verſus cor.

8) Jungamus huic conſtitutioni, his paragraphis ſeptem expoſitæ, ventriculo indigeſtibilibus, ſive abundantioribus, alimentis onuſto in cœna, hominem illico lectum petere; videmus illico cerebrum multo ſanguine obrui.

9) In corpore quidem toto, maxime vero in enkephalo, omnia ſunt plena; ut nil plus juſto in eodem locari queat; ut toties in apoplexia vidimus.

10) Tamen enkephalon recipit ſanguinem arterioſum copioſiorem & ægrius dimittit venoſum.

11) Sinus laterales ægerrime ſe a ſanguine venoſo exonerantes in jugulares venas internas, faciunt reſiſtentiam ſanguini venoſo, qui ex ſinubus longitudinalibus

ſe

ſe exonerat fere perpendiculariter in ſinus laterales, vel ſinum lateralem; nam MORGAGNI inter quatuordecim cadavera invenit decem, in quibus ſinus longitudinales ſe in unum modo ſinum lateralem evacuabant, & alter ſinus lateralis oriebatur tantum ex priori laterali, in quem ſe exoneraverat ſinus longitudinalis.

12) Ergo venoſus ſanguis ab enkephalo redux inpeditur fluere in ſinum longitudinalem.

13) Ergo totum enkephalon nimio cruore replebitur.

14) Ergo ſinus longitudinales & laterales copioſo cruore diſtendentur; ergo & conprimet cerebrum cerebellumque.

15) Ventriculus quartus cerebri inter cerebellum & medullam oblongatam interjacet; hinc, ubi homo occipiti incumbit, magis in profundo ponitur, quam reliqui in cerebro ventriculi, & quam ipſum infundibulum. Ergo ille ventriculus quartus, extendendo ſe, cerebellum, medullam oblongatam, quibus ille interjacet, premet.

16) Conpreſſo cerebro cerebelloque ſpirituum ſecretio turbatur, inpeditur.

17) Nervorum par vagum, variis fibrillis mox per arachnoidem junctis ad medullam oblongatam a latere eminentiæ olivaris utrinque ortum, cum ſpinali acceſſorio Williſii per foramen, quod ſimul venæ jugularis truncum, minoremque art. ſoporalis ramum admittit, juxta ſinus laterales cranio egreditur; a latere laryngis & aſperæ arteriæ in collo inter venam jugularem internam & carotidem repit, per ſubſtantiam celluloſam cum his vaſis cohærens, donec thoracem, arteriam inter & venam ſubclaviam, intret.

Videamus ejus diviſiones:

1)

1) Ubi e cranio emerſit, dat varios, eosque valde notabiles, nervos, & primo quidem ſic dictum lingualem, qui ſtylogloſſi muſculi comes baſi linguæ inſeritur. — 2) Dat ramum laryngæum, inter os hyoideum & cartilaginem thyroidem decurrentem, juxta laryngem procedentem &, emiſſis ad loca vicina ſurculis, laryngem intrantem, ibique abſumtum. — 3) In thorace dat utrinque recurrentem, juxta aſperam arteriam decurrentem, ad gland. thyroideam, muſculos laryngis, pharyngis & œſophagi, pertinentem. Hunc *vocalem* ab officio dixerunt; ramum in principio ſæpe ad cor emittit ac adſurgens cum laryngæo communicat. Peculiaris obſervatur recurrentis ſiniſtri juxta angulum aortæ flexio, dextri quoque, veluti ad trochleæ rotulam, circa ejusdem lateris ſubclaviam revolutio. Quæſo, ut hanc utriusque recurrentis circumflexionem, pro doctrina inde elicienda, notare velitis. — 4) Datis recurrentibus truncus deſcendit, pone primos ramos aſperæ arteriæ; ibi in duos ramos abit, iterum coëuntes; atque ſic formata inſula in duos, ſæpe tres, ramos dividitur. Hic vero rami multi naſcuntur, quos *pneumonicos* vocant, quique bronchiis ſe jungentes per pulmonem distribuuntur. — Circa eumdem fere locum nervi cardiaci originem habent; qui, quoniam plurimi ſunt, *plexus cardiaci* vocantur. — Deſcendentes ulterius octavi paris nervi œſophago ſe jungunt a parte poſteriori; ubi inter ſe communicant, donec, ad diaphragma pertingentes, intra abdomen penetrent; ubi ſiniſter ad ventriculi partem anteriorem & ſuperiorem, dexter ad ſuperiorem & poſteriorem, deſinit; præterquam quod dexter ramos etiam hepati det; unde rami quidam ad duodenum excurrunt. *V.* Eustach. *T. XVIII. fig.* 2.

18) Par nonum, five linguale, a medulla oblongata tribus vel quatuor fibrillis, mox coëuntibus, inter eminentiam olivarem & pyramidalem natum, per foramen decimum prope marginem magni foraminis exit: *v. Ofteolog.* ALBIN. §. 67. — Procedit incurvo ductu antrorfum, deorfum, fatis profunde; nullos in principio ramos exhibens: dein vero totum in ramos abit, quibus partibus fubmaxillaribus inferitur; quod fupereft anteriorem partem linguæ intrat. Antequam vero ad linguam pervenit, dat infignem ramum defcendentem.

19) Initia ergo nervorum 8 & 9 paris in ephialticis conprimuntur: ut enim ventriculus quartus, fic quoque arteriæ vertebrales, inmodice distenduntur; utrisque autem vicina funt initia 8 & 9 paris. *V.* LOWER *de cord. c. 2. p.* 163., RUYSCH. *Epift. anat.* *XII. tab.* 13., WILLIS *Anat. cerebr. fig.* I.

Distenfio in art. vertebrali forte minus notabilis eft, quo loco theca offea coërcetur; ubi autem ad medullam oblongatam decurrit, non tantum refiftentia ex hac caufa fublata eft, fed & ob depofitam, nifi malis extenuatam, membranam craffiorem, minus ibi refiftit. Memorabile quoque, quod distenta fic magis arteria, conpreffio omnis redundare debeat in molliffima & pulpofa horum nervorum principia; *v. Inftit.* BOERHAAVII, §. 281.; ab averfa enim parte durum & cedere nefcium os adeft.

Cl. de MOOR, *Patholog. cerebr. p.* 563., putat etiam, lobos anteriores cerebri, qui capite erecto lacunari orbitarum oculorum incumbunt, reclinato capite gravitate fua niti verfus cerebellum & medullam oblongatam; ita, ut femper naturalis quædam hic conpreffio effet in fomno, capite admodum reclinato.

20)

20) Nervus octavi paris in ephialte conprimitur in progressu suo variis locis: adjacet enim 1) sinubus lateralibus; 2) sacco jugulari; 3) art. carotidis ramo; 4) carotidibus deinde & jugularibus; 5) venæ subclaviæ; 6) diaphragmati; 7) ventriculo. Recurrentes vero nervi aortæ & subclaviæ adjacent & circumvolvuntur. — Porro omnia vasa magna, hic enumerata, insigniter tumere in incubo, supra demonstratum est: ergo & nervi paris octavi variis in locis conprimentur.

21) Pulmonis ergo motus, ab 8 pari pendens, vel cessat, vel læditur, in incubo. Nervos autem hos motui potissimum inservire, docet indolentia pulmonis in valida ejus læsione; parum igitur ad sensum, plurimum ad motum, faciunt ejus nervi.

22) Ergo respiratio in ephialticis plurimum læditur,

23) eamdemque ob causam cordis languebit motus, & si simul cordis tremor & sudores frigidi in incubo oboriantur, posset adfectio hæc periculosa esse: sed plerumque eo usque non venit.

24) Probabile videtur, intercostalem nervum quoque conprimi, in exitu suo, a carotide distenta; quia per idem foramen, quo carotis interna admittitur, egressus, plexum cervicalem utrinque constituit, ac dein visceribus prospicit vitalibus. Ita, ut & hac de causa possit vis cordis, & pulmonum, & respirationis, multum lædi.

25) Ut par 8, ita & recurrentes, ejus propagines, in incubo conprimuntur; ergo vox perit. Ait VESALIUS *l.* 7. *c.* 19. *p.* 571., „ligatis, vel abscissis, nervis recurrentibus, vox perit; soluta iterum ligatura, redit.“

26) Conprimuntur porro; in origine & decursu nervi paris octavi, antequam dent recurrentes; recurrentes circumflexi circum angulum aortæ & subclaviam arteriam, conprimuntur ab his vasis; jam, ut demonstratum, nimia cruoris copia turgentibus.

27) Nervus laryngæus, ab 8 pari oriundus, similiter in suo officio deficit: ergo ratio eo clarior vocis intermissæ.

28) Vidimus antea, conprimi & par 9; ergo & lingua, cujus motus ad vocem formandam necessarius, motu fere carebit, conpresso pari octavo & nono.

Restat examinandum, unde mira tot ac tanta sibi fingere queant homines in hoc incubo?

Minus miramur, considerantes, quod vulgus hominum omnia, quæ non intelligit, vel quæ minus a doctis intelligi audit, soleat caussis tribuere majoribus; ut in epilepsia, convulsione &c. patet. Quum etiam omnes fateantur, sibi aliquid quasi incumbere, non mirum, quod diabolum, aut spectrum, fingant. Alii etiam id putant esse, quod potissimum cogitant de die: sic mercator apud ETTMÜLLERUM merces suas esse putabat.

Curatio requirit

1) venæ sectionem, eamque iteratam; ut vasa minus repleta minus obplere caput queant.

2) Laxus sit venter, ne aortæ inferiores rami premantur.

3) Decubitus capite semper elatiori fiat, sicque sit directus, ut homo non facile decidat de pulvinari.

4) Adsuefaciat ephialticus, in alterutrum latus dormire.

5) Caveat a cœna lauta & rebus indigestibilibus.

6)

6) Moneantur, qui eodem in lecto, vel cubiculo dormiunt, ut ad primos auditos gemitus corpus talis hominis in latus inclinent; mox enim cessare solet.

Animadvertimus porro, diathesin sensim nasci in his hominibus, ut frequentius laborent, si semper ita declivi & supino capite dormiant: vasa enim sensim elongantur (distenduntur), nec se iterum ita contrahunt; unde naturaliter plus inplentur.

Hactenus de MORBIS CAPITIS *ac* NERVORUM.

*   *
   *

Pauca modo, (HAENIUS ait ad finem SYMPTOMATOLOGIÆ, ubi doctrinæ *de* MORBIS TACTUS expositionem quorumdam textuum *Hippocraticorum* circa mutationes colorum in morbis, quam SEMEIOTICÆ reservavi, subjunxerat), ex ingenti HIPPOCRATE Vobis adferre volui, ut videretis, quid sit *Medicina.* Officii enim mei pars maxima est, omnia, quæ in humano corpore, universisque ac singulis ejus partibus observari dantur, unice ad morbos cognoscendos & curandos adplicare, ut firmi in *praxi* exercenda evaderetis; vestigiis *Hippocraticis* presse insistentes.

Conatus idem fui efficere per totum hunc Pathologiæ decursum. Neque unquam vel ipsa *Pathologiæ elementa* sterili oratione explicui; at vero semper quadam ad praxin relatione.

Sic primo in genere Vobis explicui, quid per ACTIONES VITALES, ANIMALES, NATURALES, intelligeretur; id erat, ut ex his, vario gradu læsis, varium cujusque morbi gradum intelligeretis.

Quando

Quando MORBOS SIMILARES & ORGANICOS explicui, id fuit ea intentione, ut corpus confideraretis parumper in fua folida fabrica; quia ea potiffimum negligitur a Medicis, *humores* modo *vitiatos* fpectantibus: quos merito HELMONTIUS Humoriftas fua phrafi adpellitavit.

Ubi MORBOS FLUIDORUM expofui, varias eorum conditiones ad varios adplicavi morbos; ut, dum elementis his fluidorum primis cognofcendis operam dabatis, fimul caperetis, haud inani fpeculatione, fed relatione tantummodo ad morbos, tradi talia.

His factis adgreffi fumus MORBOS COMPOSITOS, eorumque indagare adnitebamur CAUSAS, ne, eas prætervidentes, male adplicaremus medelam. In his caufis explicandis perpetuo exempla & argumenta ex HIPPOCRATE & probatis Auctoribus, & quæ ipfe in medendo obfervaveram, adhibui, ut exiftentiæ talium caufarum convicti exifteretis.

Tandem SYMPTOMATA morborum enodare fategi, ea ratione, ut ipfam praxin medicam per totam SYMPTOMATOLOGIAM fimul docuerim; ut hæc pertractatio potius effet Medicinæ exercitatio, quam contemplatio theoretica; divinamque HIPPOCRATIS doctrinam ad quævis fymptomata morbosque adhibui. — Videamus jam SEMEIOLOGIAM.

FINIS

TOMI TERTII.